ANTIQUITATUM
CHRISTIANARUM
INSTITUTIONES

AUCTORE

ALOISIO MARINGOLA

PRESBYTERO NEAPOLITANO

EDITIO SECUNDA AUCTIOR ET EMENDATIOR

VOLUMEN II.

NEAPOLI
APUD SAC. JOSEPHUM PELELLA
in via Strettola di Porto n.° 21 2.° p.°

1862

Ex typographeo Fibreniano

LIBER SEPTIMUS

DE SACROSANCTO MISSAE SACRIFICIO

Caput I.

De Missae Etymologia.

I. Sacrificium Novi Testamenti in ultima coena a Christo Domino institutum, quod ad testandum Dei in omnes creaturas dominium, ad gratiarum actionem pro acceptis beneficiis agendam, ad obtinendam peccatorum remissionem, ad nova denique impetranda divina auxilia, quotidie offertur in Altari primis Ecclesiae saeculis nomine Missae indicatum fuit. De origine, seu etymologia hujus nominis variae sunt eruditorum sententiae. Quidam Doctores hebraicae antiquitati nimium addicti hebraicum nomen esse putant ex Deuteronomii cap. XVI. v. 10 ubi vox *Missah* reperitur, quae oblationem significat. Quam sententiam tenent Joannes Reuchlinus, Lib. 2. *Hebraicarum Eruditionum*; Claudius de Sainctes, *in praefatione ad Liturgias Patrum*; Genebrardus, *de Liturgia Apostolica* cap. 7.; Antonius Demochares, adversus Misoliturgos tom. 2. cap. 1.; Casalius Lib. 1. *de Sacrificio Missae*; Petrus Bulengerus, Lib. 7. *de Sacrificio Altaris*; Joannes Maria Turrinus, *in Directorio sacrificantium parte 1. sect. 1. cap. 4.* Prae caeteris fusius Philibertus Marchinus, *de Sacramento Ordinis tract. 3. parte 1. cap. 4. 5. 6.* Sed

ut optime Bellarminus observat, Lib. *de Missa*, cap. 1. si vox ista hebraica in usu Apostolis fuisset, eam certe retinuissent etiam Graeci, et Syri, atque aliae nationes, ut retinuerunt alias similes, ut *Amen*, *Alleluja*, *Sabbaoth*, *Osanna etc.* Insuper apud Graecos nulla est mentio hujus vocis, neque apud Patres hebraicae linguae peritos, Origenem, Epiphanium, Justinum, et Hieronymum. Aliam hujus nominis originem proponit Genebrardus libri citati cap. IV. ex graeca voce μύησις a verbo μυέω, quod est doceo, instituo, et spiritualiter initio: et significat proprie initiationem, seu mysticam doctrinam. Neque obstat, quod apud quosdam Graecos Scriptores aliquando vox *Missa* legatur, ut apud Costantinum in *Tacticis* quem Joannes Meursius citat in *Glossario graeco-barbaro*; hi recentiores sunt post annum Christi millesimum, et hanc vocem, sicut et alias, a Latinis acceperunt. Albaspinaei Aurelianensis Episcopi singularis opinio est in tractatu veteris Politiae Ecclesiae circa administrationem Eucharistiae et circumstantias Missae, qui Lib. 2. cap. 3. Missam ex voce *Mes* derivatam esse ait, quae vox apud Septentrionales gentes etiam nunc conventum, festivitatem, sacrificium significat.

II. Sed non pauci inter eruditos tenent, idque probabilius est, e latino Missam derivatam, quae vox idem valet ac *missio*, seu abeundi venia. Missio autem in veteri Ecclesia duplex erat, una sermone post Evangelium absoluto, quando Catechumeni a Diacono dimittebantur his verbis: *Si quis est Catechumenus exeat foras*; *vel si quis non communicat det locum*, ut ait Divus Gregorius Lib. 2. *Dialogorum* cap. 22. et haec dicebatur *Missa Catechumenorum*. Reliqua Sacrificii parte expedita, et re divina peracta, alia sequebatur dimissio populi, nimirum dimittebantur etiam fideles baptizati, et haec Missa Fidelium vocabatur. Dimittebantur autem iis verbis a Diacono prolatis: *Ite Missa est.* Ejusmodi Fidelium dimissiones completo Sacrificio, cum in nostris, tum etiam in Liturgiis Graecorum Orientalium passim reperiuntur. Idem Missae etymon tradunt, ac copiose illustrant Bellarmi-

nus, *de Missa* Lib. 1. cap. 1.; Scortia, Lib. 1. cap. 1: Gavantus, et in eum Meratius, qui alios plures ejusdem etymi sectatores, et vindices indicat, t. 1. p. 6. et seqq.; Bona, *Rerum Liturgicarum* Lib. 1. cap. 1.; Du Cange, verbo *Missa*; Bocquillot, *Tractatus historicus de sacra Liturgia* seu *Missa* Lib. 1. cap. 1. num. 3. et seqq.; Bossuetus, in *explicatione quarumdam difficultatum de Missae Sacrificio* cap. 2.; Benedictus XIV., *de Sacrosancto Missae Sacrificio* Lib. II. cap. 1. ubi alios appellat, et Gerbertus, *in principiis Theologiae Liturgicae sect. 1. cap. 2. pag. 57. et seqq.*

III. Quia igitur in Missae nomine multiplex significatio reperitur, de singulis aliquid dicendum est, ne quis nominis aequivocatione deceptus a vera rei, de qua agitur, intelligentia aberret. Primo accipitur pro lectionibus et precibus, quae ab initio Liturgiae usque ad dimissionem Catechumenorum explentur: qua acceptione Concilium Valentinum canone primo sancivit, ut Sacrosancta Evangelia in Missa Catechumenorum post Apostolum legerentur. Secundo sumitur Missa in Concilio secundo Milevitano capite 12. pro Collectis sive orationibus, quae in Missae Sacrificio legi solent. *Placuit ut preces vel orationes*, seu *Missae quae probatae fuerint in Concilio, ab omnibus celebrentur*. Tertio solet Missa pro Divino Officio interdum accipi, ut in Concilio Agathensi can. 30. ubi statuitur, quod in conclusione matutinarum, vel vespertinarum Missarum post hymnos capitella de psalmis dicantur, et plebs collecta oratione ad vesperam ab Episcopo cum benedictione dimittatur. Quarto, quia Missa actio praecipua est, quae in die festo peragitur, ideo nomen Missae pro ipsa festivitate a mediae aetatis Scriptoribus passim usurpatur, apud quos Missa S. Martini, vel S. Joannis idem est, ac Festum S. Martini, vel S. Joannis. Heraldus Turonensis Archiepiscopus in suo Capitulari capite 61. agens de festivitatibus anni, in quibus feriari oportet, Missam recenset S. Joannis Baptistae, Apostolorum Petri, et Pauli, S. Martini, et S. Andreae. Eginardus Abbas Epist. 23. *Volumus circa Missam*

S. Martini ad palatium venire. Idem frequentius reperitur in Capitularibus Caroli Magni, et Ludovici Pii. Tandem sumitur Missa pro tota Divini Sacrificii celebratione, quatenus utramque comprehendit Cathecumenorum, et Fidelium: quae acceptio adeo in ore omnium communis est, ut recentiores vix aliam agnoscant hujus nominis significationem.

IV. His de nomine Missae, ejusque notione praelibatis, ejusdem nominis antiquitas disquirenda est. Putat Baronius ad annum 34. n. 59. natam hanc vocem simul cum Ecclesia, et a primis ejus post Jesum Christum Fundatoribus Petro, et Paulo Romanis traditam: qua etiam usum fuisse ait Jacobum fratrem Domini, et Episcopum Hierosolymorum in sua, quam posteris reliquit Liturgia. Adstipulantur Baronio Joseph Vicecomes, et Joannes Baptista Scortia in suis tractatibus de *Sacrificio Missae*, et Stephanus Durandus libro de *Ritibus Ecclesiae*, atque alii, qui ut probent Missae nomen Apostolicae aetatis esse, et Christianae Religioni coaevum testimonia nullius roboris coacervant. Attamen certiora ex veris, et legitimis Pontificum, et Patrum scriptis proferenda sunt. Extat primo loco Epistola Pii Papae ad Justum Episcopum Viennensem, quam nec audent omnino reprobare protestantes, scripta, ut Baronio visum est, anno Christi 166. Ejus initio sic loquitur S. Pontifex: *Soror nostra Euprepia, sicut bene recordaris, titulum domus suae pauperibus assignavit, ubi nunc commorantes Missas agimus.* Extat etiam alia Cornelii Papae ad Lupicinum ejusdem Viennensis Ecclesiae Episcopum, in qua ait non licuisse tunc Christianis, neque in cryptis notioribus publice Missas agere propter acerrimam persecutionem. Quarto saeculo floruit Divus Ambrosius, qui Epist. 13. ad Marcellinam sororem; *Ego*, inquit, *mansi in munere, Missam facere coepi*; et Serm. 34. *Moneo vos, ut qui juxta Ecclesiam est, et sine gravi impedimento potest, quotidie audiat Missam*. Ruffinus Aquilejensis in latina interpretatione Clementis Romani Missae nomine usus est, cum in textu graeco nomen Liturgiae, sive Synaxis invenit. Commu-

nis ergo apud antiquos non solum sacros, sed et prophanos Scriptores, Missae acceptio pro Christiano Sacrificio fuit; et quamvis nos lateat, quis primum ea voce usus sit, liquet tamen antiquissimam esse a Sanctis Pontificibus Pio, et Cornelio, quorum primus secundo, alter tertio saeculo vixit, ac deinceps ubique ab omnibus Occidentalibus usurpatam.

Caput II.

De variis Missae nominibus.

I. Latinorum nominum primum et usitatissimum est *Collecta*, quia colligitur in unum populus, ut Sacrificio intersit: quo sensu etiam in Veteri Testamento Levit. cap. XXII. Deut. cap. XVI. coetus fidelium, diesque solemnes *Collecta* dicebantur. Augustinus in Breviculo Collationum cum Donatistis in Collatione tertiae diei: *Confitebantur* inquit, *se Collectam, et Dominicum egisse.* In Actis Sanctorum Martyrum Saturnini, et Sociorum apud Bollandum die 11. Februarii, oblati fuisse Proconsuli dicuntur, quia contra interdictum Imperatorum *Collectam* celebrassent. Epiphanius *Epistola ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum. Cum igitur* inquit, *celebraretur Collecta in Ecclesiae villa.* Caesarius Arelatensis Sermone 12. *qui enim* inquit, *ad Collectam, vel Ecclesiam veniens vana, vel otiosa cogitare voluerit.* Infinita propemodum essent hujus notionis, et vocis monumenta, sed ista sufficiant. Sed quia colligi in unum populus, et convenire solebat, non solum ad Sacrificium, sed etiam ad alia divina officia peragenda, veteres *Collectae* nomine pro quovis solemni conventu utebantur. Dicitur secundo *Dominicum,* quia nimirum maxima, et praecipua functio est, quae ex Domini institutione, et praecepto in Ecclesia peragitur. Clare Cyprianus *Epist. 63. ad Caecilium*: *Numquid ergo Dominicum post coenam celebrare debemus, ut sic mysticum calicem frequentandis Dominicis offeramus?* Hinc vox illa Christianorum, quae in actis proconsularibus

S. Saturnini saepius legitur : *Dominicum cum fratribus celebravi: Non potest intermitti Dominicum.* Templum quoque, sive locus, in quo ad sacrum celebrandum Fideles conveniebant, *Dominicum* olim dicebatur, ut alibi diximus. In Concilio Carthaginensi anni 390. can. 9. vocatur *Agenda*. Anastasius Bibliothecarius in Leone II. *Ne Mauri Episcopi Agenda celebraretur.* Ritum quoque Sacrificii ordinem agendi vocat Augustinus Epist. 118. cap. 6. Agendam denique mortuorum passim legimus in Antiphonario S. Gregorii, et in antiquis Scriptoribus officiorum Ecclesiasticorum. Inter caeteros apud Walafridum Strabonem, de *Divinis Officiis* cap. 25.; Beda, in *vita S. Augustini Cantuariensis Episcopi.* Item in veteri Calendario Romano apud Allatium de *Dominicis, et hebdomadibus Graecorum* in fine operis de *consensu Ecclesiae Occidentalis et Orientalis* pag. 1493. aliosque apud Cange in *Glossario*. Tertium nomen est *Communio* quod non solum pro usu Eucharistiae, sed etiam pro Sacrificio, quo conficitur, aliquando acceptum fuit: Damascenus Lib. 4. *de Fide Orthodoxa* cap. 14. inter alias hujus divini Sacrificii nuncupationes, hanc recensens ait: *Communio optimo jure appellatur, quia per illud cum Christo commercium habemus, ac carnem ipsius, et divinitatem percipimus.* Quarto vocari solet *Oblatio*, quia in ea Christus Agnus sine macula offertur, et immolatur, quod vocabulum communissimum fuisse apud antiquos ostendit Pamelius ad librum Tertulliani *de cultu foeminarum* cap. 11. ubi multas congerit ipsius Tertulliani, et aliorum Patrum auctoritates. Possem et alia nomina afferre, quae Missam apud Latinos significant, qualia sunt *hostia, fractio, Mysterium, Pignus, Sanctum*, et similia.

II. A Graecis Patribus vocatur primo *Liturgia* de qua voce alibi diximus. Secundo *Mystagogia* appellatur, quae idem est, ac secreta actio, divina participatio, introductio ad mysteria; unde mystagogicae dictae sunt Catecheses quinque Cyrilli Hierosolymitani, in quibus disserit de hoc Sacrificio. Damascenus *Oratio de Defunctis*, ait eos juvari mystagogiis, idest sacrificiis. Tertio *Synaxis*

nominatur, quamvis aliqui Patres hac voce uti soleant pro quacumque Fidelium congregatione, sive ad Orationem, sive ad Psalmodiam, sive ad audiendum verbum Dei, ut ex Cassiano constat. Quarto *Telete* appellatur. Est autem *Telete* Lexicographis initiatio, consecratio, perfectio. Quinto dicitur *Anaphora*, elevatio: sive ut Hesychius Lexicographus explicat, supplicatio, et invocatio. Hoc nomine inscribitur Sancti Basilii Liturgia ab Andrea Masio e syriaco idiomate in latinum translata. Dicitur autem *Anaphora*, quia sacrificium sursum ad Deum fertur: vel quia Sacerdotis et assistentium corda ad eumdem attollit. In Liturgia S. Basilii Diaconus dicit: *Stemus cum timore, attendamus ad sanctam oblationem*, graece Αναφοραν, in pace offerendam. Hinc familiare est Syris, Maronitis, et Coptis ad indicandam Missae celebrationem, non Liturgiae, ut Graeci, sed Anaphorae nomen usurpare. Sexto dicitur *Prosphora*, quae vox latine oblationem significat. Septimo Epiphanius Haer. 75. *Oeconomiae* nomine utitur pro Sacrificio. Scio quidem hanc vocem frequenter a Patribus usurpari ad exprimendum Incarnationis mysterium, ut a Tertulliano adversus Praxeam cap. 23.; ab Athanasio Orat. 3.; a Clemente Alexandrino Lib. 5. Strom.; a Cyrillo saepe in libris de Incarnatione. Est autem Oeconomia provida rei administratio, ad aliorum commodum, et utilitatem ordinata, quae tam in Incarnatione, quam in Eucharistiae institutione mirabiliter eluxit. Alia a Graecis divinae Liturgiae tributa nomina qualia sunt *Hierurgia*, *Agathon*, et Latina: *Eulogia divina, Eulogia Mystica.*

Caput III.

De variis Missarum generibus.

I. Plura Missarum genera (1), in usu olim fuisse, atque etiam nunc esse manifestum est. Missa solemnis, quam hodie conventualem, canonicam, capitularem, praecipuam, et majorem vocamus, illa proprie dicitur, quae cum cantu, et solemni caeremoniarum apparatu, Ministris, et Clero assistentibus, suorumque Ordinum munia exercentibus celebrari consuevit; cui pompae addebant antiqui frequentiam populi offerentis, et communicantis. Ab Amalario cap. 8. *generalis* dicta est, qua denominatione interdum utuntur antiqua Monachorum Ritualia, quia totus coetus ei solet interesse. Missis autem publicis sive solemnibus, et generalibus opponuntur privatae, et solitariae. Missa privata dicitur quae ab uno Sacerdote, unoque ministrante celebrabatur. Ad Missas vero *solitarias* quod spectat, rectius sentire videntur, qui eas esse dicunt, in quibus unus presbyter nemine ministrante celebrat.

II. Semper viguit in Ecclesia privatae Missae, uno saltem praesente et ministrante, laudabilis consuetudo, quam haeretici Misoliturgi aliquando prohibitam fuisse nunquam poterunt demonstrare. Sive enim dicatur privata a loco, quia in privato aliquo Oratorio agitur: sive a tempore, quia non festis, sed privatis diebus fit: sive ab assistentibus, quia vel unus dumtaxat, vel pauci ei intersunt: sive ex eo quod solus Sacerdos in ea communicet: sive alia quacumque ex causa: semper eam licitam, semperque in usu fuisse, probatissimis veterum Patrum testimoniis, et exemplis demonstrabitur. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 19. in laudem Patris, eum in cubiculo suo sacrum egisse asseverat: et in encomio sororis

(1) Bona, *Rerum Liturgicarum cum notis Roberti Sala*. Lib. I. Cap. XII.

suae Gorgoniae domesticum ei altare fuisse testatur. Paulinus Presbyter in vita S. Ambrosii scribit, Ambrosium Romae rogatu feminae amplissimae intra ejus domum sacrificium immolasse. Scribit Eusebius in *vita Costantini* Lib. 4. cap. 17. eum statim post baptismum Oratorium in palatio extruxisse, quin et ambulatoriam Ecclesiam sive motorium Templum habuisse, cum in castra proficiscebatur. Marcellum Papam saepe in domo Lucinae celebrasse acta ejus commemorant. Uranius in vita Paulini Episcopi Nolani tradit, eum morti proximum jussisse, ut sibi ante lectulum altare qualecumque appararent, moxque sacrificio peracto, in Domino obdormivisse. S. Augustinus de S. Monica matre sua testatur Epistola 54. ad Januarium, quod incruento Sacrificio quotidie assistebat.

III. Aliae Missae sunt, quae in honorem Sanctorum agi solent, cum illorum memoria annua solemnitate ab ipsis Ecclesiae incunabulis recolitur. Audiendus de his Cyprianus Epistola 34. *Sacrificia pro eis pro eorum scilicet honore, semper offerimus, quoties Martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus*. Epistola 37. ad Clerum suum diligenter adnotari mandat dies, quibus Martyres excedunt, ac sibi significari; *ut*, inquit, *celebrentur hic a nobis oblationes et sacrificia ob commemorationes eorum*. Ad idem respexit Tertullianus, cum libro *de Corona Militis* cap. 3. ait: *oblationes pro natalitiis annua die facimus*. Confirmant ejusdem ritus antiquitatem Ecclesiae Smyrnensis fideles in Epistola, qua Sancti Polycarpi martyrium describunt apud Eusebium Lib. 4. *Historiae Ecclesiasticae* cap. 15. ejusque ossa se collegisse ajunt, et in loco decenti condidisse; et in eodem loco natalem ipsius hilari conventu, qui sine sacrificio non erat, quotannis celebraturos. Gregorius item Thaumaturgus, teste Nysseno in ejus vita, fideles exhortatur, ut solemnes conventus Martyrum nomine agerent, qui pro fide strenue decertarant. Idem tradunt Augustinus, Lib. XX. *contra Faustum Manichaeum*; Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech. Mystag*. V. num. VI. aliique. Porro citati

Patres de solis Martyribus, quia Confessorum festivitates serius in Ecclesia receptae sunt, mentionem faciunt.

IV. Fuit insuper aliud Missarum genus, quibus *votivarum* nomen dedere sequutae aetates; erantque Sacrificia, sive pro aliqua necessitate, sive pro gratiarum actione ob acceptum beneficium. Harum vestigia per quartum, quintumque Ecclesiae saeculum offendere licet. Scimus quippe, Constantinopoli non secus ac Alexandriae, publica festa instituta fuisse ob liberationem earum urbium ab horrendo terraemotu: quod memoriae prodidere Marcellinus apud Eusebium in *Chronico*, et Sozomenus Lib. VI. cap. 11. Apud Augustinum quoque *Lib. XXII. de Civitate Dei* presbyteri Hipponensis mentio injicitur, qui intra privatam domum peculiare Sacrificium immolavit ad abigendos daemones. Earum plures praescribit Sacramentarium Gelasianum apud Muratorium, uti pro *salute fidelium vivorum, ad petendam pluviam, pro sterilitate etc.* In libro Sacramentorum Reginae Suecorum ante annos nongentos scripto plures leguntur Missae votivae, quarum refert inscriptiones. *Pro salute fidelium vivorum, pro iter agentibus, in tribulatione, in natali Presbyteri, pro mortalitate animalium, pro consecratione virginum, pro Regibus, et infirmis, etc.* Cornelius Schultingius Tom. 3. *Bibliothecae Ecclesiasticae* pag. 1. Missas votivas pro variis necessitatibus et pro diversis hominum statibus centum et quindecim ex diversarum Ecclesiarum Missalibus collegit. Caeterum de hujusmodi Missarum votivarum origine, ritu, etc. erudite tractant Joseph Vicecomes, *de Missae ritibus* Lib. 3. cap. 13. et seqq.; Martene, *de Antiquis Monachorum Ritibus* Lib. 2. cap. 6. num. 44.; et Guyetus, *in sua Heortologia* Lib. 4. toto cap. 31.

V. Apostolica quoque traditio est Sacrificium pro defunctis offerre. Tertullianus saepe memorat Sacrificia pro mortuis oblata. *Oblationes*, inquit, *de Corona Militis* cap. III.; *pro defunctis annua die facimus.* Epiphanius *Haer.* 75. inter errores Aetii hunc enumerat, quod negaret offerendum esse Sacrificium pro defunctis. Augustinus integrum librum edidit hoc praescriptum titulo:

de cura pro mortuis, ubi passim generalem esse consuetudinem totius Ecclesiae testatur orandi, offerendique Sacrificia pro mortuis. Eamdem fuisse Graecorum praxim, testantur vetustissimi quique Scriptores, *Constitutiones Apostolicae* Lib. VIII. cap. XLII; Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech. Mystag. V. num. 6.;* Chrysostomus, *Homilia XLI. in 1. ad Corinthios*; aliique permulti. Item Leo Allatius in suo opere *de Purgatorio*, Orientalium Synodorum Canones bene multos affert, quibus utriusque Ecclesiae in hoc catholico dogmate perpetuam consensionem demonstrat. Sed pluribus testibus opus non est, nam in hunc morem tota conspirat antiquitas.

VI. Των προηγιασμένων λειτουργια Praesanctificatorum Missa Graecorum peculiaris fuit. Id autem nominis ex eo nacta est, quod in illa minime Corpus, ac Sanguis Jesu Christi consecrantur, sed e consecrato pridem participabant. De ea scripsit Leo Allatius eruditissimam, et omnibus numeris absolutam dissertationem ad Bartoldum Nihusium editam in fine operis *de Ecclesiae Occidentalis atque Orientalis perpetua consensione*. Illud tamen hic monuisse satis erit, eam a Graecis juxta Concilium Trullanum omnibus Quadragesimae diebus celebratam fuisse, excepto Sabbato, Sanctoque Annunciationis die. Cum enim quadragesimae luctus moerorisque dies sint; contraque Eucharistiae confectio maximum a majoribus nostris laetitiae argumentum habitum sit: hinc per eos dies de praesanctificatis participant, atque ab ipsa consecratione abstinent. Hanc quidem fuisse hujus Missae praescribendae originem, multis recentium Graecorum testimoniis probat laudatus Allatius. Hunc morem adhuc servat Orientalis Ecclesia, Occidentalis autem eo numquam utitur, aut usa est, nisi feria sexta maioris hebdomadae. Ritus eius apud Graecos hic est. Die Dominica praeter illius diei oblationem quinque alios panes consecrant pro totidem sequentibus feriis usque ad sabbatum. Tum singulis diebus sub vesperam conveniunt in Ecclesia, et in ipso Vespertinarum precum officio Sacramentum antea consecratum sumunt, praemissis psalmis

gradualibus, et recitatis quibusdam Canticis, Lectionibus, et Orationibus, quae legi possunt in Euchologio cum notis Goar pag. 187. et seqq. Et quia panem antea consecratum sumunt, vocant hoc officium Praesanctificatorum, sive ante consecratorum. Porro ad huius Missae antiquitatem quod spectat, diversi in diversa abeunt. Leo Allatius *citata Dissertatione* eam apostolicis temporibus accenset. Alii vero ut Cardinalis Bona, tempus contrahunt, ad aetatem scilicet Concilii Laodiceni. Denique huius Missae usum sensim obtinuisse coniiciunt ante tempora Concilii Trullani, cuius can. LII. diserta occurrit mentio.

VII. Confundunt nonnulli cum Praesanctificatis Missam, quam *Siccam*, sive *Nauticam* vocant; sed hallucinantur; nam in Missa Praesantificatorum verum Jesu Christi Corpus adest et sumitur, licet antea consecratum. At Missa sicca caret non solum consecratione, sed etiam sumptione Corporis Christi Domini, a privata quorumdam devotione introducta. Ordo huius Missae describitur a Prudentio Trecentiae Episcopo: describit etiam ordinem huius Missae Guillelmus Durandus in *Rationali Divinorum Officiorum* Lib. 4. cap. 1. n. 25. nec non liber Sacerdotalis cap. 34. Haec autem Missa *nautica* quoque dicebatur, quia ut ait Durandus Lib. 2. *de Ritibus Ecclesiae* cap. 4. in mari et fluminibus celebrari solebat, in quibus propter motum et agitationem fluctuum vix perfecta Missa peragi potest. Hanc Missam commendat Genebrardus in Libro *de Liturgia Apostolica* cap. 30. pro his qui mane integrae Missae interesse non possunt, pro navigantibus, pro infirmis, et quando defuncti post meridiem sepeliendi sunt. Improbant vero hanc Missam Siccam Guillielmus Estius, *Orat. 13. Theologica*; Laudmeterus, *Lib. 1. de veteri Clerico, et Monacho cap. 84*; Sylvius, *in tertiam partem quaest. 83. art. 2. q. 2.* et alii. Porro de hac Missa sicca, sive nautica vide plura in Glossario Cangiano novissime edito, plerisque additionibus ornato, vide item Cl. P. Caietanum Maria Meratum, in suis ad Gavantum Commentariis *prolegomen.* num. 81.

VIII. *Missa Matutina, seu Matutinalis* vocabatur illa, quae celebrabatur solemniter, vel post Primam aestate; vel hyeme post Tertiam: ideo autem dicebatur *Matutinalis* quod mane decantaretur, ut passim testantur Monasteriorum Benedictinorum tum editae, tum manuscriptae Consuetudines, Statuta Lanfranci, et Concordia Dunstani. *Missa Peregrinorum* erat pariter *Missa Matutinalis*, ita probabiliter denominata, quia pro commoditate pauperum, et peregrinorum celebrabatur, et oblata eis tribuebantur.

Caput IV.

De diebus aliturgicis, liturgicis, et polyturgicis.

I. Apud Graecos dies *Aliturgici* erant, et hodie item sunt omnes dies Quadragesimae, quibus Missa Praesanctificatorum utuntur, excepto Sabbato, Dominica, et die Annunciationis. Ecclesiae Mediolanensis sextas quasque ferias Quadragesimae sine Sacrificio transigit. Dies item Aliturgici olim erant feria sexta maioris hebdomadae, quae sola hodie in Ecclesia Latina Sacrificio caret, et Sabbatum Sanctum, qua die licet Missa nunc celebretur, ea tamen agi solebat in nocte Resurrectionis, ad quam spectat. Et hoc quidem Sabbatum omni officio vacabat. Venio nunc ad dies Liturgicos, quo nomine si privatam, et quotidianam celebrationem complectimur, extra controversiam est, semper licuisse quacumque die Sacrificium offerre, paucis dumtaxat exceptis. Testimonia veterum Patrum de usu quotidiano Sacrificii quaedam attuli supra, cum de Missis privatis agerem, quibus alia hic superaddam, ut privatae oblationis laudabilis consuetudo firmius stabiliatur. Tertullianus *de Jeiunio* cap. 14. *Nobis certe omnis dies etiam vulgata consecratione celebratur*. Cyprianus *epistola* 54. *ad Cornelium*: *Episcopatus nostri*, inquit, *honor grandis, et gloria est pacem dedisse Martyribus, ut Sacerdotes, qui Sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo, et victimas praeparemus*. Basilium Magnum

quotidie sacris operatum scribit Amphilochius in eius vita: idemque Baronius de S. Ambrosio asseverat. Innocentius I. epistola ad Exuperium Episcopum Tolosanum, ideo a Sacerdotibus servandam pudicitiam docet, quia non praeterit dies, qua a Sacrificiis divinis vacent. Petrus Chrysologus *Serm.* 5. loquens de Christo: *Hic est vitulus,* inquit, *qui in epulum nostrum quotidie ac iugiter immolatur.* Gregorius Turonensis Lib. I. *de Gloria Confessorum* cap. 22. Calicem, et patenam vocat ministerium quotidianum. In veteri Missa edita ab Illyrico Sacerdos post communionem Deum orat, ne ad damnationem sibi proveniat, quod Corpus et Sanguinem Jesu Christi quotidie audet accipere. In antiquis usibus Monachorum feria secunda notatur Missa pro defunctis, feria tertia de S. Benedicto, sive de Sancto cuiusque Congregationis institutore, feria quarta pro familiaribus, feria quinta de Spiritu Sancto, feria sexta de Cruce, vel de Passione Domini, sabbato de S. Maria. Missam de Trinitate olim Cistercienses singulis diebus Dominicis cantabant post Primam.

II. Erant et alii dies in veteri Ecclesia, quos *Polyturgicos* vocare libet, in quibus ab uno Sacerdote plures Missae dicebantur, sicut hodie fit in die Natalis Domini. Leonem III. septem, quandoque imo et novem Missas celebrasse ex Walafrido Strabone cap. 24. refert Baronius tom. 9. an. 846. Sunt et Conciliorum decreta ad hunc ritum pertinentia. S. Udalricum Episcopum Augustanum duas et tres Missas una die celebrasse scribit in eius vita Berno Augiensis. A S. Norberto duas quotidie actas, itemque a S. Aiberto Monacho legimus apud Surium. De S. Libentio Bremensi Episcopo idem in sua Metropoli narrat Krantzius Lib. 4. cap. 11. Et haec quidem universim evincunt licitam olim fuisse multiplicem eadem die celebrationem, non solum id aliqua exigente occasione, sed etiam libere, et ex sola Sacerdotis devotione. In Ecclesia autem Romana antiqua viguit consuetudo bis, vel ter offerendi Sacrificium in certis quibusdam festivitatibus, quas operae pretium duxi hic breviter recensere. Prima fuit dies Kalendarum Januarii ex

veteri Frontonis Kalendario ante annos nongentos conscripto, in qua duae Missae cantari solebant, una de octava Nativitatis, altera de S. Maria. Altera est dies Coenae Domini, in qua Episcopus tres Missas celebrabat, quarum prima erat pro reconciliatione Poenitentium, secunda pro conficiendo Chrismate, tertia de ipsa diei solemnitate, cum oratione, *Deus a quo et Iudas.* Hae tres Missae habentur in Ordine Gelasiano, in antiquo Codice Remensi, in Codice Noviomensi Sanctae Mariae, ac in Gellonensi. Tertia est vigilia Ascensionis Domini, in qua duplex Missa praescribitur, una de Feria, sive de Rogationibus, altera de ipsa vigilia, ut constat ex Kalendario Frontonis, et ex priscis Missalibus. Quarta tres dies ieiuniorum hebdomadae Pentecostes complectitur, in quibus asserit Micrologus cap. 58. duas Missas ab aliquibus suo tempore decantatas, unam de octava, sive de Festo Spiritus Sancti post Tertiam, alteram de ieiunio quatuor Temporum post Sextam. Multiplex item Sacrificium in natalitiis Sanctorum offerri consueverat, cum duorum, vel plurium eadem die festivitas agebatur, qua de causa in vetustis Sacramentorum libris duae Missae certis diebus notantur, ut die vigesima Januarii, una de S. Sebastiano, altera de S. Fabiano, die tertia Maii de Inventione S. Crucis, et de Sanctis Alexandro, Eventio, et Theodulo: die vigesima octava Iunii de S. Leone, et de vigilia Apostolorum. Erant et aliae causae multiplicationis Missarum de iisdem Sanctis, nimirum, cum eorum Reliquiae in diversis Ecclesiis conditae erant. Sic festo S. Felicitatis cum septem filiis die decima Iulii tres Missae assignantur in Kalendario Frontonis, quia in tribus diversis locis ipsorum corpora sepulta fuerunt, et ad singula concurrebat populus, et idem Sacerdos in singulis sacris operabatur. Tres quoque Missas singulari privilegio Nativitatis S. Joannis Baptistae tributas liquet ex libro Sacramentorum Pamelii, et ex aliis Codicibus, quos laudat Menardus in notis sui Sacramentarii pag. 169. Harum mentionem faciunt Alcuinus, cap. 30.; Amalarius, Lib. 3. cap. 28. et Lib. 4. cap. 40.; Hugo Victorinus, Lib.

3. *de Officiis Ecclesiasticis*, cap. 6.; et Baronius, in notis ad Martyrologium die 24. Junii. Berno quoque in vita S. Udalrici scribit eum in hoc festo bis sacrificasse, *ut est*, inquit, *statutum*. Duae item Missae leguntur in libro Sacramentarii S. Gregorii apud Pamelium, et in Codice Ratoldi apud Menardum pag. 32. pro die S. Joannis Evangelistae, primo mane, et in die, quarum meminit Amalarius Lib. 4. cap. 46., easque negligendas non esse ait Radulfus in fine libri *de Canonum observantia*. Postrema plurium Missarum celebrandarum causa fuit, cum Missa votiva pro aliqua necessitate, aut Missa defunctorum pro alicuius sepultura, aut commemoratione agenda erat. Porro de hac Missarum multiplicatione in eadem die legendi Mabillonius, *Praefatio ad saeculum secundum Benedictinum*; Christianus Lupus, *in Scholiis ad Alexandri II. decretum*, qui de hac re fusissime agit. Item Edmundus Martene, Libro primo *de antiquis Ecclesiae ritibus*, cap. 3. art. 3. num. 4. et 18.; Thomasinus, *de veteri et nova Ecclesiae disciplina* tom. 2. pag. 270. Haec autem Missarum multiplicitas in eodem die suspensa remanet, et solum illae tres permittuntur, quae in Nativitate Domini quolibet anno a singulis Sacerdotibus celebrantur.

Caput V.

De veteri concelebrandi Ritu.

1. Rem plane exploratam (1) aggredior a Liturgicis Scriptoribus egregie illustratam, ut unum et idem Sacrificium a Romano Pontifice, et ab Episcopis olim una cum Episcopis aliis, et Presbyteris conficeretur, et hi item eiusdem Sacrificii participes fierent. Solemne id fuisse in utraque Ecclesia, Graeca, et Latina. Res ipsa probatur antiquorum canonum, et Patrum testimoniis. Constitutiones Apostolicae Lib. 8. Episcopum describunt sacris operantem, cum Presbyteris circumstanti-

(1) Georgi, *Liturgia Romani Pontificis*. tom. 3. caput I.

bus, simulque offerentibus, et communicantibus. Idem non minus evidenter colligere est ex Canone decimoctavo Nicaeno. Id quod diximus illustrat simul et probat Concilii Ephesini cap. 13. nonnullis Episcopis a Synodo excommunicatis crimini vertitur, quod audita Synodi sententia simul aggregati Missam celebrarint. *Ubi primum enim se a nobis exauctoratos, atque excommunicatos resciverunt, statim una sacris operati sunt, et hactenus sacris operari non desinunt.* Canon decimusquartus Concilii Arvernensis mandans Presbyteros in praecipuis festivitatibus nullo loco divina celebrare mysteria, nisi cum Episcopo suo in civitate. In Concilio Chalcedonensi Bassianus ab Episcopatu Ephesino depositus de Stephano in sedem suam intruso sermonem habens ait: *Stephanus Presbyter meus fuit. Quatuor annis Missas mecum celebrabat, mecum communicabat.* S. Cyprianus *Epistola XXXVII.* qui Moysi et Maximo Presbyteris, ac caeteris fratribus Confessoribus scribens: *Et nos quidem,* ait, *vestri diebus ac noctibus memores, et quando in Sacrificiis precem cum pluribus facimus, et cum in secessu privatis precibus oramus.* S. Athanasius Alexandrinus Episcopus Romam veniens, ut ipse in Apologia ad Constantinum *Opp. tom. 1. pag. 297. num. 4.* testatur, id unum ei curae fuit, ut *Ecclesiasticis conventibus vacaret,* seu ut alii verterunt: *In celebrandis synaxibus multus erat*, hoc est, saepe sacris faciendis operam dabat. *Synaxis* enim prò Eucharistia, et Missae Sacrificio accipitur.

II. Domnus Antiochiae Episcopus Simeonis Stylitae vitam admiratus simul cum illo Sacrificium celebravit, eoque peracto alter alteri tradidit communionem, ut referunt in *Historia Ecclesiastica* Evagrius, Lib. 1. cap. 13.; et Nicephorus, Lib. 14. cap. 51. Sic etiam imperante Basilio Porphyrogenito Agapius Seleuciae Archiepiscopus in Syria factus Hierosolymorum Patriarcha, cum Constantinopolim venisset, Missarum solemnia celebravit una cum Patriarcha Constantinopolitano Nicolao, et cum sacra Synodo, ut legitur in Libro quarto *Juris Graeco-Romani* pag. 294. Ebbonem Rhemensem Archiepiscopum

narrat Flodoardus ad Missae celebrationem cum aliis Episcopis processisse, cum sedi suae restitutus fuit. Joannes VIII. in fine octavae Synodi ad Photium scribens suos Apocrisarios defendit, quod cum ipso Photio simul sacrificare noluerint. In antiquo Rituali, sive Rationali caeremoniarum apud Morinum reperitur hic titulus: *De diversis Sacerdotibus super unam oblatam celebrantibus.* Ordo etiam Romanus hunc ritum exprimit, qui adhuc vigebat tempore Innocentii III. Apud Morinum *de sacris ordinationibus* Rituales quidam Libri, inferiori tamen aevo scripti afferuntur, ubi de concelebratione nonnulla praescribuntur. Plurima sunt alia huius antiqui moris testimonia quae diligens Lector antiqua monumenta lustrans adnotare poterit. Olim vero hic ritus diebus festis, et solemnioribus potissimum servabatur, quia sicut populus tunc sacro adesse, et sacra communione refici consueverat, ita viri Ecclesiastici Missae solemni ministrabant, et quisque sui Ordinis ministerio fungebatur, ac in unum propterea conveniebant, omnesque pariter sacram synaxim peragebant, Christique Corpus, et Sanguinem in fine percipiebant. Haec autem vere, et proprie communio Ecclesiastica dicebatur, a Sanctis Patribus tantopere commendata, qua Clerici variis gradibus pro criminis perpetrati gravitàte privabantur, quaque totaliter privati ad conditionem laicam redigebantur. Hanc antiquam traditionem hactenus integram Graeci conservarunt, cuius vestigia Latini in ordinationibus Presbyterorum et Episcoporum etiam nunc exprimunt. Vide hanc in rem Joseph Catalanum, *Commentar. in Pontificale Romanum part. 1. tit. 11. §. XVII.*; Schelestrate, *in Concilium Antiochenum* pag. 214.

Caput VI.

Quibus olim in locis Missa celebraretur.

I. Apostolos primosque eorum Discipulos saepe in privatis aedibus sacram celebrasse synaxim pro constanti et

indubitato haberi debet. Id probat in primis Liber Actuum Apostolorum capite vigesimo, ubi Paulus in tertio domus coenaculo fidelibus sacram Eucharistiam fregisse narratur, ex quo adolescens ad fenestram sedens somno gravatus cecidit. Costans traditio est, B. Petrum Apostolum a Pudente Senatore Romae domi suae esse exceptum; eo Christianos ad sacram Synaxim convenisse; eam Pudentis domum esse, quae nunc dicitur templum S. Pudentianae, ut videre est in Notis ad Martyrologium Romanum Baronii ad diem 19. Maii. Idem confirmant Acta S. Pontii Martyris cap. 3. apud Baluzium *Miscellaneorum* tom. 2. Huiusmodi domos postea in Ecclesias consecrabant, ut videre est in Actis S. Caeciliae Virginis et Martyris. Urgente paganorum persecutione, cum nec in Ecclesiis nec in privatis aedibus ulla superesset celebrantibus securitas, in cryptis subterraneis Sanctorumque Martyrum sepulcris sacros peragebant conventus, cuius res plurima nobis suppetunt veterum testimonia. Insigne est illud quod in Constitutionibus Apostolorum Lib. 6. cap. 30 habetur: *Antitypum regalis Corporis Christi acceptabilemque Eucharistiam offerte in Ecclesiis et coemeteriis vestris.* In Martyrologio Romano die secunda Augusti legitur: *Romae in Coemeterio Callisti S. Stephani Papae et Martyris, qui in persecutione Valeriani dum Missae Sacrificium perageret, supervenientibus militibus, ante Altare intrepidus et immobilis, coepta mysteria perficiens, in sede sua decollatus est.* His adde quod scribit Prudentius in hymno de S. Hyppolito ubi de eius sepultura ita canit:

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis
Propter ubi opposita est ara dicata Deo.
Illa Sacramenti donatrix mensa, eademque
Custos fida sui Martyris apposita.

Hinc Paulus Aringhus in sua *Roma subterranea* Lib. 1. cap. 31. *Porro,* inquit, cum illuc frequentes iugiter convenirent, *in coemeteriis cubicula*, aptatis utraque ex parte sedilibus, sacro item erecto altari, extruebantur, qua

de causa pontificiae ad hanc usque diem sedes extant, quae in Coemeterio praesertim B. Agnetis via Nomentana conspiciuntur, ubi Pontifex, dum natalitiis Beatorum Martyrum, nec non sacris synaxibus de more interesset, eminentiori prae ceteris conspicuus loco ac nobili locatus throno sedere consueverat. Neque hoc in Urbe tantum, sed in toto passim orbe actitatum fuisse certissimum est, unde et Æmilianus praefectus apud Eusebium Lib. 7. cap. 11. ad Dionysium Alexandriae urbis antistitem, *nullatenus*, aiebat, *licebit vobis, nec quibuscumque aliis conventus agere, aut ea quae vocantur coemeteria adire.* Idem et in Galliis evenisse docet nos Gregorius Turonensis Lib. 10. *Historiae Francorum* cap. 31. ubi de Gatiano Turonorum Apostolo: *interdum* inquit, *occulebat se ob impugnationem paganorum, eo quod saepius et contumeliis adfecissent, ac per cryptas et latibula cum paucis Christianis mysterium solemnitatis diei dominici clanculo celebrabat.* Alias orbis partes hic peragrare non vacat. Ceterum cum loca illa suboscura quamdam reverentiam inspirent; non solis persecutionis temporibus hic ritus offerendi in coemeteriis obtinuit, sed multo etiam postea.

II. Porro quia detenti in carceribus Confessores divinis participare mysteriis una cum aliis Christifidelibus nequibant; ne tanto munere ac gaudio privarentur, Episcoporum erat sollicitudinis Presbyteros et Diaconos secreto eis immittere, qui in carceribus ipsis immolata salutis nostrae hostia, coelesti convivio eos reficiebant. Quando vero ipsi Confessores erant Presbyteri aut Episcopi, ipsi sibi aliisque in vincula coniectis celebrabant. Aliquando etiam in solemnibus SS. Reliquiarum translationibus propter affluentem populi multitudinem in patenti campo celebrare cogebat necessitas, utpote quam nullus Ecclesiarum ambitus continere poterat; sed nec liberum ad eas accessum relinquebat, cuiusmodi exemplum nobis suppeditat Eginardus in Libro 1. *de Translatione SS. Marcellini et Petri* cap. 17. ubi sic loquitur: *Sacras illas Beatissimorum Martyrum exuvias ad Mulinheim superiorem cum magna omnium qui adesse poterant*

laetitia et exultatione detulimus, sed prae nimia populi multitudine in campo adiacente atque in loco editiore altare sub divo ereximus, ac feretro pone altare deposito, Missarum solemnia celebravimus. Simile aliquid narrat Rodulfus in vita Rabani n. 26. Saeculo IV. Benedictino parte 2. Postremo animadvertendum est, constantem ac perpetuam fuisse in Ecclesia disciplinam a primis etiam saeculis, ut semper in templis, ubi copia sit, Missae Sacrificium celebretur; cum in iis celebrandi copia non esset, extra templa Missae Sacrificium esse peractum.

Caput VII.

Quibus horis olim Missae sacrificium perageretur.

1. Diversa erat aliquarum Ecclesiarum consuetudo, passimque post coenam Sacrificium offerebatur: eam sustulit in Africa Concilium Carthaginense tertium, statuens, ut a ieiunis semper excepta ipsa die anniversaria Coenae Domini offerretur. Insuper cum ferveret saevissimarum persecutionum aestus, nec ullus Christianis exercendae Religionis suae relinqueretur locus, cum aliunde omni sollicitudine et industria paganis occultarent sacra mysteria; eos nocte post coenam, aut saltem summo mane tenebris adhuc universam terrae faciem occupantibus celebrare necesse erat: alioquin si de die convenissent, facili negotio ab infidelibus et nominis christiani infensis hostibus deprehendi potuissent. Hinc et Apostolus cum esset Troade nocte fregisse panem refertur. Hinc Plinius secundus libro 10. epistola 97. ad Traianum scribit: *Quod soliti essent stato die ante lucem convenire.* Hinc et apud Minutium Felicem Christiana Religio dicitur *natio latebrosa, et lucifugax.* Hinc *nocturnae convocationes* apud Tertullianum, *et coetus antelucani apud eumdem.* Jam vero, concesso Christianis pleno et integro suae Religionis exercitio, coeperunt statutae per diem horae decerni ad incruentum Deo Sacrificium offerendum. Has nobis potissimum indicat Amalarius, qui

ex antiquis Scriptoribus de ritibus Ecclesiae optime disseruit, scilicet horam tertiam, sextam, et nonam. Cuius mentem ita explicat Honorius in Libro 1. *de Gemma animae, cap. 113. ut in festis tertia, in privatis diebus sexta, in quadragesima vel in diebus ieiunii nona hora missa peragatur;* cui concinit Guillelmus Durandus libro quarto *Rationalis* cap. 1. At paulo aliter Walfridus, cuius non inferior hac in re auctoritas libro *de Rebus Ecclesiasticis* cap. 23. *Tempus autem missae faciendae,* inquit, *secundum rationem sollemnitatum diversum est.* Hanc autem Tertiae horam quolibet die festo servatam semper fuisse veterum Patrum pervincit auctoritas. Gregorius Turonensis in vita S. Nicetii: *Hora tertia* inquit, *cum populus ad Missarum solemnia conveniret.* Gregorius Magnus *hom. 37. in Evangelium* de Cassio Narniensi Episcopo sermonem habens ait: *Oblaturus Sacrificium ad horam tertiam venerat.* Hinc et Theodulfus in suo Capitulari capite quarto Missas per dies Dominicos hora tertia canonice fieri asserit.

II. In diebus autem ieiuniorum extra Quadragesimam horam diei nonam Sacrificio destinarunt antiqui. Testatur id Epiphanius sub finem *libri tertii* adversus haereses disserens de moribus primitivae Ecclesiae, ubi ait feria quarta, et sexta per totum annum celebratam Liturgiam hora nona, quia nimirum fideles illis diebus ieiunare solebant. Et ante ipsum Tertullianus non uno in loco de ieiuniis, et stationibus mentionem facit. Ordo Romanus de ieiunio Pentecostes sic decernit: *Jeiunium faciant quarta et sexta feria, et in Sabbato usque ad horam nonam.* Deinde praescribit quae Lectiones ad Missam legi debeant. Concilium Moguntinum apud Ivonem Carnotensem pag. 4. cap. 35. loquens de ieiunio quatuor temporum: *Quarta,* inquit, *et sexta feria, et Sabbato veniant omnes ad Ecclesiam hora nona cum Litaniis ad Missarum solemnia.* At in ieiuniis quadragesimalibus Missa tardius agi solebat, et haec *Statio sexta* dicitur a Tertulliano libro *de ieiuniis, quae ad vesperam ieiunans pinguiorem orationem Deo immolat.* Fideles enim ad vesperam hoc ieiunium sol-

vebant audito sacro. Idem ritus servabatur olim in vigilia Nativitatis Domini, ut ex Ordine Romano palam fit. *In vigilia*, inquit, *Nativitatis Domini hora nona canunt Missam ad S. Mariam, qua expleta canunt vespertinalem synaxim, dehinc vadunt ad cibum.* Huius autem moris haec ratio assignari solet, quia rigor poenitentiae, et ieiunii moestitia gaudium illud, et animi exultationem excludebat, quam fideles ex Sacrificio, et Eucharistiae communione percipiebant, quae salutis nostrae pignus est, et resurrectionis fiducia. Omnes ad Ecclesiam diluculo confluebant inculto habitu, ac cinere conspersi, cumque luctu, et lacrymis tabescerent, dare locum Eucharistiae, mutuoque complexu, et osculo signa praebere hilaritatis, inter corporis squalorem, et animi tristitiam, in congruum existimabant. Eamdem ob causam festivitates Martyrum in Quadragesima peragi Synodus Laodicena canone 51. prohibuit, ac propterea Orientalis Ecclesia, quae solam festivitatem Annuntiationis in Quadragesima celebrat, ea die non ieiunat. Liquet ex dictis, quae horae olim Sacrificio fuerint assignatae, tertia nimirum diebus festis, nona diebus ieiuniorum per annum, et in Quadragesima vespertina. De diebus ferialibus nihil antiqui canones statuerunt, uti eruditi observant.

Caput VIII.

Missae sacrificium nonnisi a sacerdote ieiuno celebrandum.

I. Quamvis Jesus Christus de hoc mundo discessurus ad Patrem post esum Agni, et communem cum Discipulis coenam, adimpletis legalibus caeremoniis, ac fine imposito antiquis Sacrificiis, novum sui Corporis et Sanguinis Sacramentum instituerit; Ecclesia tamen eiusdem magisterio edocta praecepit, ut hoc mysterium nonnisi a Sacerdotibus ieiunis celebraretur, nec a fidelibus, nisi sint ieiuni, perciperetur. Gregorius Nazianzenus orat. 40. *Christus*, inquit, *Paschatis mysterium Discipulis in*

coenaculo tradidit, et post coenam: nos in Templis et ante coenam; cui consonans Augustinus Epist. 118. ait: *Liquido apparet, quando primum acceperunt Discipuli Corpus, et Sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. Numquid tamen propterea calumniandum est universae Ecclesiae, quod a ieiunis semper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam caeteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur.* Consentiunt passim antiqui Patres, Basilius hom. 1. *de ieiunio. Neque enim fieri potest, ut absque ieiunio quisquam sacris operari audeat.* Chrysostomus Homilia 27. in Epistola 1. ad Corinthios: *Tu prius quam communices ieiunas, ut quomodocumque communione dignus appareas.* His Patribus alii plures adiungi possent, inter quos Isidorus, qui Augustini mentem mutuatis fere verbis interpretatur Libro *de Divinis officiis* cap. 18.; Amalarius quoque eodem modo Augustinum intellexit Libro tertio *de Ecclesiasticis officiis* cap. 34. et cum eo sentit hoc ieiunii praeceptum pro venerabilis Sacramenti reverentia non fuisse a Christo statutum, sed ab Apostolis. atque ab eorum Discipulis, et successoribus semper in Ecclesia observatum. Walafridus Strabo Libro *de Rebus Ecclesiasticis* cap. 19. eiusdem item praecepti meminit, de illius tamen origine, et antiquitate nihil dicit. Porro Gregorius Turonensis Amalario, et Strabone duobus ferme seculis antiquior hanc doctrinam confirmat divinae punitionis exemplo, quod refert Libro *de Gloria Martyrum* cap. 86. de Sacerdote, quia non ieiunus Missam ausus est celebrare. Hac de re triplicem rationem reddit Divus Thomas tertia parte quaest. 80. art. 8. *Prima* inquit, *petitur ex reverentia Sacramenti, ut scilicet Corpus Domini in os hominis intret nondum aliquo cibo, aut potu infectum. Altera petitur ex significatione, ut intelligamus Christum, et Charitatem eius fundari debere primo in cordibus nostris, iuxta illud Matthaei cap. 6. Quaerite primum Regnum Dei. Tertia ex periculo vomitus.*

II. Et haec quidem vetus institutio fuit, sed non sem-

per, nec ab omnibus custodita. Mos enim quidam praevaluerat in Africa, qui vivente Augustino adhuc vigebat, ipso testante Epistola 118. ut in die anniversaria, qua coena Domini recolitur, Sacramenta Altaris vespere sumpto cibo celebrarentur. De qua re in Codice Canonum Ecclesiae Africanae extat can. 41. ex Concilio Carthaginensi celebrato anno Domini 397. his verbis: *Ut Sacramenta Altaris nonnisi a ieiunis hominibus celebrentur excepto uno die anniversario quo coena Dominica celebratur.* Alius item mos apud quosdam Sacerdotes invaluerat, ut in exequiis defunctorum non ieiuni, et vespere celebrarent, quia nimirum sepulturae non solebant inferri, nisi prius sacrum pro ipsis praesente cadavere ageretur. Id postea vetitum fuit uti patet ex pluribus Sinodorum canonibus.

Caput IX.

De sacerdotis praeparatione ad celebrandum.

I. Sacerdos Missam auspicaturus primo se ipsum ad tantum opus disponit, ut sit purus mente, et corpore: tum ea praeparat, quae spectant ad Sacrificium. Et animae quidem puritatem comparat sacramentali confessione, si alicuius culpae sibi conscius sit. Id enim Apostolus praecepit dicens: *probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat: qui enim manducat, et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit.* In antiquo Missali Romanae Ecclesiae monetur Sacerdos celebraturus conscientiam suam per puram confessionem optime praeparare. Ideo antiqui Sacerdotes suam semper infirmitatem suspectam habentes, humanique cordis pravos et profundissimos recessus formidantes, in quibus saepe latent minuta et occulta peccata, scientes quoque multa non advertentibus irrepere, multa e memoria excidere, cum timore et tremore in opera poenitentiae incumbebant, et sacris operaturi prolixis precationibus, quas *Apologias* vocabant, ad ostium divinae misericordiae pul-

sabant, ut ab omni macula expurgarentur. Plures huiusmodi Apologiae extant in priscis Sacramentorum Libris, quarum praecipuae apud Menardum legi possunt pag. 242. et apud Cardinalem Bona. Dicuntur autem Apologiae, quia in his Sacerdos excusat et purgat se, quod peccator et indignus ad sacra mysteria accedere praesumat. Observat doctissimus Menardus eas olim legi consuevisse ante Offertorium, cum peracta Missa Catechumenorum incipiebat Missa Fidelium; sed in ea, quam edidit Illyricus, et in Codice Chisiano, pleraeque dicuntur ante Introitum, et dum *Gloria in Excelsis*, et Graduale cantantur.

II. Praeter Apologias erant aliae orationes praeparatoriae, quas Georgius Pachymeres *protelesticas* vocat, quod ante teletem, seu Sacrificium dicerentur. Preces vero praeparatorias, easque prolixas semper in usu fuisse, crebris Sanctorum exemplis docemur, qui tandiu in oratione perseverabant, donec gratia Spiritus Sancti mirabiliter imbuti, eius virtute et impulsu ad celebrandum excitarentur. Usus quoque quorumdam Psalmorum ante Missam antiquus est. Vetus Missa ab Illyrico edita, antequam Sacerdos sacris vestibus induatur, dici mandat, si tempus permiserit, flexis genibus coram Altari septem Psalmos Poenitentiales cum Litania, et aliis prolixis precibus, post quas sequuntur alii septem Psalmi. Codex Chisianus tres tantum Psalmos a Sacerdote sacris vestibus induto cum circumstantibus Clericis dicendos praescribit, videlicet *Quam dilecta*, *Benedixisti*, *Inclina Domine*. Iidem praescribuntur in Codice Tiliano apud Menardum pag. 266. Accedit lotio manuum, quam ex quodam naturae instinctu ipsimet Ethnici sacrificio praemittebant. Eadem Religio Hebraeis fuit, legimus enim cap. 30. Exodi, positum in Templo labrum aeneum cum aqua, ut quando Sacerdotes ingressuri erant Tabernaculum, et accessuri ad Altare, manus antea lavarent. Ex veteri igitur Ecclesiae instituto Sacerdos lavat manus ante Sacrificium, Deum interim exorans, ut sicut exterius abluuntur manuum inquinamenta, sic ab eo mundentur interius sordes mentis.

Caput X.

De Missae initio.

I. Nemo est qui nesciat, Sacerdotem stantem ante Altaris gradus, iuxta piam consuetudinem enatam cum ipsa Christi Ecclesia, ut omnium nostrarum actionum a signo Crucis ducatur initium, cum hoc signo sacrosancta exordiri mysteria. Postquam autem se signaverit Sacerdos et minister recitant alternis antiphonam: *Introibo ad Altare Dei:* et psalmum *Judica me Deus.* De hac antiphona et psalmo initio Missae recitando silet Sacramentarium S. Gregorii. In Romanis Ordinibus vetustioribus, dum Pontifex ad Altare accederet, caput eidem inclinans, aliquantisper secreto orabat, ac ut verbis Ordinis Romani VI. utamur: *Inclinans se, Deum pro peccatis suis deprecabatur.* Quidam existimant, non admodum antiquam esse disciplinam recitandi Psalmum *Judicá me Deus* in principio Missae. At vero in Missali Romano ante annos quingentos exarato, quod extat in Bibliotheca Angelica Conventus S. Augustini Romae, legitur: *Cum autem indutus fuerit* (Sacerdos) *accedat ad Altare, et dicat Introibo ad Altare Dei* et Psalmum *Judica me Deus. Tunc inclinet se ante Altare, et dicat Confiteor Deo.* Praeterea Micrologus Missae Romanae ordinem describens cap. 23. *Paratus*, inquit, *Sacerdos venit ad Altare dicens Antiphonam Introibo ad Altare Dei*, et Psalmum *Judica me Deus*, post quem sequitur confessio; idque confirmat Innocentius III. Lib. 2. *de Mysteriis Missae* cap. 13. Accedit Radulphi Tungrensis auctoritas, qui hunc morem ab Ecclesia Romana in alias emanasse fatetur. *Sacerdos igitur paratus*, ait Scriptor ille saeculi XIV. *veniens ad Altare, Romano ordine dicit Antiphonam Introibo cum Psalmo Judica.* Et qui vetera monumenta diligentius excusserunt, ea documenta proferunt, quibus luculenter ostenditur psalmum hunc in principio Missae dici consuevisse saeculo septimo et octavo. Primis Ecclesiae saeculis non erat unum

idemque omnibus in locis Missae exordium : alicubi enim Missa incipiebat a Psalmodia, ut modo fit; alibi vero a Lectione Apostoli, et Evangelii; communius tamen a Psalmodia simul et lectionibus.

II. In multis Ecclesiis porro antiquitus varia fuit ad hunc psalmum recitandum, seu omittendum, aut alium eius loco dicendum disciplina. Etenim a quibusdam solus versiculus *Introibo*, ut fit in diebus a Dominica Passionis ad Pascha, et in Missis Defunctorum, dicebatur. In Missali Mozarabum a Cardinali Ximenio restituto ponitur ad initium Missae Psalmus *Judica me Deus* totus, deinde versiculi *Dignare Domine* etc. *Confitemini Domino* etc. Monachi Cluniacenses, et Cistercienses psalmum *Judica* antiquitus ad libitum recitasse videntur, ut liquet ex eorum consuetudinibus, quas refert Martenius in libris *de antiquis Monachorum Ritibus* Lib. II. cap. IV. n. 13. Casinenses vero eum dicebant, ibidem n. 14., dum procedebant e Secretario ad Altare. Hic mos autem huius psalmi in accessu ad Altare recitandi iamdiu in Galliis viguisse nos monet Joannes Grancolas *Traité de la Messe* pag. 4. edit. ann. 1714. ; nam Catalauni ad Matronam Fluvium, vulgo *Chalons sur la Marne* Sacerdos in Sacrario post acceptam stolam, antequam casulam acciperet, hunc psalmum dicebat. Hinc factum est, ut Carthusiani Monachi, Fratres Ordinis Praedicatorum, et Carmelitae hunc psalmum praetereant initio Missae, et alios versiculos recitent. S. Pius V. ex praecepto recitandum hunc psalmum romano ritu in nova Missalis recognitione sancivit. S. Ambrosius *de Mysteriis* cap. VIII. narrat, a Neophytis, dum e fonte ad Altare redibant, cantatum fuisse *Introibo ad Altare Dei*. Psalmus *Judica me Deus* omittitur in Missis Defunctorum, et Passionis tempore. Ob eam rationem praetermitti ait Tournely tom. 2. *de Eucharistia* pag. 214. *edit. Venet.* quod psalmus sit laetitiae, ut constat ex illis verbis *Quare tristis es anima mea ?* Nullus autem in Missis Mortuorum, et quae Passionis tempore celebrantur laetitiae locus. Cur autem Confessio in Ritualibus Libris dicatur hic Psalmus *Judica*, cum caeteris,

quae recitantur ante Antiphonam ad Introitum, ideo est, quia, ut Innocentius III. Lib. II. cap. XIII. *de Mysteriis Missae* et reliqui sacrorum Rituum Scriptores tradunt, ex divinae Sapientiae monitis iustus in principio sermonis debet esse accusator sui: qua propter post Psalmum additur formula generalis Confessionis peccatorum, nempe *Confiteor*, cuius loco olim aliae deprecativae preces recitabantur, ut videre est in Missa Illyrici, in qua statim ac celebrans erat coram Altare dicebat: *Indulgentiam, et remissionem ipse occultorum omnium cognitor etc.* et post Psalmum *Judica* adnectuntur preces: *Delictum meum cognitum tibi feci etc.* Aliae etiam formulae longiores leguntur in Codice Missali Monasterii S. Dionysii, circa Caroli Magni tempora scripto. Aliae item in Codice S. Gatiani Turonensis annorum circiter octingentorum.

III. Nonnulli recentiores, silentibus omnibus priscis Scriptoribus, innixi auctoritate Radulphi *de observatione Canonum propos.* 23. adstruunt, quod Damasus Papa natione hispanus, qui Romanum Pontificatum suscepit anno Domini 370. praescripsit, ut Presbyter Confessionem faceret antequam accederet ad Altare. Alii vero auctorem huius Confessionis ante Missam faciunt Pontianum. Antiquissimum est, ut celebrans peccatorum genericam confessionem in ipso Missae exordio emitteret, et quamquam initium huius moris traditum nobis certo aliquo veterum Patrum testimonio non sit, neque idoneos testes, ut observat Eminentissimus Bona, ii afferant, qui a Pontiano, sive a Damaso Romanis Pontificibus Confessionis precem institutam scribunt, nullo tamen pacto huius consuetudinis antiquitas oppugnari potest. Varia apud varias Ecclesias fuit huius Confessionis formula, ut apud Bonam, Lib. II. *Rerum Liturgicarum* cap. 2. §. 5.; et 6; Grancolasium, *anciennes Liturgies* pag. 443. et seqq.; Georgium, *de Liturgia Romani Pontificis* Lib. III. cap. IX. pag. 55. et seqq. videre est. Qua Romana Ecclesia nunc utitur, eadem prorsus in pluribus Codicibus ante saeculum XIII. exaratis legitur. Quare Le Brun tom. 1. pag. 1. art. 4. hanc formulam iam saeculo XIII. a Romana

Ecclesia adhibitam fuisse existimat. Eadem certe apud Mabillonium legitur in Ordiue Romano XIV. qui saeculo XIV. conscriptus fuit. Non est tamen improbandus Ritus Romanus, et communis emittendi talem Confessionem publicam et generalem a Sacerdotibus etiam sacris vestibus indutis, quia cum hoc Sacrificium pro universis Christifidelibus offeratur ab Ecclesia; hinc in tali publica Confessione peragenda, quivis Sacerdos nedum sua, sed aliena, veluti propria peccata, in ipso Liturgiae sacrae exordio confitetur. Omnes enim cum simus unum Corpus in Christo, quidquid mali inest in ipso Corpore, id commune sibi faciunt Sacerdotes; quibus incumbit communes omnium Fidelium Deo irrogatas ferre et reparare iniurias. Confessionem generalem nomine omnium efficit, pro omnibus veniam impetrare, et omnium crimina Sacrificio Eucharistico, quod peragit, expiari intendit.

IV. Quod autem Sacerdos inclinatus confitetur, petitum est ex poenitentibus, qui prostrati in terram confitebantur, et Sacerdos gerit personam poenitentis. Versiculi autem, qui post Confessionem dicuntur, ex vetustissimis Codicibus Liturgicis sumpti sunt. Varii tamen sunt in variis Ecclesiis, quos vide apud Cardinalem Bonam Lib. II. cap. II. §. VIII. et Grancolasium *Anciennes Liturgies* tom. 1. pag. 456. Oratio *Aufer a nobis* quae a Sacerdotibus dicitur, dum ascenditur ad Altare, Confessione expleta, antiquissima est. Ut vero precationis *Aufer a nobis* etc. antiquitatem agnoscas, sumpta est ex Sacramentario Gelasiano, item ex Sacramentario Sancti Gregorii. Extat etiam in vetustissimis Missalibus, et in Ordine Romano in Officio Dedicationis Ecclesiae post Litanias. Hinc notandum quod fere omnes Liturgiae Sacerdoti, dum ad Altare procedit, orationem aliquam ab eo dicendam praescribunt. Deinde osculabatur Altare pedesque Crucifixi, aut saltem imaginem initio Missalis olim depingi solitam dicens hanc, aut similem orationem: *Adoramus te Christe, et benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemisti mundum. Te invocamus, te laudamus, te a-*

doramus o Beata Trinitas. Qui ritus passim in omnibus vigebat Ecclesiis, ut probant antiqua earum Missalia. Osculamur autem Altare, quia deosculatio, inquit S. Hieronymus adversus Rufinum *Apolog. 1.* pro veneratione ponitur. *Hebraei*, inquit, *iuxta linguae suae proprietatem deosculationem pro veneratione ponunt*, signumque esse honoris, reverentiae, et cultus. Idem ostendit in vita Sancti Hilarionis, in vita Sancti Pauli Eremitae, et in epistola ad Asellam. Reverenter insuper ac religiose Sacerdos osculatur Altare in medio, ubi Sanctorum Martyrum reliquiae sitae sunt, neque fas erat super Altari celebrare, in quo Sanctorum Reliquiae reconditae non essent.

Caput XI.

De Introitu et ejus Institutione.

I. Introitus ita dictus est, vel quia ascendente Sacerdote ad Altare recitatur, qui paulo ante dixerat *Introibo ad Altare Dei*, uti Micrologus putat *Eccl. observ.* cap. 1. vel quia sit quasi pröemium, seu exordium Missae, ex Conrado Lib. 1. Caerem. cap. 1. vel quia populo introeunte psalmus canebatur, ut aliqui existimant. In Missali Ambrosiano vocatur *Ingressa*, in Liturgia Mozarabica, et in Missali Carthusianorum, Fratrum Praedicatorum, et Carmelitarum *Officium* dicitur. In Introitu porro observat Macri in *Hierolexico* antiquitus Psalmus integer canebatur; sed postea detruncatus est, ita ut unicus Psalmi versiculus cum replicatione Antiphonae cani coeperit. Eius institutio S. Coelestino I. tribuunt Valfridus, et Micrologus, et cum his consentiunt Amalarius, Berno Abbas, et alii. Sed haec opinio omni caret fundamento. Honorius Lib. 1. in *Gemma Animae* cap. 87. auctorem introitus Missae fuisse putat S. Gregorium; quod verisimilius est. Nam Sanctus ille Pontifex Antiphonarium composuit selectis e Psalmorum Libro Antiphonis, aliis quidem ad Introitum, aliis etiam ad Offertorium. In Antiphonario S. Gregorii omnes introitus ex Psalmis deprompti, pau-

cis exceptis, quos Durandus Lib. 3. *Rationalis* cap. 5. vocat irregulares, ut *Puer natus est nobis* in die Nativitatis Domini: *Viri Galilaei* in die Ascensionis: *Spiritus Domini* in die Pentecostes: *Nunc scio vere* in die S. Petri: et alii pauci ex aliis Scripturis. Et pauci nunc quidem sunt, qui neque e Psalmis, neque e Sacra Scriptura petiti sunt, nec in Gregoriano Antiphonario extant, uti sunt, *Salve Sancta Parens, Gaudeamus omnes in Domino* etc. Usus olim uti observat Carolus Guyetus in *Heortologia seu de Festis locorum propriis* Lib. 3. cap. 25. quest. 2. multarum Ecclesiarum fuit, qui et a nonnullis adhuc servatur, ut in festis duplicibus, seu alias solemnioribus ter Introitum repeterent. Insuper nec contemnendae Ivonis Carnotensis, Ruperti, et Innocentii Tertii considerationes, qui animadvertentes introitum plerumque ex verbis veteris Testamenti esse compositum, docent per eum nobis in memoriam revocari clamores et desideria veterum Patrum Messiae adventum expectantium.

Caput XII.

De Kyrie Eleison et hymno Gloria.

I. Antiquissimus est usus dicendi (1) initio Missae *Kyrie eleison.* Hugo Victorinus *Lib. 2. Offic. cap. 14.*, et alii existimant a S. Silvestro circa annum 320. e Graecis sumptam hanc supplicationem, et ad Latinos eodem graeco idiomate traductam. Vulgaris olim opinio fuit S. Gregorium Magnum eam Missae addidisse; sed falsitatis arguitur, quod constat sexaginta ante S. Gregorium annis eam ab Apostolica Sede et ab Italiae et Galliae Provinciis esse usurpatam. Disertum ea de re testimonium praebet Canon III. Concilii II. Vasensis, habiti A. D. 529. *Concil:* tom. 4. pag. 1680. *Et quia tam in Sede Apostolica, quam etiam per totas Orientales et Italiae provincias dulcis et nimirum salutaris consuetudo est intromissa, ut Kyrie*

(1) Georgi, *Liturgia Romani Pontificis.* Lib. III. Cap. XII. et seqq.

eleison frequentius cum grandi affectu, et compunctione dicatur, placuit etiam nobis, ut in omnibus Ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo, et ad Matutinum, et ad Missas, et ad Vesperam, Deo propitio, admittatur. Olim praefinitum non erat quoties dicendum esset, unde *Kyrie* ad nutum, et devotionem celebrandis repetebatur. Saeculo certe XI. in Missa novies tantum *Kyrie eleison*, et *Christe eleison* dicebatur, idest *Kyrie* ter, deinde ter *Christe*, demum ter *Kyrie* iterum. Huius ritus nos certiores facit Antiphonarius liber Eminentissimi Cardinalis Gentilis in cuius calce notis musicis ratio huius precationis cantandae certis anni diebus praenotatus. Ambrosiani ter has voces *Kyrie eleison* adhibent, post *Gloria in excelsis* post Evangelium, et in fine Missae. Graeci multum frequentant ad horas hanc invocationem. Graeca verba sunt *Kyrie eleison* quae significant *Domine miserere*, qua precatione nihil ad ea quae nobis opus sunt accomodatius, ut ea fugiamus pericula, quae semper nostrae imminent animae, ni Deus nostri misereatur. Quapropter Isaias cap. 33. *Domine*, inquit, *miserere nostri, te enim expectavimus*; et Baruch cap. 3. *Audi Domine, et miserere.*

II. Novem itaque vicibus hanc precationem repetimus, ter dicitur ad Patrem, ter ad Filium Christum, ter ad Spiritum Sanctum: sed cur dicatur ter *Kyrie eleison* ad Patrem, et iterum ter ad Spiritum Sanctum, ratio est, quia Pater, et Spiritus Sanctus eiusdem tantum naturae: ad Filium vero dicitur ter *Christe eleison*, quia Filius quamvis sit eiusdem naturae divinae cum illis; est tamen et alterius substantiae, seu naturae, nempe humanae, quam assumpsit, et secundum quam unctus est a Deo oleo laetitiae prae consortibus suis, non oleo visibili, sed invisibilis Divinitatis plenitudine: et ideo *Christus*, idest, *unctus* vocatur. Cuius unctionis redundantia, et effusione, hominis misertus est, plagas eius oleo gratiae suae perfundendo et curando. Rursus quare in Missa decantetur novies dicta precatio, alias rationes adducunt etiam Durandus in suo *Rationali* Lib. 4. cap. 12. nec non Illustrissimus Hieronymus Crispi Ravennae Archiepisco-

pus in sua erudita dissertatione: *Mysteriorum Evangelicae Legis*. Agunt de praedicta deprecatione valde erudite Edmundus Martene, Lib. 1. *de antiquis Ecclesiae ritibus* cap. 4.; Antonius Bellotte, *in suis observationibus* pag. 375.; Petrus Le Brun, tom. 1. pag. 164.; Grancolas, *Les anciennes Liturgies* pag. 464.

III. Post *Kyrie* sequitur hymnus *Gloria in excelsis* qui etiam *salutatio, et laus Angelica, laus Angelorum et hymnus Angelicus dicitur*, quod eius initium Angeli, nato Domino, decantarint. A Graecis magna Doxologia nuncupatur. Prima eius hymni verba: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis*, e coelo ad nos Angelorum voce derivata sunt: cetera quis addiderit incertum est. Quidam Apostolis tribuunt, eo quod integer habeatur Lib. 7. *Constit. Apost.* cap. 47., sed iam norunt viri docti quid de illarum Constitutionum Auctore et aetate sentiendum sit. Alii auctorem faciunt Telesphorum Papam, eiusque sententiae Walfridus, Amalarius, Rhabanus, et Sigebertus in Chronico. Plerique recentiores sequuti Alcuinum, Lib. de *Divinis officiis* cap. 40.; Hugonem Victorinum, pariter Lib. 2 *de Divinis officiis* cap. 11.; Remigium Antisiodorensem, *in Expositione Missae* Lib. 1.; Honorium, *in Gemma* Lib. 1. cap. 87.; et Joannem Belethum, Lib. *de Divinis Officiis* cap. 36.; a S. Hilario Pictaviensi Episcopo completum fuisse asseverant. His porro minime permotus Cardinalis Bona, additamenta huius symboli Hilario Pictaviensi non esse adscribenda censet, quod inter eius opera nullum vestigium de hoc hymno appareat. S. Gregorius, ut est initio vulgati Gregoriani Sacramentarii, instituisse dicitur, ut *Gloria in excelsis Deo* ab Episcopis tantummodo die Dominico, sive diebus festis dicatur; a Presbyteris vero solum in Paschate. Quando autem factum sit, ut hymnus Angelicus in Missa ab omnibus Presbyteris promiscue dici coeperit, satis non est exploratum. In Hispaniis enim A. 780. dicebatur etiam a solis Presbyteris, ut nonnulli putant. Certo Etherius Oxomensis Episcopus, et Beatus Presbyter Hispanus in libris adversus Elipandum Episcopum Toleta-

num Lib. 1. pag. 370. tom. XIII. Biblioth. Patrum, haec testantur: *Sic in Missa non solum Dominicis diebus, sed etiam quibuscumque festivitatibus: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus conclamamus.* Saeculi XI. initio, eoque ad medietatem ferme producto, nondum in usu fuisse videtur, ut a Presbyteris diceretur, eo quod Berno Augiensis conqueratur, a S. Gregorio huius hymni in Missa precationem, nonnisi semel in anno permissam fuisse. Verum sub huius saeculi finem Micrologus *de Ecclesiasticis observationibus* capite II. apertis verbis testatur, hunc hymnum etiam a Presbyteris recitari consuevisse. Nunc hymnus ille in omnibus dicitur Missis, exceptis Missis Mortuorum, et iis quae in Feriis infra annum, extra Paschale tamen tempus, in Dominicis adventus, septuagesimae, sexagesimae, quinquagesimae, quadragesimae, et toto Passionis tempore dicuntur. Nam hymnus ille ad spiritalem laetitiam pertinet, cui nullus est locus per eos dies luctui et poenitentiae praestitutos. Obiter notandum est, Romae olim in prima Missa Nativitatis Domini hymnum *Gloria in excelsis* graece fuisse decantatum, in secunda vero Latine: Anonymus Turonensis in libro cui titulus est *speculum Ecclesiae*, id testatur.

IV. Huic autem Angelico hymno iamdiu, non ex aliqua Ecclesiastica institutione, sed privata potius quorumdam licentia particulas quasdam intermisceri coepisse animadvertit Eminentissimus Bona *Rerum Liturgicarum* Lib. II. cap. IV. n. VI. Harum interpolationum ex variis Codicibus exempla profert, in Missis praesertim Beatae Mariae Virginis, et ex Pamelio in Missa Natalis Domini, et in Dedicatione Ecclesiae. Harum item exemplum habes in Antiphonario Eminentissimi Cardinalis Gentilis, Alexandro II. Romano Pontifice scripto, ubi in fine ponitur hymnus Angelicus *Gloria in excelsis;* et aliquot eius versiculis inseruntur huiusmodi interpolationes versibus hexametris exaratae. Solebat insuper pro gratiarum actione cantari. Sic Eberegisilus Episcopus, uti constat ex Gregorio Turonensi Lib. *de Gloria Martyrum* cap. 63. invento corpore S. Mallosi Martyris emittens vocem ma-

gnam *Gloria in excelsis Deo secum omnem clerum pariter psallere fecit.* Similiter factum est *de Miraculis S. Martini* Lib. 2. cap. 25., quum per intercessionem Beati Martini paralyticus sanitatem recepit. Canebatur etiam in salutationibus, et adclamationibus publicis, ut patet ex vita Leonis III., qui Pipino Caroli Magni filio obviam progressus, eumdem hymnum concinuit: et ex concione sextae Synodi generalis ad Constantinum Imperatorem. Vide et librum Diurnum Romanorum Pontificum. Quod autem hymnus *Gloria* una cum *Te Deum* ad Laudes olim cantaretur, apparet ex Regula S. Benedicti capite XII. Vide Martenium in notis. Extat etiam inter hymnos matutinos Ambrosiani Breviarii.

V. Sacerdos, hymno Angelorum recitato, salutat populum dicens *Dominus vobiscum*, quae salutatio e veteri Testamento in Ecclesiam derivata est. Booz enim, ut in Libro Ruth, cap. II. legimus, salutans messores suos ait: *Dominus vobiscum*: et Propheta missus a Deo ad Asam Regem Judae, cum victore praelio cum exercitu suo reverteretur, dixit 2. Paralip. cap. XV. *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo.* Vim autem et efficaciam accepisse videtur ex verbis Salvatoris: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Apud Graecos nullus est usus huius salutationis, nec reperitur in eorum Liturgiis, cum vero salutant populum dicunt *Pax omnibus*, sicuti constat ex Liturgiis SS. Basilii et Chrysostomi. Sed ad Latinos revertamur. Praeclarum est pro hac salutatione S. Augustini testimonium, cum narrat, die Paschae se iam processisse e Secretario, et ex altari populum salutasse: *Salutavi* inquit, *de Civitate Dei* Lib. XXII. cap. VIII. num 22. *populum; facto tandem silentio Scripturarum divinarum sunt lecta solemnia.* Huius item salutationis meminit Ambrosius Lib. *de Dignitate Sacerdotali* cap. V. Episcopus in hac Missae parte, de qua nunc agimus, dicit *Pax vobis*, quibus verbis Christus Dominus post Resurrectionem suam Discipulos salutavit, ut est apud Joannem cap. XX. Episcopus enim Christi figura est. In reliquis vero salutationibus dicit ut Presby-

teri *Dominus vobiscum*, ut declaret, se esse ex numero Sacerdotum iuxta animadversionem Innocentii III., *de Mysteriis Missae* Lib. 2. cap. 42. sive autem dicatur *Pax vobis, sive Dominus vobiscum,* tessera haec est mutuae communionis et pacis, qua fideles in Christi fide et charitate copulantur. Ideo Tertullianus Lib. *de Praescriptione Haereticorum* cap. 41. haereticos reprehendit, quod omnes sine personarum distinctione salutarent. *Pacem* inquit, *cum omnibus miscent.* Olim universus populi coetus Sacerdoti respondebat, ut ex Liturgiis, earumque Expositoribus apparet; idque Micrologus statutum ait in Occidente a Concilio Aurelianensi, ut scilicet non solum Clerici, sed omnis populus responderet *Et cum spiritu tuo.*

Caput XIII.

De Orationibus.

I. Sequitur post salutationem (1) ad populum oratio ipsius celebrantis, quae a vetustissimis temporibus in usu fuit ad Missam, atque ab Apostolica traditione dimanat. De his orationibus enim meminit Liber *Constitutionum Apostolicarum* Lib. II. cap. LVII., et saeculo IV. Concilium Laodicenum, a quo tres in Missa statuuntur orationes, una pro catechumenis, alia pro poenitentibus, tertia pro fidelibus. Morem hunc ab initio in Ecclesia observatum describit S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catech. Mystag.* 5. num. 8. *Super ipsa propitiationis hostia obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus... et pro iis omnibus qui egent auxilio.* Multae eleganti stilo S. Leonis Magni sunt elaboratae; auctae dein, restitutae identidem a S. Gelasio, et a S. Gregorio Magno. Posteriorum tamen Pontificum sunt nonnullae. Leoni enim II. tribuitur oratio: *Deus cuius dextera B. Petrum*, qui eam composuisse dicitur Neapolitanis adversus Saracenos pro Ecclesiae de-

(1) Espencaeus, *De Collectis* cap. I. et seqq.

fensione navali praelio pugnantibus. Innocentius vero III. auctor fuit Orationis *A cunctis*. A Gregorianis item, paucis exceptis, diversae sunt Ambrosianae a S. Ambrosio, et ab aliis eius Ecclesiae Episcopis compositae. Orationes composuerunt Alcuinus, et Grimoldus Abbas, quas Pamelius collegit tom. 2. *Liturgicorum*: itemque Musaeus Presbyter Massiliensis, et Voconius Episcopus Castellanensis in Mauritania, ut refert Gennadius Lib. *de viris illustribus* cap. 78. et 79. Sunt et aliae a recentioribus editae, quae facile dignoscuntur, si cum antiquis, et Gregorianis conferantur.

II. Cur huiusmodi orationes in vetustis Sacramentariis *Collectae* vocentur, variae sunt de hac re opiniones. Innocentius III., Lib. 2. *de Misteriis Missae* cap. 27.; et Joannes Beleth, Lib. *de div. offic.* cap. 37. *Collectam* proprie dici volunt eam orationem, quae olim super populum fieri solebat, quando collectus in unum erat cum universo Clero in una Ecclesia, ut ad aliam procederet, in qua statio celebranda erat. Tunc enim Episcopus, sive Sacerdos collecta omni multitudine, brevi oratione super populum uti solebat; ex quo fieri potuit ut ad reliquas huiusmodi orationes Collectae nomen dimanarit. Hinc Liber Sacramentorum S. Gregorii in Festo Purificationis S. Mariae duplicem habet orationem, quarum una inscribitur: *Ad Collectam ad S. Adrianum*, ubi populus, et Clerus colligebantur, ut inde procederent ad S. Mariam Maiorem, et incipit: *Erudi quaesumus Domine plebem tuam*: altera dicitur ad Missam, scilicet, *Omnipotens sempiterne Deus maiestatem tuam etc.* Alii tenent esse dictas *Collectas*, vel quia obiectum orationis ex selectis Sacrae Scripturae et Ecclesiae verbis compendiosa brevitate colligitur, vel quia Sacerdos legatione apud Deum pro omnibus fungens omnium vota in unum colligit. Celerum aliis quoque nominibus *Orationes* Missae designantur. Primum *Collectae* nomini adfine *Collectio* est; quo nomine Missale Gothicum, seu Gallicanum plerumque utitur, immo et Concilium Agathense anno DVI. can. 30. Secundum est *Benedictio*, ut in Capitulari Ca-

roli Calvi, ubi eius coronatio describitur apud Sirmondum T. III. opp. 386. Huius nominis rationem luculenter explicat Amalarius Lib. III. cap. IX. Quod vero benedictio pro *Collecta* accipi soleat, probatur etiam ex Regula S. Benedicti cap. II.

III. Concluditur insuper oratio obsecratione et obtestatione, per Jesum Christum qui est Mediator, et Redemptor noster. Ad Patrem enim dirigitur oratio, ut Concilio Carthaginense III. decrevit, et per Filium terminatur, sicut ipse praecepit dicens: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* De illa Collectarum seu Orationum clausula *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum* loquuntur Tertullianus et Optatus Millevitanus, quorum alter in *Apologetico* cap. 21. alter autem Lib. 3. Ex quo intelligitur, eam clausulam ab Apostolis esse derivatam, eamque Apostolos a Christo Domino accepisse. Modo diximus, dirigi orationem ad Patrem; Missa enim repraesentatio est illius oblationis, qua Christus sese obtulit Patri. Quod vero attinet ad numerum Collectarum, sunt quidam recentiores, qui asserunt Ecclesiam Romanam a temporibus Apostolorum tres orationes recitare consuevisse. In Sacramentario Gelasiano, quod edidit Cardinalis Thomasius, et post ipsum Mabillonius *Liturgiae Gallicanae* Lib. 3. et Muratorius in *Liturgia Romana vetere* idem evulgarunt, fere in omnibus Missis tres orationes, seu collectae per singulas Missas leguntur. In Ordine Romano, et Sacramentario Gregorii una tantum describitur. Cardinalis Bona putat orationes apud Latinos multiplicari coepisse in Monasteriis, quod ex Synodo Matisconensi habita, ut notat Sirmondus an. 627. deducit. Huc etiam spectat quod Matthaeus Paris refert in vita Abbatum S. Albani, Joannem scilicet eius Monasterii Abbatem constituisse, ne numerus Collectarum in Missa septenarium excederet. Quem numerum numquam excedendum esse docent Anonymus Turonensis in *suo Speculo Ecclesiae,* Joannes Belethus cap. 37. Durandus Lib. 4. Rationalis cap. 14. Non solum autem in Missae officiorumque divinorum solemniis Collectae o-

lim recitari solebant, sed in quocumque Clericorum seu Monachorum conventu, quoties simul orabant, qui praesidebat brevi collecta conventum dimittere solebat. Testis est huius consuetudinis Walfridus Strabo cap. 22. dicens, consuevisse veteres Patres, qui caeteris eminentiores erant, non solum inter officia Missae; verum etiam in aliis conventibus, et colloquutionibus brevi oratione opus concludere. Usum vero collectarum extra divina officia astruit etiam Gregorius Magnus *Lib. 5. Dialog. cap. 17.*

IV. *Amen* post conclusionem olim a populo respondebatur. S. Justinus *Apolog.* pag. 97. *Absolutis,* inquit, *precibus, et gratiarum actione, quilibet de populo, qui adest faustis vocibus acclamat Amen.* Hieronymus Lib. 2. *Epist. ad Galatas* narrat, in omnibus Romae templis auditam populi vocem clamantis *Amen*. Saeculo XIII. adhuc mos iste vigebat; nam testatur Durandus Lib. IV. cap. XV. a populo *Amen* post orationem responsum fuisse. Collecta expansis manibus, brachiisque protensis recitatur, eo scilicet habitu, qui fidelibus omnibus in utroque Testamento solemnis fuit. Ideo psallebat David: *Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum*: Psal. 27. *In nomine tuo levabo manus meas: expandi manus meas ad te.* Psal. 87. et alibi pluries. Apparent passim in cryptis et coemeteriis Romanae urbis virorum et mulierum extensis brachiis et elevatis manibus orantium antiquissimae picturae, quas Bosius spectandas exhibet in *Roma subterranea.* Nec aliud Apostolus significat cum Timotheo scribens, ait: *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus.* Consonant antiqui Patres. Non in sola Ecclesia Romana, sed in praecipuis etiam Galliarum Ecclesiis viguit olim consuetudo praecinendi laudes post collectam in insignioribus anni festivitatibus. Erant autem Laudes adclamationes festivae intra Missarum solemnia factae. Antiquum Rituale Manuscriptum Ecclesiae Turonensis editum a Martene Lib. 1. *de antiquis Ecclesiae Ritibus* cap. 4. art. 12. haec habet: *Vadit Subdiaconus in Pulpito ad Epistolam, sed antequam legatur, Cellelarius cum Clericis ante Altare Beati Petri inci-*

pit preces scilicet Christus vincit. Hoc dicto dicitur Epistola. Apud Goldastum tom. 2. part. 2. *Antiquitatum Alammanicarum* extant huiusmodi Laudes, quae ante Epistolam fieri solebant in plerisque Germaniae Ecclesiis. Similes laudes, sive acclamationes intra Missarum solemnia fieri quoque solebant Imperatoribus sicut legimus initio Libri XI. *Epistolarum Gregorii Magni.* Ritu antiquo Liturgiae Gallicanae post collectam chorus cantabat trisagium, et quidem graece et latine. Inde sequebatur canticum Zachariae *Benedictus Dominus Deus Israel*; quod tamen canticum in Quadragesima, cum aliis laetitiae hymnis supprimebatur. Hodie laudes hoc loco fieri solent Summo Pontifici eodem fere ritu in die dumtaxat suae coronationis.

Caput XIV.

De Epistola, Graduali, Tractu, et Sequentiis.

I. Ex Apostolica traditione (1) descendit ritus legendae Epistolae ad Missam. In novo Testamento S. Paulus Epistola 1. ad Corinthios cap. 14. *Cum conveneritis*, inquit, *unusquisque vestrum Psalmum habet, doctrinam habet:* quo in loco quidam intelligunt Psalmos et Lectiones ante Sacrificium: et 1. Epist. ad Thessalonicenses in fine ait Apostolus: *Adiuro per Dominum ut legatur Epistola haec omnibus sanctis fratribus*; et ad Colossenses cap. 4. *Cum lecta fuerit apud vos Epistola haec, facite ut et in Laodicensium Ecclesia legatur.* Quibus in locis etsi diserte non dicat Apostolus, ut earum Epistolarum lectio fiat in Missa, verisimile tamen fit, tempore Missae lectas esse eas Epistolas. Quamobrem statui posse videtur, Divinarum Scripturarum et Epistolae lectionem in Missa ab Apostolis esse introductam, quod monuere etiam Cardinalis Bona, Lib. 2. cap. 2. num. 1.; Bellotte, *in suis observationibus* pag. 396.; Grancolas, *Les anciennes Liturgies* pag.

(1) Martene, *De antiquis Ecclesiae Ritibus.* Lib. I. art. IV.

504.; Le Brun, *Explication de la Messe* tom. 1. pag. 202. Clare item hic ritus in Liturgia Jacobi Apostoli praescribitur. Idem asserunt antiqui Patres Tertullianus, in *Apologetico cap. 39.*; Justinus Martyr, *Apologia secunda*; eadem in Apostolicis Constitutionibus, et in Basilii, Chrysostomi, aliorumque Liturgiis praecipitur, tamquam sacri ministerii notabilis pars, per quam ad Divini Sacramenti participationem fidelium animi disponuntur. In vetustis Codicibus Epistola dicitur *Lectio ex Apostolo*, quae etsi interdum ex aliis quoque Veteris Novique Testamenti Libris; plerumque tamen ex Epistolis Divi Pauli desumitur; atque inde Lectioni post Collectam Epistolae nomen est inditum. Series vero et ordo Lectionum atque Epistolarum, et Evangeliorum, quae singulis diebus per annum in Missa Sacrificio legi debent vulgo Divo Hieronymo tribuitur, qui librum composuit appellavitque *Comitem*, quem edidit Pamelius tom. 2.

II. Usus veterum Patrum fuit non solum scripta Prophetarum, et Apostolorum legere in Ecclesia, cum fideles ad Missam conveniebant, sed summorum item Pontificum, aliorumque Episcoporum Epistolas, eas praesertim quas *Pacificas* sive *Communicatorias* vocabant. Epistolam Clementis ad Corinthios publice lectam in Ecclesia testatur Hieronymus Lib. *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Apud Eusebium Lib. 4. cap. 15. extat eius generis Epistola Smyrnensis Ecclesiae ad omnes Orthodoxos, qua S. Polycarpi Martyrium describitur. In collatione Carthagine habita pro defensione Felicis, et Caeciliani legimus, quod pro executione impii edicti Diocletiani traditae sunt literae salutatoriae simul cum sacris Codicibus, qui legebantur in Ecclesia. Prisco ritu in multis Ecclesiis Lectioni Epistolae lectio aliqua ex Prophetis praemitti solebat, diebus praesertim solemnioribus. Hic autem mos ab Ecclesia Mediolanensi quotidie servatur, itemque a Mozarabica, ut in eorum Missalibus patet. Locus legendae Epistolae erat ambon ad id destinatus. In vetustissima S. Clementis in urbe sacra Ecclesiae duo a dextra parte chori ambones visuntur, alter versus Altare per Episto-

la legenda, alter pro legendis prophetiis versus populum: tertius vero a sinistris tantisper altior, et ornatior pro Evangelio. Quo vero tempore coeperint Subdiaconi legere Epistolam dubium est. In antiqua Subdiaconi Ordinatione, sive ex Concilio Carthaginensi, sive ex Ordine Romano, nihil prorsus reperitur, quod ad legendam Epistolam referri possit: idque fusius ostendunt Hallier, *de materia et forma ordinationis* §. 16.; et Morinus, *de sacris ordinationibus* P. 3. *exerc.* 12. cap. 2. Id munus erat Lectorum. Lector autem olim per traditionem Codicis ordinabatur, qui ritus adhuc hodie perseverat, et in Ecclesia Orientali traditur eis Codex Epistolarum S. Pauli, quas publice legunt in Ecclesia. Cardinalis Bona, et Martene, putant Subdiaconos in Ecclesiis legere coepisse Epistolam saeculo octavo. In fine Epistolae a populo respondebatur, *Deo gratias*, sicut hodie fit a ministro in Missis privatis. Haec formula sumpta est ex Apostolo Paulo, in cuius Epistolis frequenter ea legitur. Primi Christifideles, ut S. Augustinus Epistola XLI. n. 1. testatur, frequenter in ore habebant hoc verbum, *Deo gratias*, dum inter se colloquerentur. Lectio autem in eum finem instituta est, ut Christianus populus erudiatur et per eum ad Sacrificium praeparetur. Qui vero mystice tractant de Missae Sacrificio, docent ideo ante Evangelium Epistolam legi, non quod huic illud dignitate praestet, sed quod Apostoli praeibant Christo, qui eos mittebat binos ante faciem suam. Et Innocentius III. Lib. 2. *Mysteriorum Missae* cap. 29. ait, Epistolam ante Evangelium legi, ut significetur munus Praecursoris Christi, qui venit parare vias eius.

III. Paucis verbis facturi sumus de *Graduali* et *Tractu* in Missa, quod hanc spartam uberrime ornavit praestantissimus Cardinalis Josephus Maria Thomasius in *Disquisitione antiquorum rituum cantuum Missae*. Aliqua ex tanto fonte delibabimus; et aliunde etiam deducta proferemus. Psalmus responsorius, sive *Responsorium Psalmi* post Epistolam a primis Ecclesiae temporibus originem habet. Integer vero ab initio Psalmus cantabatur. De hoc

more testis est Augustinus *Sermone VIII. de verbis Apostoli: Apostolum*, inquit, *audivimus*, *Psalmum audivimus*. Item alio loco *Sermone X. de verbis Apostoli: Lectionem Apostoli audivimus, deinde cantavimus Psalmum, post haec Evangelica Lectio*. Contractum fuit Responsorium sub finem saeculi V. At nondum contractum fuisse videtur sub Leone Magno, quod morem huius Psalmi ab initio ad finem decantandi ipse innuat in Sermone II. cap. 1. de anniversaria die suae assumptionis ad Summi Pontificis munus, dum ait: *Unde et Davidicum Psalmum, dilectissimi, non ad nostram elationem, sed ad Christi Domini gloriam consona voce cantavimus*. Psalmus enim Davidicus CIX. in solemnitate consecrationis Pontificis decantari solebat. Hic autem mos, ut integer Psalmus diceretur, iamdiu absoleverat in Ecclesia Romana S. Gregorii aevo; nam id apparet ex eiusdem Sacramentario, et Antiphonario. Integer psalmus gradualis in hodiernis Missalibus adhuc legitur ex prisco ritu Dominica Prima Quadragesimae, Dominica Palmarum, et Feria VI Parasceves. Appellabatur autem *Responsorius gradalis*, seu *Responsorium Gradale* aut *Graduale*, quod uno canente, chorus consonando respondeat: et Graduale dicebatur, eo quod cantaretur in inferiori gradu ex Ordine Romano, vel iuxta gradus ambonis seu pulpiti, in quo legebatur Evangelium; vel quia cantabatur, dum Diaconus ascenderet gradus Evangelici pulpiti ex Walafrido Strabone cap. 22. cui consentiunt Bellarminus Lib. 2. *de Missa* cap. 16., vel etiam in gradibus Altaris, uti Durandus ait Lib. 4. *Rationalis Divinorum Officiorum* cap. 19. Ex his variae de *Gradualis*, seu Gradalis nomine sententiae quarum illa praeferenda videtur, quam ex Ordine Romano selegit Cardinalis Bona *Rerum Liturgicarum* Lib. II. cap. VI. scilicet ab ambonis gradibus ita nuncupatum. Unus tantum ex maioribus cantoribus in Ecclesia Romana Responsorium Gradale usque ad saeculum X. praecinebat. De Responsorio Graduali, ut id etiam moneam, agunt omnes Scriptores Liturgici, nimirum vulgatus Alcuinus, *de divino officio* cap. XL.; Amalarius, Lib. III.

cap. XII.; Rabanus Maurus, *De Institutione Clericorum* Lib. I. cap. XXXIII.; Honorius Augustodunensis, Lib. I. cap. XCVI; Hildebertus Cenomanensis, *in Expositione Missae:* Rupertus Tuitiensis, Lib. I. *de divinis officiis* cap. XXXIV. Ad Tractum propero. Hoc nomine donatur, quod *tractim* dicatur, scilicet Cantores, cum Tractum canerent, cantum in longum protrahebant sine intermissione, sine ulla interruptione. Tractus occurrit in vetustissimis Liturgiis. Auctor Tractuum vel Caelestinus, uti Berno, *de officiis Missae*; vel Gelasius, uti Rupertus, Lib. 2. *de divinis officiis* cap. 21.; vel Telesphorus, uti Durandus, Lib. 4. cap. 21. putant, vel hi omnes perfecere, uti Gavantus authumat. Graduale, quod doloris laborisque signum sit, tempore Paschali omittitur, cum laetitiae tempus illud sit, ut observat Gavantus.

IV. Prosae illae, seu rythmicae modulationes, quae rarius in Romana Ecclesia, in aliis quibusdam frequentius post *Alleluia* cantantur, sequentiae dictae sint, quia loco Sequentiae psalli coeperunt. De auctoribus Sequentiarum diffuse tractat Cornelius Schultingius tom. 1. pag. 2. cap. 6. et 7. *Bibliothecae Ecclesiasticae* et de singulis iudicium profert, sed non semper exactum: multas enim perperam tribuit Sanctis Pontificibus Gelasio et Gregorio. Communis autem sententia est primum earum Auctorem fuisse Notkerum Abbatem S. Galli, qui earum volumen Lituvardo Vercellarum Episcopo obtulit, ut Eckerardus Monachus in vita eiusdem Notkeri scribit cap. 16 et sequentibus, apud Goldastum tom. 2. *Rerum Alammanicarum*. Plures etiam saeculo XII. composuisse fertur Adam de S. Victore. In pluribus Missalibus tum manuscriptis, tum editis habentur Sequentiae pro omnibus diebus Dominicis, et festis per annum, exceptis diebus a Septuagesima usque ad Pascha. At in Romana Ecclesia quatuor dumtaxat cantari solent, Paschalis nimirum, quae incipit *Victimae Paschali*, cuius auctorem esse Notkerum nonnulli asserunt. Altera est diei Pentecostes, *Veni Sancte Spiritus*, quae Roberto Galliarum Regi adscribi solet, licet a nonnullis tribuatur Hermanno Contracto. Tertia est

S. Thomae Aquinatis pro festo Corporis Christi, *Lauda Sion Salvatorem*. Quarta denique canitur in Missis Defunctorum, *Dies irae dies illa*, quam diversis diversi tribuunt. Leander Albertus et ex eodem Abraham Bzovius ad an. 1292. num. 37. Latino Cardinali Ursino Ordinis Praedicatorum adscribunt; Lucas Wadingus Thomae de Celano Ordinis Minorum, alii apud Wadingum S. Bonaventurae vel Matthaeo Aquaspartano ex Generali Minorum Cardinali. Possevinus in *Apparatu sacro* auctorem esse Umbertum V. Generalem Ordinis Praedicatorum. Jacobus Ludovicus a S. Carolo in *sua Bibliotheca Pontificia* ait Innocentium III. huius Sequentiae mortuorum auctorem esse, quam tamen Beato Jacopono tribuunt Justus Fontaninus *de Itala Eloquentia* Lib. 2. cap. 8., et alii nonnulli. Porro circa Sequentias, aut huiusmodi prosas plura profert Jodocus Clictovaeus Lib. sui *Elucidatorii*. Item de iisdem nonnulla habent Carolus Guyetus in sua *Hertologia* seu *de Festis Locorum propriis* Lib. 3. cap. 25. quaest. 6. et post ipsum Meratus in Gavantum tom. 2. *edit. Ven.* pag. 64. et 83. aliique plures.

Caput XV.

De Evangelio.

Evangelium semper in Ecclesia (1) lectum fuisse, omnium veterum Patrum consentio est. A Beato Petro Apostolorum Principe constitutum fuisse, ut in Ecclesiis Evangelium S. Marci legeretur, tradit Eusebius *Historia Ecclesiastica* Lib. II. cap. XV. Quid nunc memorem Justinum Martyrem, Tertullianum, Cyprianum, Optatum, Augustinum, Concilium Laodicenum can. XVI., et alios qui hunc morem astruunt? Insuper de eadem re fidem luculentissimam faciunt, Liturgia quoque S. Marci Evangelistae ex pervetusto Codice illustris Monasterii Rossanensis, ex quo sapientissimus Cardinalis Gulielmus Sir-

(1) Catalano, *De Codice Sancti Evangelii*. Liber II. Caput I. et seqq.

letus eam describi curavit, Evangelicae Lectionis in Missa mentionem facit. In qua autem Missae parte Evangelium olim legeretur, edicit Concilium Valentinum can. I. constituens: Ut Sacrosancta Evangelia, ante munerum illationem in Missa Catechumenorum, in ordine lectionum post Apostolum legantur: quatenus salutaria praecepta Jesu Christi Domini nostri, vel Sermones Sacerdotis, non solum fideles, sed etiam catechumeni, ac poenitentes qui adverso sunt, audire licitum habeant. Illud quoque vetustissima Ecclesiae Catholicae consuetudine receptum fuit, ut certo ac distincto ordine Evangelia singulis diebus per anni circulum in Missae Sacrificio legerentur. Cuius moris S. Augustinus non uno in loco luculentum exhibet testimonium. Insuper certum quidem est, morem qui nunc viget lectionis Evangelii per Diaconum intra Missarum solemnia faciendae ab antiquissimis temporibus in Ecclesia tum Graeca, quum Latina ubique fere terrarum invaluisse. Pervetustus Auctor Constitutionum Apostolicarum postquam Lectiones Veteris Testamenti Lectori assignasset, Evangelii lectionem diserte attribuit Diacono. In Oriente, et in Africa eo munere functos esse Diaconos docent Sancti Hieronymus, et Augustinus. Ille ad Sabinianum scribens: *Evangelium* inquit, *Christi quasi Diaconus lectitabas.* Hic de S. Stephano loquens *Sermone CV. Diaconus erat, Evangelia legebat, quae legis vel audis et tu.*

II. In edita, atque sublimi Ecclesiae parte Sacrum Jesu Christi Evangelium antiquitus, et nunc etiam alicubi legi consuevit, et locus ipse *Suggestus, Pulpitum, Tribunal et Ambon* est appellatus. Olim Diaconus, dum Evangelium in ambone legeret, versus ad meridiem, ad quam partem viri confluebant, consistebat. Hic mos in Ecclesia Romana saeculo etiam XII. perseverabat. Solemne fuit Christianae Ecclesiae ab Apostolorum aevo thus, et lumina in Divinis Officiis adhibere, nam praeterquam quod eorum meminerint Canones Apostolorum, ac antiquissimae Liturgiae, veteres etiam Patres non semel illa commemorant; unde non mirum si Tridentina Synodus

sess. XXII. cap. V. inter caeremonias in Sacrificio ex Apostolica traditione adhibendas, lumina quoque, et thymiamata recenset. His opportune delibatis, proprius nunc lectionem Evangelii attingamus. Praecipit in primis Ordo Romanus incensum semper deferri ante illud, sive ad Altare, sive ad Ambonem procedatur. Idipsum de cereis praescribunt omnes Liturgici, et testem habemus S. Hieronimum adversus Vigilantium Lib. III. cap. XVIII. *Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria iam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum laetitiae demonstrandum.* Crucem quoque praecessisse ad Evangelii lectionem non sine mysterio tradit Gulielmus Durandus Libro IV. *Rationalis divinorum officiorum* cap. XXIV. quem morem retinent Ecclesiae nonnullae in Regno Neapolitano. Laudatissimus apud Judaeos mos viguit, ut Levitae, ante sacram Divinae Legis lectionem silentium iuberent, quemadmodum perspicuis verbis Esdras demonstrat, Libro II. cap. VIII. Quod autem Levitae in Synagoga, id in Christi Ecclesia Diaconi praestiterunt; ipsos enim ante Evangelium, seu quamlibet aliam Sacrae Scripturae recitationem, silentium imperare consuevisse, non semel indicant Liturgiae vetustissimae, saepius vero luculenta Sanctorum Patrum testimonia manifestant.

III. Diaconus in ambone consistens populo Evangelium enuntiaturus, cum primo alta voce salutabat iis verbis: *Dominus vobiscum* : *Quatenus*, ait auctor nomine Alcuini *de Divinis Officiis, cap. de celebratione Missae, corda illorum a mundanis cogitationibus Dominus emundet, et ad suscipienda verba salutifera aperire dignetur.* Est autem haec salutatio adeo vetusta, ut eam a Veteri Testamento in Christi Ecclesiam apostolica traditione dimanasse ingenue fateatur Concilium Bracarense I. anno DLXIII. can. III. Ritus est etiam antiquissimus ut Diaconus statim post salutationem pronuntians : *Sequentia Sancti Evangelii*, signet primo librum Crucis signaculo, quasi dicat, ait Innocentius III. *Hic liber est Crucifixi* ; deinde vero seipsum in fronte, in ore, in pectore. In fronte, vide-

licet, iuxla S. Augustinum, in sede ipsius verecundiae, ut eliminata omni verecundia, cum Apostolo non erubescat de Evangelio Salvatoris; in ore, quia ut idem ait Apostolus, *praedicamus Jesum Christum, et hunc crucifixum*; in pectore tandem, ne aliqua suggestio diaboli eum impediunt, quin puro corde Evangelium Dei annuntiare valeat. Haec Innocentius. Alii multa in rem ipsam disserunt. Ritus alter olim a Clero, et populo ad Evangelii lectionem servari solitus is erat. Audito Evangelii nomine, nempe *Sequentia Sancti Evangelii*: vertentes se ad Altare cum reverentia respondebant: *Gloria tibi Domine* glorificantes Dominum, ait Innocentius III. Lib. III. *de Mysteriis Missae* cap. XCVI. quod miserit eis verbum salutis; vel quasi dicerent, inquit Durandus, Gloria tua, quae nobis in Evangelio praedicatur, nobiscum sine fine permaneat et semper crescat. Insuper initio nascentis Ecclesiae id moris fuit, ut sacram Evangelii lectionem Clerici perinde ac laici non sedentes, sed stantes audirent, eique summo silentio, ac religioso studio venerationem exhiberent. Testatur id quidem perspicue in primis pervetustus Auctor *Apostolicarum Constitutionum* Lib. II. cap. LXI. ut tamquam servi ante Dominum se promptos, et paratos ostendant ad exequenda mandata Dei, quae in Evangelio promulgantur. Summa quoque apud Graecos olim Evangelia veneratione audiebantur; curvi enim et detecto capite stabant, dum illud legeretur; qua de re Leo Allatius *in Dissertatione de Libris Ecclesiasticis Graecorum*. Adi de huiusmodi reverentia apud veteres Christianos Joannem Baptistam Cotelerium *in Constitut. Apostol.* Lib. II. cap. LVII. pag. 117. Insuper antiquo ritu statim ac Diaconus incipiebat Evangelium, omnes baculos deponebant: cuius rei plures causas, sed symbolicas afferunt Amalarius, Lib. 3. cap. 18.; Honorius, Lib. 1. *Gemmae* cap. 24.; Durandus, Lib. *Rationalis* cap. 24. et alii recentiores. Lecto Evangelio, fideles olim dixisse *Amen*, Beleth *in Explicatione divinorum officiorum* cap. 39. et Durandus Lib. 4. cap. 24. testes sunt, quod etiam in Missa Mozarabum, et in Regula S. Benedicti

cap. 11. praescribitur. Addit Alcuinus ex Ordine Romano populum se signo Crucis munire tunc consuevisse, ut quod ex divinis eloquiis ad salutem percepit, signatum sigillo Crucis atque munitum permaneat. Ritus est aeque antiquissimus, ut expleta lectione Evangelii, Celebrans, ac Clerici omnes librum oscularentur, in signum venerationis, et communionis cum Domino Jesu Christo, et doctrina eius, ut sapientissime docet Jonas Aurelianensis Episcopus praefatione Libri II. *de cultu Imaginum*. Jacobus Eveillon Libro *de Processionibus Ecclesiasticis*, diserte docet osculum istud Christo in Evangelio datum, significare actum Fidei internum, quo assensum praebent omnes veritati Evangelicae annuntiatae. Quantum ad laicos, etiam ipsos ad Evangelium osculandum fuisse admissos, testatur Ordo Romanus, et vetus Missae expositio ex vetusto codice apud Hittorpium. Honorius Augustodunensis *de antiquo ritu Missarum* cap. XIX. tradit Evangelium cum inceuso per chorum delatum, et singulis ad osculandum porrectum, ob hanc rationem, quia Apostoli Jesum Christum odorem vitae per mundum praedicaverunt, et cunctis gentibus per verbum eius, pacem aeternam praebuerunt.

IV. Olim post Evangelii lectionem precationes nonnullae a Diacono et a caeteris dicebantur. Harum precationum formulas varias Missa Illyrici refert, hoc, ut sequitur, pacto: *Perlecto autem Evangelio Diaconus dicat : Per istos sermones Sancti Evangelii tui, indulge mihi Domine omnia peccata mea. Per istos sanctos sermones Evangelii Domini nostri Jesu Christi, indulgeat nobis Dominus universa peccata nostra.* Aliae formulae ad osculum Evangelii in Codice Monasterii S. Dionysii, nempe: *Ave sanctum Evangelium, salus, et recreatio animarum nostrarum.* Verba adprecatoria *Pax tibi*, quae a Pontifice, finito Evangelio, ad Diaconum dicebatur, commemorantur in Ordine Romano I.; item in Romano III. Olim quoque post Evangelium pueri a parentibus Monasterio offerebantur. Puer autem panem et vinum pro usu Sacrificii offerebat, quem ritum erudite et diffuse explicat Menardus ad ca-

put 66. *Concordiae Regularum*. Item post Evangelium in plerisque Ecclesiis publici poenitentes absolvi et reconciliari solebant, ut ostendit Morinus Lib. 8. *de Poenitentia* cap. 14. At vero in aliis hanc absolutionem impendebant Sacerdotes post consecrationem , antequam oratio Dominica recitaretur. Quandonam vero mos coeperit in Ecclesia Romana, ut Evangelium graecum post latinum legeretur, adhuc obscurum est, nam vetustiores libelli Ordinis Romani silentio id praetereunt. Primus Evangelium graecum in Missa Romani Pontificis memorat Benedictus Canonicus qui vivebat A. D. 1143. Jamdiu in quibusdam Ecclesiis consuetudo vigebat, ut nonnullis diebus graecae lectiones, atque cantus inter Missarum solemnia intermiscerentur. Evangelii lectione finita, veteres Ecclesiae Patres ut plurimum exordiri consueverant conciones. Eiusdem ritus testimonia frequentissima sunt apud Originem , Hilarium , Ambrosium , Augustinum , Chrysostomum , Gaudentium, Chrysologum, Leonem, Gregorium Magnum, et alios quorum sermones habemus. Extant etiam in Conciliis sanctiones multae huc spectantes. Hic mos nunquam interrupta serie ab initio Ecclesiae usque ad nostra tempora servatus est, ut proxime post Evangelium sermo, sive Homilia, vel Tractatus ad populum haberetur. Exploratissimum est enim, olim Catechumenos, et Audientes, dicto Evangelio, ex Ecclesia, conclamante Diacono abire iussos; quippe quia quae post Evangelium sequuntur, pertinent ad Missam Fidelium, quae vero ab Introitu ad Evangelium, Missa Catechumenorum dicebatur.

Caput XVI.

De Symbolo et Offertorio.

I. De Symbolo, quod in Missa canitur, nunc sermo fiet. Quis omnium primus illud Liturgiae inseruerit, aut cantari praeceperit, incertum est. Si incertae fidei monumentis innitendum esset, origo Symboli in Missa de-

cantandi Nicaeno primum, deinde CPolitano Conciliis tribuenda esset. Radulphus Tungrensis prop. 23. a Marco Papa, Sylvestri successore, sancitum fuisse ait, ut Symbolum Nicaenum in Missa diceretur. At Innocentius III. Lib. 2; *de Mysteriis Missae* cap. 49. et alii passim scribunt S. Damasum id recitari iussisse ad exemplum Graecorum. In hoc autem conveniunt omnes, quod publice cantari coeperit in Ecclesiis Orientalibus adversus pravas Haereticorum opiniones, a quibus postea ad Occidentales laudabilis usus transfusus est. Hunc morem Hispani primi inter Latinos receperunt. Extat de hac re decretum Concilii tertii Toletani anno 589. c. 1. *Ut per omnes Ecclesias Hispaniae secundum formam Orientalium Ecclesiarum Concilii CPolitani, hoc est centum quinquaginta Episcoporum, Symbolum Fidei recitetur; ut priusquam Dominica dicatur oratio, voce clara a populo decantetur*. Etherius, et Beatus in Libris contra Elipandum morem decantandi Symbolum in Hispaniis testantur. Sancitam a Toletanis Patribus disciplinam amplexati sunt quidem Galli et Germani, sed tantum ineunte saeculo IX. Carolo Magno Imperatore, et Leone III. Pontifice Maximo, post Felicis, et Elipandi Episcoporum Hispanorum solemnem condemnationem, ut testatur Walfridus in Libro *de rebus Ecclesiasticis* cap. XXII. Quantum ad tempus quo Romana Ecclesia in publica Missarum celebratione praefatum Symbolum recitandum admiserit, Cardinales Caesar Baronius, et Joannes Bona, itemque Hugo Menardus, Lupus, Guyetus, Gavantus, Casalius, aliique sacrorum Rituum explanatores pro comperto habent, id accidisse ineunte saeculo undecimo, anno scilicet millesimo decimo quarto iubente Benedicto VIII. Pontifice Maximo, et inniluntur auctoritati Bernonis Abbatis qui Libro secundo *de rebus ad Missam pertinentibus* id aperte testatur. Neque enim desunt alii, uti Mabillonius, Georgi, et Martene, nec infirmis sane innixi rationibus, ante Benedictum VIII. in Romana Ecclesia recitari Symbolum consuevisse. Ita enim habent vetustissimi libelli Romani Ordinis. In Ordine Romano II. n. 9. legitur: *Post lectum*

Evangelium, candelae in loco suo extinguuntur, et ab Episcopo Credo in unum Deum cantatur. Ordo V. num. 7. *Perlecto autem Evangelio, dicat Episcopus Pax tibi; et postea, Credo in unum Deum.* In Ordine VI. num 7. *Sin autem Episcopus praedicare noluerit, alta voce incipiat canere Credo in unum Deum.* Amalarius praeterea in Eclogis seu excerptis ex Ordine Romano aperte Symbolum, idest Credo post Evangelium commemorat. Et quamvis Le Brun tom. 1. pag. 245. epocham introducti huius ritus in Ecclesia Romana, ad Benedicti VIII. tempora constitueral, tamen tom. 2. ea affert documenta, quibus ostenditur, iam a nono usque saeculo in Ecclesia Romana morem fuisse in Missa Symbolum recitandi. Meminere porro de Symbolo ad Missam cantando saeculo XII. Honorius Augustodunensis, Lib. I. cap. XXV.; Rupertus Tuitiensis, Lib. II. *de Divinis Officiis* cap. 1.; qui et docet, interim dum Symbolum cantatur a *Subdiacono apertum circumferri Evangelii Librum, omnibus religioso osculo salutandum, quem ad Introitum portaverat clausum.*

II. Crucis signum, quod in Symboli fine fieri solet, antiquissimam habet originem. Refert enim Rufinus, in Ecclesia Aquiliacensi aevo suo, in fronte signum Crucis fieri consuevisse ad ea verba, *carnis resurrectionem.* Concilium porro Toletanum IV. Symbolum singulis Dominicis diebus recitari praescribit; Micrologus refert recitatum fuisse in Missis Festi Nativitatis Domini, in octavis Festorum solemnium, et in Epiphania Domini. Certum est ritum recitandi Symbolum in Romana Ecclesia ea ratione inductum fuisse, ut non quotidie recitaretur, sed certis tantum solemnioribus diebus nonnullisque Sanctorum Festis, ex quo ipsummet Symbolum factum est maioris solemnitatis indicium, et argumentum. Causae autem cur certis diebus festis prae aliis Symbolum recitetur ad Missam tres sunt, uti observat Guyetus *Heortologiae*, Lib. 3. cap. 28. quaest. 3. videlicet Mysterium, Doctrina, et Celebritas. Ratione Mysterii dicitur in omnibus festis Christi Domini, et Beatissimae Mariae Virginis, quippe quorum mysteria in eo explicite, vel implicite conti-

nentur. Ratione doctrinae Fidei verbo, et scripto traditae, dicitur in Festis Apostolorum et Doctorum. Denique ratione celebritatis dicitur in Festis Patronorum, et aliis propriis locorum seu Ecclesiarum, ad quas inquit Gavantus, fit populi concursus. Recitatur et in Festis Sanctorum Angelorum, quia et horum Spirituum Beatorum in Symbolo fit mentio, cum dicitur *Creatorem caeli, et terrae, visibilium omnium, et invisibilium*. In festis S. Crucis, quia in iis narratur Passio, et mors Domini nostri Jesu Christi. Gregorius XIII. Symboli recitationem praescripsit in festis quatuor Ecclesiae Latinae Doctorum, quibus Pius V. addit quatuor Ecclesiae Graecae, et Divum Thomam, quibus adnumeratus est a Sixto V. Divus Bonaventura. Symbolum Constantinopolitanum canitur in Missa, quia in eo dogmata orthodoxa clarius exprimuntur, et omnes haereses eo usque exortae plenius confutantur. Hoc autem Symbolum in Missa Mozarabica non post Evangelium, sed post canonem a Sacerdote, et populo dicitur, et interim Sacerdos hostiam consecratam super Calicem tenet. Graeci ex praescripto Sancti Joannis Chrysostomi illud ante Praefationem, et Canonem decantant. Maronitae similiter ipsum habent in sua Missa, sed morem sequuntur Latinorum.

III. Post Symbolum, et quando non dicitur, post Evangelium Sacerdos salutat populum et excitat ad orandum. Tum Chorus canit Antiphonam, quae Offertorium nuncupatur, quia antiquo more Populus interim sua dona offerebat. Ex eo suum traxit nomen Offertorium, quod fideles iuxta veterem consuetudinem panem, et vinum, in Sacrificii usum offerrent, ut observant Valfridus cap. 22., et Micrologus cap. 10., et quamquam usque ad IV. saeculum eiusmodi oblationis tempore nihil recitabatur aut canebatur; tamen in Ecclesia Carthaginensi a S. Augustini usque temporibus mos introductus fuit, ut interea versiculi aliquot canerentur ex Psalmis. Quis eam Antiphonam cantari instituerit, non liquet. Plerique a Gregorio Magno primo institutam asserunt, quia in suo Antiphonario propriam singulis Missis assignavit. Apud

S. Gregorium singula Offertoria plures versus habent adiunctos, et quandoque integer Psalmus, repetita post singulos versus Antiphona cantari solebat, ut toto illo tempore populus Clericorum voces audiret. Haec antiphona omittitur in sola Missa Sabbati Sancti, quia in hac Missa vestigium conservatum fuit veteris disciplinae, in qua antiquitus, uti observavimus, nihil canebatur: dum oblationes a populo offerebantur.

Caput XVII.

De Oblationibus.

I. Res postulat, ut de oblationum in Ecclesia origine, earumque forma disceptemus. Satius tamen duxi nonnulla in medium afferre, ex viris praestantissimis Baronio, Sirmondo, Mabillonio, de Berlendis aliisque. In ipsius Ecclesiae exordiis a Christifidelibus, dum singulis diebus Dominicis in unum convenirent, ut habet Apostolus, 1. Cor. cap. XVI. oblationes fiebant. Justinus Martyr Apolog. II. pag. 97. edit. an. 1615. meminit semel, ac iterum de panis, vini, et aquae oblatione. *Deinde*, inquit, *ei qui fratribus praeest*, idest Episcopo, *offertur panis et poculum aquae, et vini*. Mox: *Et sicuti retulimus, precibus peractis, panis offertur, et vinum, et aqua.* S. Cyprianus *in Libro de opere, et eleemosynis* cap. V. aperte loquitur de oblationibus ad Altare. Egregius de oblatione panis, et vini pro Sacrificio locus est in Actis Martyrii Sancti Theodoti Ancyrani, et septem cum eo Virginum, Diocletianea persecutione A. D. 303. interfectarum. Hunc morem respicit Canon Concilii Carthaginensis III. A. D. 397. *Concil.* tom. 11. pag. 1170. *Ut in Sacramentis Corporis, et Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis et vinum. Nec amplius in Sacrificiis offeratur, quam de uvis, et frumentis.* Ne vero aliquando oblationes a fidelibus intermitterentur, statutum est a Concilio Matisconensi II. A. D. 585. *Concil. tom. V. pag. 987.*: *Ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio*

ab omnibus viris, et mulieribus offeratur, tam panis, quam vini: ut per has immolationes, et peccatorum suorum fascibus careant, et cum Abel, vel caeteris iustis offerentibus, promereantur esse consortes. Iisdem verbis loquitur Fabianus Papa in decretis ei tributis.

II. Oblationes autem nonnisi a fidelibus, qui in communione Ecclesiae erant, nimirum qui neque poenitentes, neque communione privati essent, afferri poterant. In rem hanc sunt decreta Concilii Illyberitani, Nicaeni, Ancyrani, Vasensis, et Arelatensis. Azymo potius quam fermentato in consecratione Corporis Christi, ut id obiter moneamus, usa semper fuisse videtur Romana Ecclesia satis superque a viris doctissimis ea de re in utramque partem disputatum est, ac pro azymi usu decertant Mabillonius, *in Dissertatione de Azymo, et Fermentato*; Ciampinus, *in Disquisitione de Azymo*; et Cardinalis Thomasius. Cuius magnitudinis, et sub qua forma primorum Christianorum panis oblationes essent, adhuc eruditorum cognitioni subducitur. Joannes Diaconus ab Onufrio Panvinio relatus, apud Mabillon in Ordinis Romani Commentario pag. 45 hanc antiquitus iuxta offerentium pietatem et religionem fuisse autumat: *Oblationum* inquit, *forma atque mensura, cum videatur fuisse antiquitus, prout erat cuiusque studium atque devotio in Religione divina.* Attamen figura sphaerica panis offerendi, quamvis Graeci ut plurimum quadrangula utantur iuxta Gabrielis Philadelphiae, et Leonis Allatii Lib. 3. *de Consensu Occidentalis et Orientalis Ecclesiae* cap. 15. 18. testimonium, et in quatuor lateribus, quibusdam literis *signabatur, nimirum* IC XC NK quae significant *Jesus Christus vincit* nihilominus figurae orbicularis praxis veluti satis antiqua debet in Ecclesia dignosci; cuius mysterium explicat Durandus Lib. 4. cap. 30. dicens: *quod sic hostia efformatur; ut significetur Christus, qui est Alpha et Omega, Dominus Orbis et in rotunditate hostiae Sacrificii nostri perpetuitas usque ad finem mundi.* His adde vetustissima, ac praeclara monumenta. S. Epiphanius oblatas rotundas fuisse docet in *Ancorato* Lib. IV. cap. IV. Hoc item conspicitur in fi-

gura antiquissima panum pro Sacrificio, quae in celebri Sancti Callisti Caemeterio olim fuit picta; in illis enim panibus, sicut etiam aliae eiusdem aetatis picturae demonstrant, rotunditas oculis subiicitur. Eadem panis rotunditas suadetur ex Historia translationis S. Otmari Sancti Galli Abbatis defuncti anno 759. ab Isone Monacho descripta cap. 3. Ernulphus Episcopus Roffensis A. D. 1122. scribens de ritibus Eucharistiae sumendae ad Lambertum, docet, qua forma hostia fieret: *Nos*, inquit, *in forma nummi panem accipimus, vinum aqua mixtum potamus*. Quo autem tempore in Ecclesia panis oblationum sub levissima, et subtilissima forma non in clibano coctus, sed diverso artificio intra ferrum compressus et obsignatus, initium habuerit, hoc tuto prestare nequaquam possumus.

III. Ritus autem, quo conficiebantur oblatae, magna religione priscis temporibus servatus est. Quarto Christi saeculo testis oculatus est Palladius *in Historia Lausiaca* cap. CXLV. se vidisse Candidam Traiani magistri militum uxorem, *tota nocte laborantem, et molentem, et propriis manibus facientem panem oblationis*. Nota sunt, quae de S. Radegunda tradit in eius vita Fortunatus Lib. II. cap. XII., et de muliere, cuius meminit Johannes Diaconus in vita S. Gregorii. Panis autem fuit semper candidi coloris, quod colligitur ex pluribus monumentis ecclesiasticis. Oblatae praeterea figura Crucis Christi Domini exornabantur. Rem docte illustrat Sirmondus *in Disquisitione de Azymo*, ex Synodo Turonensi II. can. III. ex Synodo V. Arelatensi can. 1. et ex veteri Codice Bibliothecae S. Germani Parisiensis, ubi oblatae rotundae cum Crucis signo visuntur. Nec vero Latinis tantum solemne hoc fuit. Cruces nunc etiam oblatis suis apponunt Orientales. Oblationum pars in usum Sacrificii absumebatur, pars in Eulogias, seu panem benedictum. Priscus ritus fuit, ut omnes fideles offerentes ad altare oblationem non afferrent, laicis enim semper interdictum fuit *Presbyterium et Sanctuarium* ingredi. Quae nunc vigent, priscarum oblationum reliquiae, sunt in Missa de Consecratione Epi-

scopi, ubi electus in Episcopum, ut et Abbas, offerunt dicto offertorio, *duo intortitia accensa, duos panes* (in antiquis Pontificalibus additur *albos panes*) *et duo barilia vino plena*, seu doliola vino plena. Oblationes item panis, et vini, atque candelarum fiunt ad Missam Pontificalem in Canonizatione Sanctorum per Cardinales antiquiores ex triplici Sacri Senatus ordine, nempe per antiquiorem ex Episcopis, et Presbyteris, et Diaconis. Primus Episcopus Cardinalis offert duos magnos Cereos, antiquior Cardinalis Presbyter duos magnos panes cum mappulis, prior vero Diaconorum Cardinalium duo vasa vini. Qui ergo uberiora de oblationum ad altare ratione cupit, Berlendum adeat.

Caput XVIII.

De quinque orationibus, quae Offertorium consequuntur.

I. Orationes, quae in Sacrificio Missae post Antiphonam Offertorii dicuntur, nempe prima *Suscipe Sancte Pater*, secunda *Offerimus tibi Domine*, tertia *In spiritu humilitatis*, quarta *Veni Sanctificator;* postrema *Suscipe Sancta Trinitas*, neque antiquae admodum sunt, neque in Romana Ecclesia ante quingentos annos legebantur, prout scribit Bellarminus *Controversiarum* t. 3. Lib. 6. *de Sacrificio Missae*, et evincit ex silentio Walfridi, Ruperti, Amalarii, et Innocentii Tertii, qui post Offertorium statim loquuntur de Secretis. Hinc etiam discimus qua de causa istae orationes in diversis Ecclesiis, diversae sint, quia cum diu Romana Ecclesia illis usa non fuerit, unaquaeque Ecclesia sibi peculiares instituit. Micrologus duas tantum profert ex Ordine Gallicano, nempe *Veni Sanctificator, et Suscipe S. Trinitas*. In antiquis Missalibus Monasticis unica oratione panis, et vinum offeruntur. Ad haec observandum superest cum Martenio *de antiquis Ecclesiae ritibus* tom. 1. pag. 391. *edit. Venet.* Calicem scilicet una cum pane simul unica oratione oblatum ex plerisque Missalibus, speciatim Lugdunensi, Antissiodoren-

si, Catalaunensi aliisque quamplurimis. In Missa Codicis Tiliani apud Menardum, et in ea, quam edidit Illyricus, diversae habentur formulae oblationum generales, et particulares.

II. More Romano Sacerdos offert primo patenam cum hostia, dicens orationem: *Suscipe Sancte Pater.* In hac oratione Hostiam, quae est super patenam, etsi nondum consecratam, vocat immaculatam: quod quidem nemo miretur; neque enim ea verba ad panem sunt referenda, sed ad Corpus Christi, quod futurae Consecrationis vi sub ipsius speciem panis subibit. In fine orationis faciens Crucem cum eadem patena deponit Hostiam super Corporale, et ad dexteram collocat patenam. Illud autem signum Crucis significat Hostiam super Crucem poni, ubi Christus Jesus aeterno Patri ipse se obtulit, ut nos a peccatis redimeret, quod observat Honorius *in Gemma Animae* Lib. 1. cap. 96. et Durandus Lib. IV. cap. 30. n. 17. Pane autem oblato ponit Sacerdos vinum in Calice, et aquam miscet, idque ex Salvatoris institutione, ut antiquae Liturgiae Jacobi, Marci, Basilii, et Joannis Chrysostomi testantur, dicentes Christum postquam coenavit accepisse Calicem, et vino aquam miscuisse. Longam de hoc argumento epistolam scripsit ad Coecilium Cyprianus, quam laudat Augustinus Lib. 4. *de Doctrina Christiana* cap. 21. Justinus Martyr *Apolog.* 2. loquens de Eucharistia panem, vinum, et aquam offerri ait. Damascenus Lib. *de Fide Orthodoxa* cap. 14. *Consimili modo*, ait, *acceptum calicem, et vino, et aqua constantem impertivit eis.* Teodulphus Aurelianensis duplicem eiusdem mixtionis causam agnoscit in libello *de Ordine Baptismi*, quem edidit Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii Magni cap. 18. sive quia de latere Domini aqua cum sanguine fluxit, vel quia per vinum Christus, per aquam populus significatur. Hanc vero secundam rationem elegantissime pertractat S. Cyprianus in laudata epistola ad Coecilium: *Videmus in aqua populum intelligi, in vino ostendi Sanguinem Christi. Quando autem in calice aqua vino miscetur, Christo populus adunatur et credentium plebs ei, in*

quem credidit copulatur et coniungitur. Haec et alia multa Cyprianus, quae Patres Concili tertii Bracarensis can. 1. transcripserunt. Hydroparastatas sive Aquarios, et Encratitas, qui sola aqua utebantur in mysteriis; itemque Armenos, qui solum vinum adhibebant, semper damnavit Ecclesia. Armenos damnavit Concilium Trullanum can. 32. eosque egregie confutat Clemens Galanus tom. II. *secundae partis Conciliationis Ecclesiae Armenae cum Romana tract. de nova lege quaest.* 4. § *3. sect.* 2.

III. Romano ritu dum aqua miscetur vino, dicitur Oratio *Deus qui humanae substantiae*, quae extat in Missa veteri edita ab Illyrico, et in Tilliana apud Menardum. Ecclesiae omnes Orientales, et plures Latinae in eadem mixtione Sanguinem et aquam e Christi latere fluxisse commemorant. Sic enim Ambrosiani dicunt cum aquam infundunt; *de latere Christi exivit Sanguis et aqua pariter, in nomine Patris etc.* Sic Lugdunenses; *de latere Domini nostri Jesu Christi exivit Sanguis et aqua tempore passionis*, Apud nonnullas Ecclesias haec actio cum silentio peragebatur. Usus autem aquam benedicendi hinc fuit, quod alias in Crucis formam aqua infundebatur in Calicem iuxta antiquum Ordinem Romanum. Signum Crucis, quod fit nunc super aquam, super vinum et aquam olim fiebat, quum nempe utrumque una infundebantur in Calicem. Graeci bis aquam miscent, semel frigidam, cum in prothesi sancta dona praeparant, pungente Sacerdote panem sancta lancea, et dicente : *Unus militum lancea latus eius aperuit, statimque exivit sanguis, et aqua* ; et Diacono infundente vinum et aquam. Deinde calidam post consecrationem, immediate ante communionem petente Diacono a Sacerdote, ut, aquam fervidam benedicat. Rationem reddunt huius secundae mixtionis Scriptores Graeci apud Goar in notis ad Missam Chrysostomi num. 167. et apud Arcudium Lib. 3. *Concordiae* cap. 39 quia per eam fervorem S. Spiritus intelligi volunt. Hunc ritum in suis Liturgiis praescribunt Sancti Patres Basilius, et Chrysostomus, usuque perpetuo Orientalis Ecclesiae Sacerdotes doctrina, et sanctitate conspicui comprobarunt. Per

aquae et vini commixtionem quidam putant Incarnationis ostendi Mysterium, in quo humana natura cum Divina hypostatice iuncta est; quam explicationem tueri videntur ipsius orationis verba. Alii per eam commixtionem putant intelligi aquam et Sanguinem, quae defluxerunt a latere Christi.

IV. Sacerdos Calicem Deo offert dicens: *Offerimus tibi Domine Calicem salutaris etc.* cumque in panis oblatione singulariter dixerit *Offero*, hic pluraliter ait *Offerimus*, quia nimirum Romano Ritu eamdem orationem simul cum Sacerdote in Missa solemni recitabat Diaconus, qui antea vinum Calici infundit, et olim Sanguinem populo ministrabat. Neque obstat, quod privatae Missae sine Diacono celebrantur, et nihilominus Sacerdos dicit *Offerimus*, quia formulae pro solemni Missa institutae, in privata non mutantur. Sicuti retentae sunt antiquae formulae tunc institutae, et quia Catechumeni in festis Paschatis, et Pentecostes baptizari solebant, adhuc per octavam utriusque festivitatis etiam nunc pro illis addimus haec verba: *quae tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua.* Huius verbi *offerimus* meminit Augustinus Lib. 20. adversus Faustum Manichaeum cap. 11. Sequitur deprecatio *In spiritu humilitatis* ex verbis Azariae apud Danielem. Haec in multis Missalibus reperitur: itemque alia *Veni Sanctificator*, quae communior et antiquior est, et dirigitur ad Spiritum Sanctum, ut veniat, et praeparatum Sacrificium benedicat. Invocare autem Spiritum Sanctum ad oblationem sanctificandam mos antiquissimus fuit Ecclesiae Africanae, ut ex Fulgentio constat.

Caput XIX.

De ablutione manuum usque ad Canonem.

I. Ritus manus abluendi (1) post oblationem, communis est Graecis, Latinis, Maronitis, et aliis Orientalibus. De hoc ritu loquitur Cyrillus Hierosolymitanus initio Catechesis quintae mystagogicae dicens: *Vidistis Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti, et illis qui circum Altare Dei stabant, Presbyteris. Et auctor constitutionum Apostolicarum* cap. 11. Sacerdotem ait lavare manus in signum puritatis animae. Psalmus *Lavabo* huic actioni aptissime convenit; et quamquam in quibusdam Ecclesiis quidam eius versiculi dumtaxat recitentur, tamen in Missali Romano Psalmus ille integer exhibetur; quod congruit cum Liturgiis S. Basilii et Chrysostomi. Post lotionem recitat Sacerdos aliam orationem incipientem *Suscipe Sancta Trinitas,* quae quam antiqua sit, non liquet. Extat paucis mutatis in Codice Tiliano apud Menardum, et in Missa Illyrici quotidiana, et generalis nuncupatur. Micrologus anno 1090. hanc orationem nec in Ordine Romano, nec in Gallicano fuisse nos docet cap. 11. Haec reperitur in Liturgiis Graecis; et iisdem fere terminis exprimitur in Missali Ambrosiano. In pluribus Missalibus et Sacramentariis Micrologo antiquioribus, quae numerat Le Brun 3. part. art. 9. reperitur; at quemadmodum dicebatur ex sola devotione, hinc factum, ut in pluribus Ecclesiis dicta numquam fuerit; sicuti nec dum dicitur a Carthusianis, ex quo inferre est tempore eorum institutionis, anno scilicet 1804. in Ecclesia Gratianopolitana, a qua Missali acceperunt, recitatam non fuisse. In Ecclesiis, in quibus recitabatur non ubique recitabatur eodem modo. Recitabatur ab initio in solemnitatibus tantum, aliis autem diebus recitabantur

(1) Maldonatus, *de Caeremoniis cum notis Francisci Antonii Zaccariae Disputatio II.* §. XVIII.

peculiares orationes; Oblatio pro *Rege*, *et omni populo Christiano*; Oblatio pro *semetipso*; Oblatio pro *salute vivorum*; Oblatio pro *infirmis* uti ex Sacramentali Trevirensi MSS. patet. In eadem oratione mentio fit de Passione, Resurrectione, et Ascensione Domini nostri Jesu Christi: idque ut totum exprimatur Salvatoris Sacrificium.

II. Post haec Sacerdos, dicta oratione *Suscipe Sancta Trinitas*, vertit se ad populum, dicens intelligibili voce, *Orate fratres*. Huius precis antiquitas est aperienda. Secundum priscos Romanos Ordines, Pontifex convertens se ad populum dicebat: *Orate*, vel *Orate pro me*. Apud Alcuinum *de Divinis Officiis* cap. XL. haec leguntur: *Orate pro me fratres, ut meum pariter, et vestrum Sacrificium acceptum sit Domino*: In Missa Illyrici ponuntur orationes: quae tamen ab Alcuino, et Amalario indicantur, breviores sunt, quae in Pontificali Prudentii Episcopi Trecensis praescribuntur, et iis pene, quibus hodie Ecclesia utitur, uniformes. Honorius Augustodunensis Lib. I. cap. XXXIX. *Orate* tantum commemorat. Rupertus vero Tuitiensis, et Hugo Victorinus hanc precem silentio praetereunt. Innocentius III. Lib. II. *Mysteriorum Missae* cap. XL. formulam huius precis ita refert: *Orate pro me, fratres carissimi*. Eam orationem Radulphus, Proposit. 23. S. Leoni tribuit, totius vero sententiae substantia reperitur in Liturgiis Sanctorum Marci et Jacobi, uti animadvertit Meratus tom. 1. part. 1. pag. 500 n. 31.

III. Accedamus nunc propius ad sacra mysteria, atque ad ipsius Sacrificii maiestatem. Celebrans igitur postquam populum orare monuit, orat et ipse secreto, quam Orationem Liturgici Scriptores, ac Libri *Secretam* appellant, quod, ut plerisque veterum rituum concinnatoribus placet, ea secreto dicatur. Est autem oratio, quae super oblata profertur, ac per eam Deus exoratur, ut eadem oblata recipere dignetur. Secreta Oratio eiusdem est antiquitatis, ac Orationes in exordio Missae post Introitum, ac in fine post communionem. Has autem continet Sacramentarium Gelasianum, et Gregorianum. Ideo Alcuinus *de Divinis Officiis* cap. XL. generica voce, *Secretam*

Collectam appellat. Amalarius latius explicat, quid sibi velit *Secreta*, in Libris *de Ecclesiasticis Officiis* Lib. III. cap. XX. *Sequitur*, inquit, *Secreta. Secreta ideo nominatur, quia secreto dicitur. In hac primo nominatur hostia, sive Sacrificium, oblatio: in hac precatur Sacerdos per eamdem hostiam purgari usquequaque.* Idem Amalarius in Ecloga cap. XXIV. apertis verbis docet, orationem secretam ab Episcopo secrete dictam fuisse. Expositio Missae saeculi IX. licet obiter de oratione secreta agat, eam tamen secrete dici consuevisse monet. In multis Libris Sacramentariis tam editis, quam MSS., modo *Secreta*, modo *Super Oblata* vocatur: Sacramentarium Pamelii, *Secreta*; Sacramentarium Vaticanum ex Codice vetustiore decimi forte Saeculi descriptum, *Super oblata;* Missale Plenarium Vaticanum Saeculi XI. *Secreta* appellant. Sunt qui putent has orationes secreto dici a verbo *secernere*, vel quia ex oblationibus populi aliae ponebantur extra altare, aliae secernebantur in Sacrificium, et super illas sic secretas, ac super altare positas fundebantur istae orationes, quae ideo *Secretae* seu super *oblata* dictae sunt: vel quia orationes illae primae erant ex iis quae recitabantur post secretos, et segregatos Catechumenos, ac Poenitentes, adeout illae Secretae dicerentur a secretis Catechumenis, quemadmodum *collectae* a collectis in unum fidelibus. Innocentius Papa III. Lib. 2. *Mysteriorum Missae* cap. 54. et seqq. putat eadem hoc silentio reverentiam, et maiorem attentionem excitari circumstantium animis, dum solus Sacerdos seorsum orat pro populo, quemadmodum in Sacrificiis veteris Legis Sacerdos oraturus pro gente Israelitica, solus intrabat in Sanctuarium. Causam insuper S. Thomas 3. parte quaest. 83 art. 4 ad 6. eam esse arbitratur, quod circa Passionis tempus Discipuli nonnisi occulte Christum confiterentur. Franciscus Antonius Zaccaria existimat in Romana Ecclesia haec omnia secreto recitata semper fuisse, idque ex Arcani disciplina. In Ecclesia Romana ritu Gelasiano una tantum fere semper oratio *secreta* est, licet duae ut plurimum in prima Missae oratione statuantur. In Expo-

sitione Missae Saeculi IX. *brevis oratiuncula* appellatur, ex quo coniicitur, unam tantum fuisse. Sensim usus obtinuit, ut plures dicerentur, quocirca hodie quot ante Epistolam clara voce a celebrante orationes dictae sunt, totidem secreto eodem ordine ad *Secreta* sunt repetendae. Quae sit Ecclesiae mens in his Orationibus, pulchre declaratur in secreta Missae in Dominica quinta post Pentecosten, hisce verbis concepta: *Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et has oblationes famulorum tuorum benignus assume; ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem.* Postquam Sacerdos secreto oraverit, elata voce adstantes invitat ad respondendum *Amen*, hoc est ad assentiendum iis omnibus, quae ipse in secreta petiit, uti post Micrologum cap. 7. observat Cardinalis Bellarminus tom. 4. *Controversiarum* Lib. 6. *de Missa* cap. 17.

IV. Lectis secreto orationibus super oblata, incipit Sacerdos Praefationem, praemissa populi salutatione, cuius nomine, ut scribit Menardus *in notis ad Sacramentarium* S. Gregorii pag. 25. venit oratio, seu gratiarum actio, quae canoni praemittitur, qua disponitur Sacerdos, et populus ad tremendorum mysteriorum confectionem. In Missali Mozarabico inscribitur *Inlatio*. Ita etiam *Contestatio* legitur apud Gregorium Turonensem *de Miraculis S. Martini* Lib. 2. cap. 14. Hinc pariter in Sacramentario Gallicano vocatur *Contestatio*, uti et in Gothico a clarissimis viris Thomasio, et Mabillonio vulgatis. In Gothico dicitur etiam aliquando *Immolatio*. Atque ut ab earum origine exordiamur, Praefationum antiquitas Apostolis, vel Apostolicis viris tribuenda esse Pagio, Bonae, Cangio, aliisque doctissimis viris videtur. Certe quidem eius antiquissimum usum confirmat S. Cyprianus in Libro *de Oratione Dominica cap. XIII. Ideo et Sacerdos*, inquit, *ante Orationem, Praefatione praemissa, parat fratrum mentes, dicendo: Sursum Corda, ut, dum respondet plebs: Habemus ad Dominum, admoneatur, nihil aliud se, quam Dominum cogitare.* Passim vero de more dicendi Praefationem multis in locis meminit S. Augustinus. His suf-

fragatur Caesarius Arelatensis. Consonant etiam Patres Graeci. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi quinta mystagogica* diffuse et eleganter de hac re disserit. De hoc loquitur etiam Chrysostomus Homilia 18. in secunda ad Corinthios, et Homilia de Eucharistia. In singulis etiam Liturgiis vetustissimis, tum apud Occidentales, tum apud Orientales, Praefationum peculiaris quaedam formula habetur. Illud praeterea plane constat, Praefationes memorari a Concilio Milevitano A. D. 416. celebrato. Igitur sub haec tempora Praefationes nonnullae circumferebantur, privata quorumdam pietate confectae, praeter eas, quae iam probatae erant, et in Ecclesiis legebantur. Haec raptim ad earum originem quod attinet.

V. Difficile admodum erit, Praefationum auctores designare. Castigate quidem loqui videtur Walafridus Strabo cap. XXII., dum incertum esse ait, quis primus fuerit Praefationum Auctor: *Praefationem actionis*, inquit, *qua populi affectus ad gratiarum actiones incitatur, ac deinde humanae vocis supplicatio caelestium virtutum laudibus admitti deposcitur, quis primus ordinaverit, nobis ignotum est.* Plurium Praefationum auctor perhibetur S. Gelasius Romanus Pontifex. Qui id statuunt, Libri Pontificalis auctoritate nituntur, qui in Gelasii vita haec habet: *Fecit etiam et Sacramentorum Praefationes, et orationes cauto sermone.* Quem locum nonnulli interpretantur, ut S. Gelasius recognoverit, et auxerit Praefationes, quae antea in Ecclesia Romana legebantur. Plerique Praefationis initium ab illis verbis: *Per omnia saecula saeculorum*, deducti arbitrati sunt, sed perperam; illa etenim verba ad praecedentes orationes secretas pertinent, utpote eorum conclusio, ipsaque alta voce recitat Sacerdos, ut populus respondeat *Amen*, sicque confirmet, quae in illis a Deo impetranda postulata sunt. Idem autem Sacerdos dicit *Dominus vobiscum*, salutans quidem populum, sed non ad ipsum conversus; vel quia cum dixit *Orate Fratres*, quodammodo populum dimiserit, vel quia ante Praefationem iuxta Liturgias Sanctorum Jacobi, Basilii, et Chrysostomi Sanctuarium claudebatur, et circum Altare ve-

lum appendebatur, adeoque in illa salutatione non opus erat, ut se Sacerdos ad populum converteret, quem videre non poterat. Vide Petrum Le Brun tom. 1. p. 386. Verum itaque, et proprium Praefationis initium est a verbis illis: *Sursum corda*, quae iutonat Sacerdos, et a populo respondetur: *habemus ad Dominum*. Vetustissimum est eiusmodi initium. Ea enim verba habentur in Liturgiis Sanctorum Jacobi, Basilii, et Chrysostomi. Sic etiam incipit ab iisdem verbis Praefatio in Sacramentario Gelasiano.

VI. Praefationes autem ubique receptas, atque usitatas fuisse, ex Liturgiis omnium Ecclesiarum palam fit. Diversae quidem in diversis Ecclesiis illarum formulae fuerunt, omnes tamen idem argumentum prosequuntur. Graeci, et aliae in Oriente nationes, unicam habent Praefationem, quae in singulis Missis repetitur Latinis variae sunt. Ambrosiani unam communem Romanae similem habent, at in Missis propriis sive de Festo, sive de Dominica, aut de feria, propriam item canunt Praefationem. Simili modo Mozarabes propriis semper utuntur, in quibus vel mysteria eius festivitatis, quae tunc celebratur, vel Sancti, de quo in Missa laudes, et encomia stylo sublimi, variisque sententiis exornato decantantur. Insuper novem sunt Praefationes iuxta ea, quae Pelagius II. Pontifex scripsit ad Episcopos Germaniae et Galliae, prima de Nativitate Domini, secunda de Epiphania, tertia de Quadragesima, quarta de Cruce, quinta de Paschate, sexta de Ascensione, septima de Pentecoste, octava de SS. Trinitate, nona de Apostolis, quibus Urbanus II. aliam addidit in Concilio Placentino, quae est de Beatissima Virgine, ut refertur in Canone *Sanctorum*. Quoad hanc Pelagii Epistolam vero uti spuriam tenent Pagius, in vita Pelagii II. num. 17.; Cardinalis Bona, *Rerum Liturgicarum* cap. 10. num. 3.; et doctissimus Georgi, in sua *Liturgia Romani Pontificis*. Negari tamen non potest, quum in antiquis Libris Sacramentorum Romanae Ecclesiae quamplurimae scriptae reperiantur Praefationes, nec ulla fere in his Missa habeatur sine propria et peculiari

Praefatione. Sane quidem in veterrimis Sacramentorum Romanae Ecclesiae Libris, ac in iis, qui subsecutis temporibus usque ad Saeculum XIII. scripti sunt, quamplures exaratae sunt Praefationes, statis diebus dicendae. Longe plures sunt Praefationes in Sacramentariis Angeli Rocchae, et Hugonis Menardi, Saeculo IX. et X. scriptis: et harum numerus est centum ac nonaginta novem, praeter praefationes in Consecratione Episcoporum, et in Missis votivis. Frequentes sunt, quae habentur in Missali Plenario Vaticano Saeculi XI., et item quae in Sacramentario Vaticano, et vetustiori, forte saeculi X., descripto. Quo vero tempore tot Praefationes desierint, non liquet; nisi quod in Missalibus scriptis post annum MCC. illae novem reperiuntur a Pelagio enumeratae; quibus duae additae sunt, una communis antiquissima, quae Gelasii, sive Gregorii creditur esse, altera de B. Virgine ab Urbano II. instituta. Et hae undecim sunt, quibus omnes Ecclesiae ritui Romano adhaerentes, hodie utuntur. Praefationum Collectionem Pamelius in suis Liturgiarum Libris edidit, harum summa est ad ducentas sexaginta duas. Singula porro verba, quae in Praefatione communi sequuntur, late explicant, et interpretantur Alcuinus, *de Divinis Officiis* cap. XL.; Amalarius, *de Ecclesiasticis Officiis* Lib. III. cap. XXI; Horus Diaconus Lugdunensis, *de Actione Missarum*; Hildebertus Cenomanensis, in *Expositione Missae* pag. 1115.; Hugo Victorinus, Lib. II. *de Officiis Ecclesiasticis* cap. XXIV.; Innocentius III., Lib. II. *Mysteriorum Missae* cap. LXII.; et Durandus, Lib. IV. cap. XXXIII.

VII. Praefationi statim iungitur hymnus, quem ἐπινίκιον sive triumphalem vocant Graeci. Hic autem hymnus in Missa dicendus, *in Libris Constitutionum Apostolicarum* comparet, et in Liturgiis Basilii, atque Chrysostomi. Additum hunc hymnum Sacrificio Missae a Sixto I. plerique scribunt, sed Liber Pontificalis hoc solum a Sixto constitutum ait, ut Sacerdote ipsum incipiente, etiam populus eumdem cantaret. Altera pars hymni, *Benedictus qui venit in nomine Domini Hosanna in excelsis*, Christo

Domino a turbis in solemni Hierosolymae ingressu ante passionem decantata fuit. Vox *Hosanna* usitata fuit apud Hebraeos in eorum festo Tabernaculorum. Porro de hac voce late agit Cardinalis Baronius ad annum 34. n. 6. et seqq. Remansit vero laeta huius vocis acclamatio tam in Graeca, quam in Latina Ecclesia. Ex vetustissimo ritu, omnes Missae adstantes, statim ac hymnus decantatus erat cum celebrans Canonem incipiebat, inclinato capite stare debebant, prout Graecis etiamnum mos est. Romanae Ecclesiae ritum fuisse, nos docent primaevi Ordines Romani. Antiquissimi autem moris fuit, privato quidem studio, ut post hunc hymnum, orationes aliquae adderentur. Una ex his habetur in Sacramentario Gallicano, edito a Mabillonio *in Museo Italico* tom. 1. p. 11. pag. 281. Trisagium *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis*, quotidie Graeci canunt in principio Liturgiae, Latini vero illud adhibent feria tantum sexta in Parasceve. Ter demum hodierno ritu, pulsatur campanula, tum in laudem Dei ter Sancti, tum ad excitandos adstantium animos ad proxima mysteria, tum etiam exemplo veterum Mosaicae Legis Sacrificiorum, super quibus Sacerdotes filii Aaron clangebant tubis, uti habetur Num. cap. 10.

Caput XX.

De Canone.

I. Ingredimur nunc ad eam Missae partem (1), quae ad Sacrosancti Jesu Christi Corporis confectionem pertinet; nempe ad Canonem. Ecclesia ea utitur voce, ut significet, Canonem Missae esse firmam regulam, iuxta quam Novi Testamenti Sacrificium est celebrandum. Canon dictus est, ut observat Walafridus Strabo *de Rebus Ecclesiasticis* cap. XXII. *quia in eo est legitima, et regularis Sacramentorum confectio.* Canon vocatus est etiam *Actio*

(1) Martene, *De antiquis Ecclesiae ritibus.* Liber I. Caput IV. art. VIII.

in Libris Liturgicis, quia in eo conficiuntur *Sacramenta Dominica*. Idcirco in Sacramentario Gelasiano *Canon Actionis*, preces Canonis inscribuntur. Hinc intelligitur, cur in Canone in Oratione, quae incipit *Communicantes*, appositus sit titulus *Infra actionem*, sive, ut melius legitur in quibusdam Codicibus, *Intra actionem*. S. Gregorius Lib. 7. Epist. 64. *Precem* appellat. S. Cyprianus eum vocat *Orationem*. Vigilius eum dicit *Textum Canonicae precis*. In Concilio Eboracensi tempore Celestini III. *Secretum Missae* nuncupatur.

II. Auctorem Canonis quidam fuisse putant Gelasium Papam, alii Musaeum Presbyterum Massiliensem, alii Voconium Episcopum Castellanensem in Mauritania. Aldelmus Episcopus *Lib. de Laudibus Virginitatis* cap. 23. a Gregorio Magno editum existimat. Testimonium denique celebre est S. Gregorii Lib. 9. Epist. 12. qui Canonem dicit a Scholastico quodam esse compositum. Scholasticus cuius meminit Gregorius, non est nomen proprium alicuius hominis, sed est nomen appellativum, indicans virum doctum et eruditum, quales olim fuerunt, qui Scholis Christianorum praeficiebantur, ut conversos ad fidem erudirent. Serapion vir doctissimus ob ingenii magnitudinem apud Hieronymum Lib. *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *Scholasticus* appellatur. Gennadius in Catalogo *Scriptorum Ecclesiasticorum* Prosperum vocat sermone *Scholasticum*, idest eloquentia et eruditione clarum. Atque haec sunt, quae proferunt ii, qui putant S. Gregorium nomine Scholastici non hominem quemdam intellexisse, cui nomen illud proprium inditum esset, sed virum litteris eruditum, qui Canonem scripserit. Maldonatus in Censura quadam apud Le Brun tom. 2. art. 2. num. 9. existimat S. Gregorium non de ipso integro Canone, sed de Oratione quadam eo iniecta loquutum esse; incredibile enim sibi videri ait, privatum hominem tantum sibi tribuisse auctoritatis, ut Canonem integrum Missae ab universali Ecclesia recitandum componeret. Huic sententiae refragatur Cardinalis Bona *Rerum Liturgicarum*, et Cardinalem Bonam in omnibus sequitur Me-

ratus tom. 1. part. 1. pag. 236. Hisce controversiis relictis, cum Tridentino Sess. 22. c. 4. *de Sacrificio Missae* tenendum: *Ecclesia Catholica Sacrum Canonem multis ante saeculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem, et pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. Is enim constat tum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus; ac Sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.* Ex Tridentini doctrina evidens est, Canonem esse vetustissimum, et tempus antecedere eorum, qui auctores eius dicuntur. Et re quidem vera vetustum esse Canonem intelligitur ex Vigilii Papae, qui S. Gregorio antiquior est, Epistola ad Eucherium, seu ad Profuturum, quod ex vetustis Codicibus colligit Baluzius in notis ad Librum Antonii Augustini *de emendatione Gratiani;* ubi diserte ait, Canonem Missae ex Apostolica traditione profectum esse. Ad haec, ut Canonis exemplaria emendata essent, curatum quam diligenter ab antiquis fuit, eamque curam Archidiaconis demandarunt Concilii Eboracensis, atque Oxoniensis Patres. Immo quandoque nitidissimis characteribus, aureis etiam, aut argenteis conscriptus est. Probant id Codex canonis Ecclesiae Turinensis ante nongentos annos scripti, alterque S. Germani a Pratis. Porro de Canone Missae erudite scripserunt Stephanus Durandus, Lib. 2. cap. 32. et seqq.; Hugo Menardus, ad *Sacramentarium Gregorii* p. 12.; Antonius Bellotte, *in suo Rituali Laudunensi* a pag. 529. ad 563; Petrus Le Brun, tom. 1. pag. 399.; Franciscus Vander-Weken, peculiari libro *de Canone Missae*; Grancolas, *Les anciennes Liturgies* pag. 603.; Franciscus Pagius, *in vita Gelasii Papae* num. 15.; Oliverus Bonartius, *de Sacrificio Missae* Lib 2. cap. 20.

Caput XXI.

De prima Canonis oratione.

I. Prima Canonis oratio est *Te igitur Clementissime Pater*, eaque continuatur usque ad alteram orationem *Hanc igitur oblationem* ; neque enim *Memento*, et *Communicantes* diversae orationes sunt, sed eiusdem primae orationis partes, ut clare patet ex ipsa clausula : *Per eumdem Dominum nostrum*. In hac prima oratione preces diriguntur Deo Patri. Licet enim Sacrificium Divinae Trinitati offeratur, tamen, exceptis aliquot precibus, quae Trinitatem respiciunt, ut sunt *Suscipe Sancta Trinitas*, et *Placeat tibi Sancta Trinitas*, reliquae omnes iuxta perpetuam Ecclesiae consuetudinem ad Deum Patrem per Filium in unitate Sancti Spiritus diriguntur. Orat Sacerdos in hac prima oratione pro universa Ecclesia toto orbe diffusa. Semper quippe fixum id statutumque maioribus nostris fuit, ut indesinenter adprecarentur pro Ecclesiae incolumitate, pace, ac sanctitate. Ad summos Pontifices quod spectat , fuit hic antiquissimus mos, ut eorum praecipue mentio fieret ab Catholicis Ecclesiis inter Missae Sacrificium ob catholicae communionis vinculum, quod in illis velut in centro , ut loquuntur Patres , contineri semper creditum fuit. *Unitas Sacerdotalis*, ut ait S. Cyprianus, *a Petri Cathedra exorta est*. Nec sane quisquam iure negaverit, in Ecclesia Orientali de Summo Pontifice olim mentionem fieri consuevisse. Teste enim Nicephoro Lib. 16. cap. 17, primus, qui ausus est Papae nomen (tunc erat Felix II.) a sacris Dypticis expungere, fuit saeculo V. Acacius Constantinopolitanus Episcopus. Nemo ante ipsum id tentaverat , licet in eo throno plures Episcopi haeretica labe infecti sedissent. In Ecclesia Alexandrina idem ausus est impius Dioscorus adversus Leonem Magnum. Post Acacium nomen Pontificis in Liturgiis repositum est ; ast intermissa iterum est haec consuetudo propter Photii schisma. In Ecclesia Occidentali initium o-

randi pro Summo Pontifice indicari non potest: ostendi vero possunt leges, quibus ea consuetudo restituta, vel malus usus sublatus, vel repressa audacia praetermittendi nomen Romani Pontificis, uti patet ex Concilio Vasensi an. 529., ex Papa Pelagio in Epistola ad Episcopos Etruriae, ubi eos de omissione Pontificis in Canone redarguit, et ex Ennodio Papiensi, qui Symmachum probat verum, et legitimum Papam, et spurium Laurentium ex eo, quod nomen Symmachi in actione sacri Mysterii semper recitatum fuerit. Hinc quoties actum est de unione utriusque Ecclesiae, id semper inter caetera statutum fuit, ut nomen Papae in Sacrificio recitaretur. A Christo Domino nonnulli viri docti hunc ritum derivant, qui in Coena rogavit pro Petro, ut non deficeret fides illius. Ita Thomas Waldensis, et ex ipso Gavantus part. 2. tit. 8. Rub. 2.

II. In eadem prima Oratione mentio fit etiam Episcopi iuxta praeceptum Apostoli ad Hebraeos Caput XIII. qui orandum ait pro Episcopis: *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. De Episcopis autem ad altare inter Missarum solemnia nominandis illustris est S. Gregorii locus Lib. III. Epist. XXXVII. Omnia ferme vetustissima exemplaria sacri Canonis Missae, post Romanum Pontificem, nomen *Antistitis* designant, quod quidem nomen Florus, et antiquiores Expositiones Missae commemorant. Antistitum mentio a Graecis hoc ordine fit. Presbyter pro suo Episcopo orat, Episcopus pro Archiepiscopo seu Metropolita, is vero pro Patriarcha. Orat etiam pro Rege, ex Apostolica traditione, praecipiente Paulo 1. ad Timotheum cap. 2. ut fiant orationes pro Regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt. *Sacrificamus pro salute Imperatoris*, ait Tertullianus ad Scapulam cap. 2. *sed Deo nostro, et quo modo praecepit Deus pura prece*. Idem hoc argumentum fusius prosequitur in Apologetico cap. 30. et 31. Et Dionysius Alexandrinus apud Eusebium Lib. 7. *Hist.* cap. 11. *Nos unum Deum rerum omnium opificem, qui Valeriano et Gallieno sacratissimis Augustis Imperium tradidit, colimus. Huic*

continuas preces offerimus pro Imperio illorum, ut stabile et inconcussum permaneat. Consonant Justinus Martyr *Apolog.* 2. Melito Sardianus in libro pro Christianis ad Antoninum Imperatorem, quem laudat Eusebius Lib. 4. *Hist.* cap. 26. Athenagoras in fine suae legationis. Imo etiam pro Constantio Imperatore haeretico Liturgicas preces habitas testatur Athanasius in Apologia ad ipsum Constantium. Sequitur: *et omnibus Orthodoxis, atque Catholicae et Apostolicae Fidei cultoribus.* Quae verba desunt in antiquo Ordine Romano, et in Libro Sacramentorum S. Gregorii, itemque in vetusto Missali Vaticano. Sed merito addita esse, nec superflua censeri, ex eo evidens fit, quod per ipsa omnes vivi generaliter commemorantur: at in sequentibus *Memento Domine* offerentium dumtaxat commemoratio proprie fit, et ibi olim ex sacris tabulis quorumdam nomina legebantur, ut mox videmus.

III. Postquam oravit Sacerdos pro universa Ecclesia, et singillatim pro Summo Pontifice, pro Episcopo pro Rege, et pro omnibus fidelibus, elevans et iungens manus Sacerdos dicit: *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum.* Haec precandi formula per verbum *Memento* consonat cum Sacra Scriptura: in Psalmo enim 105. legitur: *Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui.* Haec formula orandi per verbum *Memento* extat in omnibus Liturgiis Jacobi, Marci, Basilii, Chrysostomi, et aliorum, et in quibusdam saepius repetitur. Prima haec Oratio Canonis, eiusque praesertim pars, quae incipit *Memento,* in Missalibus quibusdam manuscriptis appellatur *Oratio supra diptycha*; ex quo nobis sese offert occasio quaedam huc afferendi de Diptycis. Diptycha itaque ecclesiastica nihil aliud erant, quam chartacei, seu membranacei, Codices, in quibus Episcoporum, et aliorum Catholicae Ecclesiae fidelium nomina erant inscripta, et in hoc distinguebantur a profanis Diptycis, quibus novi Consulis nomen aureis characteribus singulis annis scribebatur. Sic vero appellabantur a δὶς bis et πτὺξ plica, ob geminas tabulas, quarum una comprehendebant fidelium viventium nomina, altera defunctorum. Tria erant Di-

ptycorum genera, quibus scribebantur nomina in singulis Ecclesiis. Primum erat peculiare Episcoporum, eorum praesertim qui illam Ecclesiam rexerant, dummodo probitate ac sanctis moribus claruissent. Secundum vivorum, in quibus eorum nomina descripta erant, qui adhuc viventes dignitate aliqua, vel beneficiis illi Ecclesiae collatis conspicui, aut alio titulo benemeriti erant. In his primo loco Romanus Pontifex, tum alii Patriarchae, et proprius Antistes, ac reliqui Clero adscripti recensebantur: postea Imperator, Principes, Magistratus, et populus fidelis. Tertium erat mortuorum, qui in Catholica communione decesserant. Usum vero Diptycorum, eorumque lectio intra Missarum solemnia iam inde a primis saeculis invaluit. Quod autem spectat ad primum genus pro solis Episcopis cum opinione sanctitatis vita functis, eam inscriptionem speciem quamdam habuit Canonizationis, seu Beatificationis. Ideo Ecclesia sollicite semper cavit, ne Sanctorum Episcoporum nomina ob quorumdam pravorum hominum calumnias e sacris Diptycis expungerentur. Haec enim expunctio poena erat illis solis irrogata, qui vel a fide defecerant, vel ob aliquod crimen a communione fidelium submoti erant; eiusque rei exemplum videre est in Acacio Patriarcha Constantinopolitano; item in Cyro, Sergio, Paulo, Pyrrho, et Petro, qui in sexto Generali Concilio, nempe in Constantinopolitano tertio, sub Agathone, ut scribit Anastasius Bibliothecarius, ob haeresim e diptycis ablati sunt.

IV. Licet autem in summa veneratione apud fideles essent ecclesiastica Diptycha, quippe quae inter sacra Mysteria exponebantur, uti ex Liturgiis SS. Basilii, et Joannis Chrysostomi constat, non tamen omnia fidelium, tam vivorum, quam defunctorum nomina in Diptycis scripta legebantur, sive a Diacono, vel Subdiacono, ut nonnullis perperam visum est; ad eam siquidem prolixam tot nominum recitationem, praesertim post Fidem iam ubique terrarum propagatam, nec menses fortasse, aut anni suffecissent, maxime in Urbibus, quae numerosi admodum populi multitudinem continerent, uti optime no-

tat Cardinalis Bona, et post ipsum alii; sed delectus habebatur, atque eorum dumtaxat nomina publice e Diptycis Diaconus recensebat, qui inter caeteros aliqua speciali nota praeeminebant, facta de reliquis generali tantummodo commemoratione. Hic usus quo tempore omitti coeperit, incertum est. Remigius Antisiodorensis qui saeculo Christi decimo vivebat, *in Expositione Missae* ita loquitur: *Etiam hodie Romana Ecclesia recitat nomina ex diptycis.* Adde vulgatum Alcuinum qui *de Divinis Officiis* cap. XL. eadem confirmat. In Sacramentario quoque Vaticano Saeculi XII. a Cardinali Bona saepe laudato, ad *Memento* vivorum, praescribitur, ut vivorum nomina dicantur, et item ad *Memento* defunctorum, nomina eorum dicantur. Exinde sensim obliterata est huiusmodi consuetudo, et mente tantum eorum nomina, tam vivorum, quam defunctorum recenseri a Sacerdote coeperunt. De Diptycis, qui scripserint, longe omnes superavit Eminentissimus Cardinalis Norisius *in Dissertatione Historica de Synodo V.* cap. V. De Diptycis autem sive sacris, aut profanis multa docte congessit Rosweidus, *in Onomastico ad vitas Patrum*; Stephanus Baluzius, *ad Capitularia Regum Francorum* col. 1129.; Alexander Wilthemius, in suo opere, quod inscripsit: *Diptycon Leodiense*; et doctissimus Gori, in opere cui titulus: *Thesaurus veterum Diptycorum*, et Donatus, *de Dipthycis.*

V. Progredimur deinde ad commemorationem Sanctorum: *Communicantes, et memoriam venerantes.* Haec verba sunt pars primae Orationis in Canone, et coniunctionem habent cum illis: *Supplices rogamus, et petimus, et offerimus.* Sensus vero hic est, ut significet unionem Sanctorum, qui sunt in Coelo, cum fidelibus, qui degunt in terris, pro quibus fundit preces Ecclesia. Illud *Communicantes*, Amalarius, et Alcuinus referunt ad Communionem cum Sanctis, ut sensus sit; *Offerimus hoc Sacrificium, communicantes memoriis Sanctorum, et eosdem Sanctos venerantes.* Usus autem commemorandi Beatissimam Virginem, et Sanctos in Missa, omnium Ecclesiarum immemorabili consuetudine comprobatur, ut patet ex ea-

rum Liturgiis. Cyrillus Hierosolymitanus sacram Synaxim describens *Catech. V. Mystagogica* asserit Sacerdotem memoriam in ea facere SS. Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum, et deprecationibus suscipiat preces nostras. De hoc usu verba facit Augustinus Lib. *de Virginitate* cap. 45.; et Serm. 17. *de verbis Apostoli.*

VI. In Canone Romano post Beatissimam Virginem, et Apostolos, Martyres duodecim nominantur. Confessorum nulla fit mentio, vel quia Martyres passionem, et mortem Domini exhibent, quae in hoc Sacrificio repraesentatur; vel quia Canon, editus est antequam Confessorum memoria celebraretur, de quibus silent tribus prioribus saeculis Ecclesiastica monumenta. Fuit autem vetus mos in Ecclesia Graeca, et etiam Latina, Menardo teste *Notae in Sacramentarium* pag. 15., ut hoc loco recitaretur nomen Sancti illius, cuius ea die memoria, seu festum celebraretur. Quare in nonnullis Ecclesiis nomina quaedam recitari, praeter nomina Apostolorum, et Martyrum coeperunt, quae adhuc in vetustis Codicibus Sacramentorum supersunt. Hinc factum est, ut in nonnullis solemnioribus diebus, etiam nunc peculiaria quaedam ad Communicantes intermixta legamus, ad illius celebritatis memoriam recolendam, ut in nocte ac die Natalis Domini, in Epiphania, in Paschate, Ascensione, et Pentecoste. Certae etiam formulae diebus memoratis, quales nunc ad *Communicantes*, statutis diebus, legimus, habentur in Sacramentario S. Gregorii, editionis Pamelianae, et Romanae. De S. Mathia Apostolo nulla hoc in loco habetur commemoratio, bene tamen de S. Paulo, quamvis de eodem fere tempore similem cum hoc sortitus sit gradum. Rationem esse volunt, quod Sanctus Mathias non sit de eorum numero, quos Salvator per seipsum elegit, et Apostolos nominavit; non ita S. Paulus, qui per ipsum Dominum, Apostolico gradui adiunctus fuit; cui rationi altera accedit, quod S. Paulum a S. Petro nunquam seiungat Ecclesia. In antiquis Missalibus additum est nomen S. Martini, quia primus inter Confessores festive coli atque proprio officio honorari coepit.

VII. Hic autem observatione dignus est titulus *infra actionem* in Missalibus ante *Communicantes* praescribi solitus: quod quidem idem est ac *intra Canonem*, posito *infra* pro *intra*. Quod usurpatum ab medii aevi Scriptoribus saepe fuit. Namque *actio* etiam Canon olim dictus fuit. Cur autem titulus ille in Canonem irrepserit, docet Petrus Le Brun tom. I. parte IV. art. IV.; eum nempe primo praefixum fuisse sex illius specialibus *Communicantes* Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Natalis, Epiphaniae, quintaeque feriae maioris hebdomadae, uti videre est in Sacramentario Gelasiano, atque Gregoriano; mox eumdem titulum librariorum inscitia velut iure suo communi etiam *Communicantes* praenotatum. Omittendum autem non est, quaedam antiqua Sacramentaria pro *infra actionem*, habere in *fractione*. Ita duo Anglicana Sacramentaria, sex MSS. Missalia Monasterii Gemmetensis, multaque praeterea, quae vidisse testatur Edmundus Martene.

VIII. Atque ea sunt, quae primae Canonis Orationi illustrandae opus esse putavimus. Reliquum est, ut actiones praecipuas commemoremus, quae cum hac prima oratione coniunguntur, ut osculum Altaris, manus iunctas, terna Crucis signa super Hostiam et Calicem, cum Sacerdos dicit *haec dona, haec munera, haec Sancta Sacrificia illibata*. Disciplina Altare osculandi sub initio huius orationis vetus est, et de hoc ritu loquitur Durandus. De ternis illis signis, quae super Hostiam et Calicem ducuntur in modum Crucis, cum Sacerdos dicit *haec dona etc.* pane et vino nondum consecratis, dicimus veras esse benedictiones, quibus Dei invocatur Omnipotentia, ut oblata in Corpus et Sanguinem Jesu Christi convertat. Benedictiones fiunt signo Crucis adhibito, ut semper Redemptoris nostri Passio animis nostris obversetur. Ducuntur tria Crucis signa ad indicandum, quod maximum hoc Mysterium a SS. Trinitate perficitur, ut in tertia parte *Summae Christianae* q. 51. explicat Merbesius. Novatores repraehensione digna haberi dicunt illa verba *haec dona, haec munera, haec sancta Sacrificia illibata*: Luthe-

rus ea verba *dona*, *munera*, *Sacrificia* idem significare putat; unde censet superflua. Censet pariter absurdum vocare *Sacrificia sancta et illibata* panem et vinum ante consecrationem. Verum perperam haec opponuntur. In primis repetitio eiusdem rei praesertim diversis vocibus multum conferunt ad affectum explicandum: hinc repetitionibus huiusmodi abundant non solum Liturgiae Basilii, et Chrysostomi, sed etiam sacri Codices in Psalmis praesertim, et Canticis, ut notat Bellarminus. Deinde voces *dona*, *munera*, et *Sacrificia* falso dicuntur synonimae. Dona, dicuntur, quae a Deo ad hominem profluunt. Munera, quae ab homine redeunt ad Deum: ab utrisque differunt Sacrificia. Panis et vinum ante Consecrationem dicuntur Sacrificia, quia iam parata sunt in Sacrificii materiam. Ita in Lege veteri Ovis adhuc vivens dicebatur Sacrificium. Dicuntur *sancta*, *et illibata*, quia iam per priorem oblationem Divino usui dedicata sunt.

Caput XXII.

De secunda Canonis oratione.

I. Canonis Oratio secunda initium habet ab his verbis: *Hanc igitur oblationem*. In hac Oratione quatuor a Deo postulat Sacerdos, primo ut oblationem nostram ipse placatus accipiat; secundo ut dies nostros in sua pace disponat, deinde ut ab aeterna damnatione nos eruat, ac denique ut in Electorum grege nos numeret. Quae Innocentius III. Lib. 3. *Mysteriorum* Missae cap. 11. devote ac luculenter illustrat. Haec Oratio in pervigiliis Paschatis, et Pentecostes, ac per totam octavam harum solemnitatum variatur, et quaedam in ea adduntur pertinentia ad illos, qui his diebus baptizabantur. In pervigiliis Paschatis et Pentecostes iuxta veterem disciplinam Catechumeni baptismo abluebantur, et vestibus albis amicti aderant incruento Sacrificio Missae pro ipsis specialibus oblato, et sacram Eucharistiam suscipiebant. Variabatur etiam, teste Bona, in Missa Dominicae III. Qua-

dragesimae, facto scrutinio electorum, Feria V. in Coena Domini, in sacris Ordinibus conferendis, in dedicatione novae Basilicae, in Actione nuptiali, et aliis. Varias hasce formulas ex Codice Gelasiano desumptas, primus vulgavit in Libris *Rerum Liturgicarum* Cardinalis Bona. Quae fere omnes precationes: *Hanc igitur etc.* formulae in Codice Gelasiano recensentur, et etiam in Sacramentario Gregoriano editionis Pamelii, et Romanae leguntur, eae nunc etiam in Missali Romano retinentur.

II. Dum Sacerdos hanc Orationem dicit, tenet manus extensas super Hostiam et Calicem, donec ad illa verba pervenerit per *Christum Dominum nostrum*, ubi manus iungit. Causas huius extensionis varias esse varii dicunt. Joannes Serranus ait, per illam manuum expansionem indicari divinam protectionem, seu efficaciam gratiae, quae in Oratione postulatur. Bossuetus in *Tractatu de Orationibus Missae* observat morem fuisse in Lege veteri, ut super victimam imponeretur manus, et hoc indicium erat Sacerdotem coniungi cum victima, et cum ea Deo consecrari; hinc ait ob eamdem causam Sacerdotem super Hostiam et Calicem quem consecraturus est, manus extendere. Plura in huius sacri ritus illustrationem profert Franciscus Pouget *Institutiones Catholicae* tom. 2. pag. 858.

Caput XXIII.

De tertia Canonis oratione.

I. Tertia Oratio Canonis (1) ab illis incipit verbis: *Quam Oblationem tu, Deus, in omnibus*; quae Oratio usque ad finem Consecrationis continuatur. Ea verba *Quam oblationem* concinne explicat Paschasius in Libro *de Corpore et Sanguine Christi* cap. 12. citatus sub nomine Augustini a Gratiano *de Consecratione* dist. 2. c. 72. Ait igi-

(1) Bona, *Rerum Liturgicarum cum notis Roberti Sala.* Lib. II. cap. XII. et seqq.

tur, *rogamus hanc oblationem benedictam, per quam nos benedicamur: adscriptam, per quam nos omnes in coelo adscribamur: ratam, per quam in visceribus Christi censeamur: rationabilem, per quam a bestiali sensu exuamur: acceptabilemque facere dignetur: quatenus, et nos per hoc quia in nobis displicuimus acceptabiles in eius unico filio simus.* In hac Oratione Ecclesia petit, ut fiat panis et vini transubstantiatio in Corpus et Sanguinem Christi. Haec petitio absurda videtur haereticis; absurdum est enim petere a Deo, quod certe novimus futurum esse. At futilis oppositio. Etiam Christus sciebat se glorificandum a Patre: nihilominus Joann. 17. Deum Patrem deprecatus est, ut se glorificaret. Etiam veteres Patres sciebant certo venturum Messiam, nihilominus adventum Christi in carne magnis precibus sollicitabant. Insuper cum sancto Thoma advertimus, ibi non petere Sacerdotem, ut impleatur consecratio; haec enim proculdubio semper fit, cum Mysterium ritu debito celebratur; sed petere ut nobis fiat fructuosa.

II. De quinque Crucis signis, quae in hac tertia Oratione fiunt, loquitur S. Bonaventura *in Expositione Missae*, et ait: *per quinque dicta signa indicari Christum, qui secundum carnem in quinque sensibus passus est, in visu, cum illi velata est facies, in auditu, cum est irrisus, in gustu cum fel, et acetum ei propinatum est, in odoratu ex tetro corruptorum corporum odore, cum in Calvario monte Cruci affixus est; in tactu cum eius transfixi sunt pedes et manus.* Durandus censet semel Crucis signum duci super Hostiam, et semel super Calicem, vel ad significandas duas naturas, quas Jesus Christus unione hypostatica in se copulavit, vel ut intelligamus, Christum esse passum anima et corpore.

III. Plures actiones tamquam factae a Christo in hac Oratione commemorantur. Proxime post hanc orationem fit consecratio per Verba Jesu Christi. In Liturgiis Graecorum forma haec est: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Hisce Jacobus et Marcus addunt, *et datur, sive distribuitur in remissionem peccatorum.* In Missali

Mozarabico legitur: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*. In Libris tamen Sacramentorum qui Ambrosio tribuuntur Lib. IV. cap. 5. ista forma consecrationis legitur: *Hoc est enim corpus meum quod pro multis confringetur*. Integra formula, qua vinum consecratur ex Evangelistis accepta est, his vocibus additis, *aeterni*, *et Mysterium Fidei*: quae in Liturgiis Graecorum non extant. Haec verba *Mysterium Fidei* non sunt in Ordine Romano; sunt tamen in omnibus antiquissimis Missalibus MSS.

IV. Latini peracta consecratione, Graeci paulo ante communionem, ut constat ex Liturgiis Jacobi, Basilii, et Chrysostomi, Corpus Dominicum, et Calicem elevant, ut a populo adoretur. Ab antiquo tempore Graecos ita fecisse, eruditi ostendunt. Graecorum mos elevandi Hostiam et Calicem paulo ante communionem viget etiam apud Armenos. Ritus elevationis habet exemplum in veteri Lege, nam passim legimus partem victimae a Sacerdotibus elevatam coram Domino, Exodi c. 29. Levit. c. 7. v. 23. Altior nunc disquisitio venit, an ritus elevandae Hostiae et Calicis a primis Ecclesiae saeculis originem ducat. Joannes Stephanus Durandus Lib. II. cap. XL. *de ritibus Ecclesiae Catholicae* et alii, ab ipsis Ecclesiae incunabulis Eucharistiam post consecrationem in altum tollere, et populo ostendere, consuetum fuisse docent, testimoniis ex Patribus, ac Graecis Liturgiis depromptis, quae ut recte monet Eminentissimus Bona, de Latinis ritibus nihil probant. Certum est, hunc morem non fuisse a Latina Ecclesia receptum ante Saeculum XI. Id ostendit silentium omnium Ordinum Romanorum, Alcuini, Amalarii, Walafridi, Micrologi, Remigii Antisiodorensis, Hori Lugdunensis. Isti omnes ritus Missae accurate descripserunt; nullam tamen faciunt elevationis mentionem. Mabillonius in Commentariis ad Ordinem Romanum, putat in Gallia fieri coepisse elevationem Hostiae, et Calicis circa dimidium saeculi XI. Elevatio haec tum Hostiae, tum Calicis post consecrationem coepit iuxta Le Brun, et alios fortasse saeculo XI.,

quum realem in Eucharistia Christi praesentiam negare ausus est Berengarius. Sub initio utriusque elevatio facta est in quibusdam Ecclesiis, in quibusdam vero Hostiae tantummodo: ast deinde disciplina elevandi utrumque ab omnibus Ecclesijs amplexa est. Introducta disciplina elevandi post Consecrationem Hostiam et Calicem, invectus etiam est mos pulsandi in elevatione campanulam, ut sic mentes fidelium ad Orationes excitarentur. Exemplum est in veteri Testamento. Levitae tempore Sacrificii tubas argenteas clangebant, ut earum sonitu populus provocaretur ad adorandum. Quaedam Galliarum Ecclesiae, dum elevatio fiebat, canere solebant eos versiculos: *O salutaris Hostia.* Hic mos inductus est ab eius Regni Episcopis, rogante Ludovico XII. ad implorandam opem Dei in bellis. De elevatione eiusque causis verba facit S. Bonaventura, agens *de Mysteriis Missae*, ubi huius caeremoniae plures morales, et mysticas rationes adducit.

Caput XXIV.

De quarta Canonis oratione.

I. Tertia oratione verbis conclusa: *Haec quotiescumque feceritis etc.*, apposita sequitur quarta oratio *Unde, et memores* quae usque ad *Memento* prosequitur. Oratio antiqua est, et extat in Libro quarto de Sacramentis apud Divum Ambrosium. Extat etiam in Liturgia Chrysostomi, licet non iisdem verbis, tamen in eadem substantia expressa. In ea, qua nos utimur, dicitur *sed et plebs tua sancta*, fidelis scilicet, et in Ecclesiae gremio consistens: *Sancta*, non quidem actu, cum non omnes sint Sancti, sed vocatione, debito, et professione: quae vel praesens adest Sacrificio, vel unitate Ecclesiae ubique degens, particeps est Sacrificii. Sicut ante consecrationem petebat Sacerdos, ut materia fieret *benedicta, adscripta et rata;* sic et consecrata Hostia, nempe Christus, offertur aeterno Patri ut Hostia *pura*, *sancta*, et *immaculata*. *Pura* ad differentiam Sacrificiorum Gentium, quae impura

erant et corrupta. *Sancta* ad differentiam oblationum veteris Legis, quae non erant eatenus sanctae, ut animam sanctificarent, sicut haec nostra, quae tollit peccata mundi. *Immaculata* dicitur, quia Salvator fuit agnus innocens, qui peccatum non fecit, qui tollit mundi peccata, hominesque sanctificat. Est ergo *Hostia pura, et purificans, sancta et sanctificans, immaculata, et maculas tergens.* Additur *Panem vitae aeternae, et Calicem salutis perpetuae* definitio, et explicatio eiusdem est Hostiae: ut enim Sacerdotes Legis veteris edebant de Sacrificiis, quibus vitam temporalem sustentabant, sic Christiani esu, et potu Sacrosancti Sacrificii spiritualem, atque adeo aeternam salutem sibi comparant. Ita explicat Soto in 4. *Sentent. dist. 13. q. 2. art. 5.* hanc orationis partem.

II. Dum haec prima Orationis pars dicitur, quaedam particulares, et quaedam generales actiones occurrunt. Saeculo XII. ad ea verba *Unde et memores* in quibusdam Ecclesiis Galliae Sacerdotes ita brachia elevare consueverant, ut exhiberent figuram Crucis in memoriam passionis Christi. Hunc morem retinent adhuc Carthusiani, Dominicani, et Carmelitae. Actiones generales sunt signa Crucis, quorum tria ducuntur super Hostiam et Calicem, dum dicit Sacerdos *Hostiam puram* etc., quartum super Hostiam cum dicit *Panem sanctum,* quintum super Calicem, cum dicit et *Calicem salutis perpetuae.* Haec signa Crucis fiunt, ait S. Thomas 3. parte quaest. 83. art. 5. ad 4., *non ad benedicendum et consecrandum, sed solum ad commemorandam virtutem Crucis et modum Passionis Christi.* Nihil Ecclesia praetermittit, quo in animis imprimat Sacerdotum et adstantium, idem esse Sacrificium Altaris cum Sacrificio Crucis. Et sane cuperet, ut praesertim Sacerdotes sibi ipsi post Consecrationem Christum Jesum obiiciant animo immolatum in Cruce. Atque ut eiusmodi oriatur effectus, vult Ecclesia, omne verbum, quod exprimat Corpus et Sanguinem Domini, cum signo Crucis proferri, quo declaratur, Hostiam, et quod continetur in Calice, idem esse Corpus, quod Cruci fuit affixum, et ipsum Sanguinem, qui in Cruce effusus est.

Crucis igitur signa, quae super Hostiam et Calicem post Consecrationem ducuntur, non sunt benedictiones, sed commemorationes virtutis, et efficaciae Sacramenti Eucharistiae, quae virtus profluit ex Sacrificio Crucis, quod in Missae Sacrificio repraesentatur et continuatur. Bossuetus ea esse dicit Benedictiones, sed vult, eas non referri ad Corpus Christi, bene vere ad eos, qui illud sumpturi sunt, ut illud digne suscipiant. Quod si ad Corpus Christi referantur, tunc dicit per Benedictiones illas exprimi Benedictiones, et gratias, quibus Christi Corpus abundat, quasque large in nos effundere cupit, nisi nostris peccatis praepediantur. Quinque Crucis signa in dicta actione fiunt ad repraesentandas quinque Jesu Christi plagas. Est S. Thomae sententia in 3. p. q. 83. art. 5. ad 3. Sancto Doctori consentit Soto, dicens in 4. *Sent. dist. 13. q. 2. art. 5. quod in memoriam quinque Plagarum quinque fiunt signationes super Hostiam sanctam.* Huc facit consideratio Micrologi cap. 14., qui dicit, Crucis signa in Missa fieri *vel semel, vel ter, vel quinquies. Semel propter essentiae unitatem, ter propter Trinitatem personarum, et quinquies propter quinque Vulnera Christi Domini, et expressam repraesentationem Passionis eius.* Non est silendum de actione illa, qua Sacerdos post consecrationem iungit duos digitos pollicem et indicem, nec eos seiungit, nisi quando Hostiam consecratam tangere debet, usque ad ablutionem digitorum post communionem. Nullam huius ritus mentionem fieri apud veteres, testatur Gavantus. Ast Angelicus Doctor rationem ipsius assignans dicit : *iunctionem praefatam pollicis cum indice fieri ad hoc, ut non dispergatur ulla particula, quae in tangendo suis digitis Corpus Christi consecratum, forte adhaesit; et hoc pertinet ad reverentiam Sacramenti.*

III. Sacerdos Orationem prosequens, Deum orat, ut *propitio, et sereno vultu respicere dignetur* ad oblata sibi dona Corporis et Sanguinis Christi, ut accepit munera Abelis, Sacrificium Abrahae, et illud, quod ei olim Melchisedech obtulit. Deo Abel obtulit primogenita gregis sui, Genes. cap. 4. Abraham aedificavit in Sichem Al-

tare Deo, qui sibi apparuerat, ut est in capite duodecimo Genes. et cap. 22. ut mandato Dei pareret, ligna imposuit ad holocaustum Isaaco dilecto filio suo, quem paratus erat mactare. Denique Melchisedech Abrahamo occurrit e quatuor Regum caede redeunti, eique ob victoriam gratulatus, panem et vinum obtulit Deo in Sacrificium, ut est in capite 14. Genes. Sacrificiorum Abelis, Abrahami, et Melchisedech praecipuam in Canone mentionem facit Ecclesia, quamvis et alia veteris Legis Sacrificia novae Legis Sacrificium exprimerent. Pulchre sane nostrum Sacrificium Abelis Sacrificio repraesentatur. Nam Jesus Christus sese obtulit, tamquam primogenitus per excellentiàm: *Primogenitus in multis fratribus*, ut ait Apostolus ad Romanos cap. 8. Insuper sanguis Abel iusti, et innocentis, a fratre Cain interfecti, Christum Jesum a Judaeis necatum ac pro peccatis nostris mortuum repraesentat. Item Sacrificium nostrum exprimitur Abrahae Sacrificio, in quo Isaac immolatus, quin vitam amitteret, figura fuit Jesu Christi, qui mortuus est ut resurgeret. Denique Sacrificium Melchisedechi, Sacrificii nostri figura fuit, uti Ecclesiae Patres explicant. Verba, quae habentur in fine huius partis Orationis *Sanctum Sacrificium immaculatam Hostiam* addita sunt a Leone Magno. Pamelius noluit definire, an ea verba tantum, an potius integram orationem Leo Magnus Canoni addiderit. Ast Cardinalis Bona tantum laudata verba addidisse censet, cum ipsius orationis mentionem fecerit Auctor Quaestionum Veteris et Novi Testamenti, qui Leone antiquior est.

IV. Ante medium Altaris manibus iunctis super eo positis prosequitur Orationem: *Supplices te rogamus*. Hanc orationem mysteriis plenam, a Sacerdote inclinato dicendam esse prisci Scriptores tradunt. Uti Amalarius, Lib. III. cap. XXVI.; Ordo Romanus, II, num. 10.; Hugo Victorinus, Lib. II. cap. XXXIV.; Innocentius III., *Mysteriorum Missae* Lib. V. cap. V.; Durandus, et alii. Olim in pluribus Ecclesiis Galliae et Germaniae manus in Crucem decussatas tenebat Sacerdos, ut nunc faciunt

Carthusiani, Dominicani, et Carmelitae. Divus Thomas 3. part. quaest. 83. art. ad nonum, ita explicat huiusce Orationis verba: *Sacerdos non petit, neque quod species Sacramentales deferantur in Caelum, neque Corpus Christi verum quod ibi esse non desinit, sed petit hoc pro Corpore mystico (quod scilicet in hoc Sacramento significatur), ut scilicet Orationes Sacerdotis et populi Angelus assistens Divinis Mysteriis Deo repraesentet.* Nec veretur S. Doctor sub nomine Angeli ipsum Christum Jesum intelligere, qui vocatur *magni Consilii Angelus*, qui mysticum Corpus cum Deo Patre et Ecclesia triumphante coniungit; atque hanc explicationem, quae est Innocentii III. Divus Thomas amplectitur, ceterique Theologi omnes confirmant. Dum in hac oratione nominat Christi corpus, facit super Hostiam signum Crucis, ducit super Calicem idem signum, cum nominat Sanguinem, ducit super seipsum, cum nominat *benedictionem coelestem et gratiam.* Innocentius III. Lib. V. cap. V. *Mysteriorum Missae* dicit, signum Crucis fieri super Corpus *propter sudorem corporis*, quo Christus in sua Passione maduit, super Calicem *propter guttas Sanguinis*, quem in Passione fudit, signare vero seipsum Sacerdote, quia Salvator procidit in faciem suam. Addit insuper laudatus Pontifex duo prima signa Crucis significare vincula et flagella Christi, tertium vero innuere satellites qui Christi faciem conspuebant. Divus Thomas per trinam crucesignationem ait repraesentari extensionem corporis, effusionem Sanguinis, et fructum passionis.

Caput XXV.

De quinta Canonis oratione.

1. Quinta Canonis oratio incipit: *Memento etiam Domine*, ubi oratur pro defunctis. De hac salubri institutione testimonium perhibent omnes fere antiqui Patres. *Chrysostomus Hom. 69. ad populum Antiochenum. Non temere,* inquit, *ab Apostolis haec sancita fuerunt, ut in tremendis*

mysteriis defunctorum agatur commemoratio. S. Monica moritura filio Augustino, ut idem refert *in fine* Lib. 9. *Confessionum*, mandavit memoriam sui fieri ad Altare Dei. Et ipse Augustinus Lib. *de cura pro mortuis gerenda* cap. 1. universae Ecclesiae consuetudinem esse testatur, ut in precibus Sacerdotis, quae Domino Deo ad eius Altare funduntur, locum suum habeat commendatio mortuorum.

II. Ita insuper edocemur ex Liturgiis. Et primo quidem formulam illam, *Deus refrigeret spiritum tuum, in refrigerio anima tua*, habemus in Liturgia CIII. Missalis Romani veteris apud Aloisium Assemanum *in Codice Liturgico* tom. 4. pag. 213. et 214. in Alexandrina apud ipsum t. 4. par. IV. p. 164. in orationibus Liturgicis e Libro III. Sacramentarii Romani apud Cardinalem Thomasium pp. 248. 249. 431. in precibus Liturgicis Sacramentarii veteris Gallicani apud Mabillonium. Deinde formulam illi adsimilem *adcepta sis Deo* etc. reperimus in Orientali Liturgia sub nomine S. Julii apud Renaudotium *Collectio Liturgiarum Orientalium* t. 2. p. 131. Tum formulam illam *sit cum Sanctis, inter Sanctos*, legimus saepe in Orientali Liturgia S. Basilii apud Renaudotium t. 1. p. 23. et S. Dionysii Athenarum Episcopi apud ipsum Renaudotium t. 2. pag. 209. et Philoxeni Hieropolitani ibidem pag. 317. et Sacramentarii Romani apud Thomasium pag. 256. Praeterea formulam *Suscipe, Suscipiatur in pace, in Christo etc.*, legimus in altera Liturgia Alexandrina S. Basilii apud Renaudotium t. 1. pag. 73. nec non in citata Liturgia Philoxeni apud eumdem t. 2. pag. 305. in Liturgia Doctorum Sanctorum ibidem pag. 416. in antiqua Hispanica apud Pinium in tom. 6. Julii apud Bollandum in precibus Liturgicis Sacramentarii Gallicani apud laudatum Mabillonium pag. 386. Insuper formulam *requiescat, bene quiescat, in pace, in Deo, etc.* frequentissime praeferunt, repetuntque Liturgiae sub nomine S. Marci apud Renaudotium t. 1. pag. 150. aliaeque complures sub aliis nominibus, quas sparsim recitant praelaudati Liturgiographi cum Martene *in*

Tractatu de antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis pag. 628. Praeterea in Codice Antiphonarii S. Gregorii Papae I. *in agenda Mortuorum Antiphona ad Introitum* legitur: *Rogamus te, Domine Deus noster, ut suscipias animam huius defuncti; pro quo sanguinem tuum fudisti.*

III. Heic possent opportune subiici Lapides illi pene innumeri, qui simplicem praeseferunt formulam *in pace, aut in pace Dei, aut in pace Christi.* Quoniam satis apte intelligi potest ex mente veterum Christianorum pium desiderium, quo Epitaphiographus amat, Deumque precatur, ut anima tumulati quantocius omni peccati sorde purgata, perpetua sit *in pace* prorsus beata. Vide Lupium; *Epitaphium S. Severae* pag. 167.; Pratillum, *Historia Principum Longobardorum* t. 3. pag. 314.; Bertoli, *De Antiquitatibus Aquilei:* pag. 358.; nec non Fabretti, Muratori, Boldetti, Bianchini, Aringo, Bottari, Zaccaria in Dissertatione cui titulus: *De usu Inscriptionum in re Theologica.* Idipsum confirmatur e Re Diplomatica. Ratpertus in Donatione facta Monasterio Pistoriensi S. Bartholomaei an. 748. apud Zaccariam *in Anecdotis* p. 271. ex Archivo eiusdem Monasterii, dicit: *Si sine filius masculo transiero..... volo atque decerno ut..... et servi et ancillas meas pro anima mea liveri demittendum..... preces et pro scelera mea Dominum deprecandum.* Vides sub intolerandis Grammaticae barbarae soloecismis perspicue expressum Dogma, ubi Ratpertus praescribit preces post mortem fundendas pro sua anima, seu pro eluendis scelerum maculis. Documenta pleraque iis consimilia recitat ibidem Zaccaria pag. 273. 279. 283. 285. Cetera ex Mabillonio, Galletto, aliisque Diplomaticis brevitatis studio mittere cogimur.

IV. Haec oratio *Memento etiam Domine*, *Oratio super Diptyca appellatur.* Mortuorum quondam nomina alta voce recitabantur, sicuti nomina vivorum, ut observavimus *in Memento pro vivis.* Ex Apostolica traditione manavit, ut defunctorum nomina in Missa recitarentur. Agunt de hoc more primi Ecclesiae Patres, Tertullianus,

de Corona Militis cap. III. Vide ibi Pamelii notas; Cyprianus, *Epistola LXVI.*; Johannes Chrysostomus, *Homilia LXIX.*; Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. V.; et Augustinus, Lib. *de cura pro mortuis* cap. I. Lib. IX. et ex eo Mabillonius *Commentaria in Ordinem Romanum* pag. 1. In Diptycis mortuorum primo loco notabantur privatae cuiusque Ecclesiae antecessores Episcopi. Sic Georgius Alexandrinus in vita Chrysostomi, *Jubet vero*, inquit, *nomen Chrysostomi*, *tamquam patris digni*, *cuius fama celebraretur*, *tabulis sacris inscribi*. Idem de Eustachio Episcopo testatur Facundus Hermianensis Lib. II. cap. I. de Eustachio. Aliique aliarum Dioecesum qui in Catholica Fide et Communione obierant, nominabantur. Contra ea quicumque Episcopi sive haereseos, sive schismatis, sive alicuius gravioris criminis rei fuerant, ii expungebantur e sacris diptycis. Post Episcopos ceterorum quoque demortuorum memoria recolebatur eo ferme ordine, ut primo Sacerdotes, reliquusque ordo ecclesiasticus, tum Imperatores, postremo etiam laici sive mares, sive faeminae publice edicerentur. Adhaec peculiariter inter laicos recitati, qui Ecclesiam aliquam fundarant, vel quodpiam aliud beneficium in eam contulerant. Porro observes, diversam fuisse formulam, qua utebatur Sacerdos, ac quandoque etiam populus post Episcopalium nominum recitationem: recitatis quippe ceterorum defunctorum nominibus, Sacerdos pro iis precabatur ea formula, quae extat in Liturgia S. Marci: *et horum omnium animabus dona requiem*, *Dominator Domine Deus noster*, *in sanctis tuis Tabernaculis*. Lectis autem Episcopis demortuis, clamabat populus: *Gloria tibi Domine*; quod factum fuit in Concilio Oecumenico V. Erat sane illa Episcopalium nominum recitatio quaedam quasi virtutum eorumdem depraedicatio. Martene usque ad XII. saeculum nomina Defunctorum palam recitata esse ostendit. At desiit usus Diptycorum, et tunc in Monasteriis praesertim mos invaluit, ut describerentur nomina Defunctorum in Libro, quem *Necrologium* vocabant. Quotidie ex hoc libro legebantur nomina eorum, qui ipsa

die obierant, et pro ipsis cum oratione competenti cantari solebat Psalmus *De Profundis*.

V. In hac oratione Sacerdos potest agere specialem memoriam Defunctorum, quorum habere maluerit, ut ait Innocentius III. Inde prosequens orat pro animabus omnibus in Purgatorio detentis. Indicant id illa verba: *ipsis Domine*, idest pro quibus praecipue oravit, *et omnibus in Christo quiescentibus*, scilicet iis omnibus, qui in Purgatorio igne expiantur. Postulat autem pro omnibus *locum refrigerii*, quod respicit ignem, quo cremantur; *locum lucis*, quod spectat ad eas tenebras, in quibus versantur; *locum pacis* quod pertinet ad illam mentis anxietatem, qua conflictantur.

Caput XXVI.

De sexta Canonis oratione.

I. Sexta et ultima Canonis (1) oratio incipit, *Nobis quoque peccatoribus*, quae verba clara et alta voce a Sacerdote pronunciata semper fuere, uti patet ex Ordine I. et II. Romano, ex Micrologo, Honorio Augustodunensi, Innocentio III., Durando, aliisque. Rursus autem aliquot Sancti hic recensentur, quorum in priore parte Canonis mentio facta non est. Et primo quidem loco nominatur Joannes, non Evangelista, ut putant aliqui, sed Joannes Baptista Praecursor Domini, quem etiam commemorant post consecrationem Basilii, et Chrysostomi Liturgiae. Caeteri ex diversis Ordinibus selecti sunt, uti Honorius Lib. I. *Gemmae* cap. 108. observat ex Diaconis Stephanus, ex Apostolis Matthias, ex Discipulis Barnabas, ex Episcopis Ignatius, ex summis Pontificibus Alexander, ex Presbyteris Marcellinus, ex Clericis minorum Ordinum Petrus, ex coniugatis Felicitas, et Perpetua, ex Virginibus, quas a Gregorio Magno Canoni adiunctas scribit

(1) Bona, *Rerum Liturgicarum cum notis Roberti Sala*. Lib. II. cap. XIV.

Aldelmus Episcopus Lib. de Virginitate cap. 25. Agatha, Lucia, Agnes, Cecilia, Anastasia. In Missali Plenario Vaticano, post Sanctàm Anastasiam, additur Euphemia, Victoria, Anatholia, quae martyrium passae sunt sub Decio. De his vide Agiographos Bollandianos ad diem IX. Julii. In Codice Tiliano ex fide Menardi *Notae in Sacramentarium* pag. 21. additur Euphemia. Alias additiones ex Codicibus Vaticanis indicat Cardinalis Bona. Nonnullas item additiones post Anastasiam ex vetustissimis Codicibus exhibet Martenius Lib. I. *de Antiquis Ecclesiae Ritibus* cap. IV. art. VIII. In vetustissimis exemplaribus extrema omnium fere est Anastasia. At ad Martenium redeamus, qui alibi animadvertit *in novo Thesauro Anecdotorum* tom. 1. pag. 337. Sanctorum nomina, quae addebantur quandoque in Canone praeter ea, quae ex more vetustissimo Romanae Ecclesiae, iam tum ibi recensita erant, non sine permissu Apostolicae Sedis, Canoni Missa inscripta fuisse. In eam rem in lucem profert Martenius litteras Paschalis Romani Pontificis huius nominis II. ad Begonem Abbatem Conchensem datas, quibus indulget, ut in Canone Missae nomen Beatae Fidis virginis et martyris ad secundo Nonas Octobris celebretur. Ecclesia in hac oratione Sanctos recenset quoad ordinem martyrii, non vero quoad ordinem dignitatis. Sanctorum commemoratio hic fit ad obtinendum eorum consortium; ante consecrationem vero fit ad obtinenda eorum suffragia, ut patet consideranti verba, quae adhibentur. In ista enim dicit: *intra quorum nos consortium;* in illa *quorum meritis precibusque concedas.* Innocentius III. Lib. V. *Mysteriorum Missae* rationem affert, cur Sacerdos ad verba: *Nobis quoque* vocem elevet, pectusque percutiat: *Quum ventum est ad id: Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, paululum expressa voce, percusso pectore, silentium interrumpit, repraesentans contritionem, et confessiohem Latronis in Cruce.*

II. Finita hac oratione post illa verba *Largitor admitte;* si novae fruges, aut quaelibet alia humanis usibus inservientia benedicenda erant, ante Altare collocari olim so-

lebant, et hic a Sacerdote benedici, et terminata benedictione solita clausula *Per Christum Dominum nostrum*, sequentem addebant orationem: *Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas.* Auctor huius consuetudinis dicitur S. Eutychianus in Libro Pontificali: *Hic constituit, ut fruges super Altare tantum, fabae, et uvae benedicentur.* Martene refert monumenta benedictionis novarum frugum in festo Ascensionis Domini, novorum pomorum in festo S. Jacobi Apostoli, et novarum uvarum in festivitate S. Xisti Martyris. Peculiaris erat oratio novis frugibus benedicendis, quae desinebat in eam clausulam *Per Christum etc.* cui deinde iungebantur verba *per quem haec omnia.* Ex hac consuetudine novas fruges benedicendi putant nonnulli ea verba ad Eucharistiam simul, et novas fruges referri. Aliqui tenent ad novas fruges tantum. At haec opinio reiicitur a Le Brun. Primo enim quod apud aliquas Ecclesias novae fruges benedici solebant in Missa ante consecrationem, sicut nunc Sanctorum oleorum benedictio Feria V. Maioris Hebdomadae fit ante consecrationem. Secundo quod non in qualibet Missa fieri poterat novarum frugum benedictio; in omni autem Missa dicebantur verba: *per quem haec omnia.* Tertio quod non amplius benedictio fit frugum in hac Missae parte; verba tamen relata in qualibet Missa dicuntur, igitur illa non ad novas fruges benedictas, sed ad Corpus, et Sanguinem Jesu Christi referuntur. Varie vero interpretantur haec verba *Per quem etc.* Odo Cameracensis, Innocentius III., *de Mysteriis Missae* Lib. 4. cap. 9. Alexander de Ales, Albertus Magnus, Gabriel Biel, Suarez, postque hos Ioannes Stephanus Durandus, *de Ritibus Ecclesiae Catholicae* Lib. 2. cap. 44. num. 10.; Hugo Menardus, *in notis ad Sacramentarium S. Gregorii* pag. 21. et novissime Benedictus XIV. Commemorant igitur ea verba brevissime omnia beneficia divina circa hoc Sacramentum, inchoando a prima productione materiae, unde illud conficitur. Itaque dicimus a Deo per Christum hoc Sacramentum ratione materiae primo *creari*, quum panis videlicet creatur. Secundo *sanctificari*,

quum dicatur per primam oblationem ad Sacramentum conficiendum. Tertio *vivificari*, quum efficitur mysterium vitae, et in verum Corpus Domini, et in ipsum Christum, qui est vita nostra, convertitur per consecrationem. Quarto *benedici*, quum omnis benedictionis effectum recipit, ut scilicet Sacramentali efficacia caput cum membris uniat. Quinto denique nobis praestari, quum ad sumendum, ut ex eo vitam hauriamus, datur. Ita Alcuinus totum hunc locum exponit, et post eum Hugo Lib. II. *de Officiis divinis*. *Per ipsum;* Christus enim Deus et homo verus est, Mediator Dei et hominum, *et cum ipso;* nam Deus est Deo aequalis: *et in ipso*; quod Patri consubstantialis sit: *est tibi Deo Patri Omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor et gloria*; nam Deo Patri omnis honor et gloria per Filium, cum Filio in Filio et in unitate Spiritus Sancti, qui ex utroque procedens, aeque cum utroque simul adoratur.

III. Sacerdos dum dicit *Sanctificas*, *vivificas*, *benedicis*, *et praestas nobis*, tria Crucis signa ducit super Hostiam et Calicem. Haec tria Crucis signa iuxta Sanctum Thomam designant tres illas Orationes Jesu Christi in Cruce, quarum prima est, cum oravit pro persequutoribus: *Pater, ignosce illis*: altera cum dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* tertia cum dixit: *Pater*, *in manus tuas commendo Spiritum meum*. Tria Crucis signa ducta ab una ad alteram oram Calicis ad verba *per ipsum, cum ipso, et in ipso*, putat Angelicus significare tres horas, quibus Jesus e Sexta ad Nonam pependit in Cruce: duobus autem signis, quae fiunt extra Calicem, ait, innui separationem Animae a Corpore. Ita in 2. p. q. 83. art. 5. ad 3. Sed ad rem audiatur Meratus Tom. I. Part. II. Tit. IX. *Cur autem Sacerdos efformet triplicem Crucem super Calicem, dicendo; Per ipsum* intelligendo nempe *per Dominum Jesum Christum*, *et duas Cruces efformet extra Calicem, quando nominat Personam Patris, et aliam Personam Spiritus Sancti*; *ratio optima esse potest*, *quia cum solus Christus Dominus mortem subierit, et Calicem Passionis potaverit*; *ideo optime super, et intra Calicem efformantur*

Cruces, quando ipse nominatur a Sacerdote; efformantur autem tres Cruces, quia idem Christus Salvator noster passus est in corpore, passus est in Anima, passus est in honore et gloria, ut ait Divus Thomas. E contra vero quia quamvis in vero et Catholico sensu ob unionem hypostaticam humanae naturae cum Persona Verbi Divini in Domino, dici possit, Deus passus est, Deus pro nobis mortuus est; non potest tamen dici: Pater divinus passus est, sicuti erronee asseruerunt haeretici illi, qui ideo Patripassiani appellati sunt; sic etiam quia non potest dici, quod Spiritus Sanctus mortem pro nobis subierit, et passus sit: hinc duae illae Cruces, quae fiunt nominando praedictas duas personas Patris, et Spiritus Sancti, efformantur extra Calicem. Denique posset etiam dici praedictas duas Cruces extra Calicem significare duas naturas Christi Domini, humanam, et divinam in quarum prima Passionis dolores persensit; in secunda vero, quamvis Passionis dolores non senserit propter suam essentialem Beatitudinem; Passionis tamen iniurias, ut ait Vigilius Tapsensis Lib. 2. *contra* Eutychetem, etiam eius Divinitas pertulit; Passionem vero sola eius caro persensit. Dum dicuntur ea verba *omnis honor et gloria*, Calix et Hostia tolli debent et elevari ad altitudinem quatuor digitorum, ut monent Scriptores Sacrorum rituum. In hac enim elevatione populo non ostenduntur adoranda. Haec elevatio vetustior est illa, quae fit separatim post consecrationem. Ante Saeculum XII. ad haec sola verba *omnis honor et gloria* fiebat elevatio. Caeterum de ista mentio fit in Liturgiis Basilii, et Chrysostomi. Perspicimus insuper ex Romanis Ordinibus I. II. et III., cum Pontifex diceret: *Per ipsum, et cum ipso*; per Archidiaconum fuisse elevatum Calicem, ac iuxta Pontificem exaltatum. Saeculo XIII. ad exitum iam declinante longiori mora Calicis elevatio alicubi fiebat: narrat enim Durandus Lib. IV. cap. XLVI. num. 23., moris fuisse in quibusdam Ecclesiis, ut usque ad primas tres petitiones orationis Dominicae Calix elevatus teneretur, et postea a Diacono corporalis plica tegeretur. Sensim vero haec elevatio, quae maior olim, et solemnis erat, minor, ac

minima esse coepit, postquam, ut animadvertit Benedictus XIV. elevatio maxima post consecrationem in more posita fuit.

Caput XXVII

De Oratione Dominica.

I. Post sanctissimam actionem Sacrificii conveniens erat recitare *Orationem*, quam Christus Dominus docuit, ut praemissa commemoratione eius acerbissimae Passionis facilius a Deo Patre exaudiri mererentur fidelium petitiones. Quidam putant a Gregorio Magno ut ea diceretur in Missa, fuisse statutum; at errant, eam quippe recitandi ritus est Apostolica consuetudine, ut ipse Gregorius in Libro 7. *Epistola 64.* aperte testatur, asserens *Orationem Dominicam idcirco mox post precem* (idest post Canonem) *dici, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam Orationem oblationis Hostiam consecrarent.* Itaque non est verisimile, ut haec Oratio in Romana Liturgia omitteretur, cum in aliis omnibus tum Occidentalibus, tum Orientalibus Liturgiis, et quidem Apostolorum exemplo, diceretur. Quis enim credat, a Romana Ecclesia, quae Apostolicam traditionem prae aliis secuta est, eam fuisse praetermissam? Nihil igitur aliud statuit S. Gregorius, nisi ut Dominica oratio statim post Canonem diceretur. De prisco autem ipsius usu in Missae celebratione testimonium perhibent Sancti Patres Gregorio antiquiores. Optatus Milevitanus Lib. II. *Inter vicina* inquit, *momenta dum manus imponitis, et donatis, mox ad Altare conversi Dominicam Orationem praetermittere non potestis;* quia nimirum absolutio Poenitentium de qua loquitur, fieri solebat ante Orationem Dominicam, et Communionem. Augustinus Hom. 50 *In Ecclesia ad Altare Dei quotidie dicitur Oratio Dominica, et audiunt illam Fideles.* Cyrillus Hierosolymitanus *Catech. Mystag. 5. Post haec,* inquit, *nempe post commemorationem Fidelium Defunctorum, dicimus Orationem illam, quam Salvator suis Discipulis tra-*

didit. Alia loca Patrum congessit Hugo Menardus in notis *ad Sacramentarium S. Gregorii* pag. 21.

II. Ante Orationem Dominicam Sacerdos devote verbis illis praefatur: *Oremus praeceptis salutaribus moniti, et Divina institutione formati audemus dicere.* Haec verba vetustissima sunt. Eius quippe diserte meminit Alcuinus, *de Divinis Officiis*; Amalarius, Lib. 3. *de Officiis Ecclesiasticis* cap. 29. Illius quoque meminerunt Odo Cameracensis, et Florus Magister *in Expositione Missae.* In eumdem fere modum pie, et breviter ante dictam Orationem praefantur etiam Graeci, Maronitae, et Ambrosiani. Nedum apud Graecos, sed apud Latinos olim in aliquibus locis, non a solo Sacerdote, sed etiam ab adstante populo *Oratio Dominica* recitabatur. Apud Mozarabes populus ad singulas fere Dominicae Orationis partes respondebat *Amen.* Haec Oratio insuper in Missae Sacrificio non tacita, aut submissa voce, sed clara et elata, etiam ab antiquo dicenda praescribitur, nimirum ut audiant illam fideles, quemadmodum innuit Augustinus Lib. 50. *Homiliarum,* hom. 42. et ante ipsum Cyprianus *de Oratione Dominica*, Belethus cap. 120. *in Libro de Divinis Officiis* postquam observavit, eam Orationem in Officio dici submissa voce, quaerit cur in Missa elata voce dicatur? Hanc affert rationem: Quod hortandi sunt, qui fraternum habent odium, et ad concordiam discordes excitandi, antequam communicent. Recentiores tamen nonnulli insignes Liturgici Scriptores putant hoc factum esse ex veteri ritu, seu ex Arcani disciplina propter Catechumenos, et infideles, quibus olim ut alias dictum est nefas erat Mysteria nostra propalare, qui caeteroquin a sola Missa Fidelium, non autem a reliquis Ecclesiae conventibus arcebantur. Cum itaque a Missa fidelium abesset quisquis nondum sacris erat mysteriis initiatus, cum cantu recitabantur olim, ut nunc fit, intra Missarum solemnia dimissis Catechumenis, Symbolum, et Oratio Dominica; ferebat enim vetus disciplina, ut nihil de istis Catechumeni audirent, nisi postquam ad *Competentium* classem commigrassent. Contra vero cum dicti infideles, et Catechumeni reliquis officiis ades-

se possent, ideo in his Dominica Oratio et Symbolum, submissa voce, et secreto recitabantur a singulis fidelibus intra se, ut nunc etiam fit, ne a non initiatis audirentur. Quamplurimae sunt, ut vix eas facile numeres, veterum, recentiumque huius sacratissimae Orationis expositiones. Bene multas inter caeteros Scriptores collegit ex SS. Patribus Pouget Tom. 2. *Catech.* Part. 3. sect. 2. cap. 4. §. 1. et seqq. a pag. 664. usque ad 669., ubi post singulas petitiones, earum proprias explicationes mysticas etiam atque symbolicas apposuit Petrus etiam Le Brun, qui et hanc Dominicam Orationem per singulas partes explicat Tom. 1. *Caer. Missae* pag. 556.

III. Inferiori aevo post orationem Dominicam Psalmus aliquis pro rei necessitate tunc cantandus, addebatur. Huiusmodi institutio Clementi III: Romano Pontifici tribuitur ab Andrea Ratisponensi Presbytero *in Chronico* ad A. D. 1188. Innocentius III., qui paucis post Clementem annis Romanus Pontifex fuit, statuit, ut post pacis osculum in Missa, Psalmus: *Deus venerunt gentes*, una cum nonnullis aliis precibus decantaretur. Johannes quoque XXII. A. D. 1327. ad pacem Ecclesiae a Deo impetrandam, et ad sedandos motus ac perturbationes ab haereticis et schismaticis conflatos, edita Sanctione edixit *Extravagant. Commun.* Lib. III. *de celebratione Missarum*, ut in singulis Missis: *Post dictum a celebrante, Pater noster responsioneque secuta*, Psalmus: *Laetatus sum*, cum nonnullis versiculis, et collectis diceretur. Habentur hae preces in nonnullis Missalibus eiusdem Johannis Pontificatu exaratis. In fine orationis Dominicae Sacerdos submissa voce dicit *Amen*. Haec vox abest a Sacramentario S. Gregorii forsan, quia continuatio quaedam Orationis Dominicae est. Caeterum *Pater noster* apud Evangelistas clauditur voce *Amen*, et Ecclesia etiam in Missa per eam vocem terminandum existimavit. Consuetudo vetusta est, eiusque meminit Scriptor Saeculi IX. Florus Lugdunensis.

IV. Oratio *Libera nos* antiquissima est a quibusdam tribuitur Sancto Gregorio, ita Radulphus et Honorius;

sed alii negant, legitur vero in vetustissimis exemplaribus Sacri Canonis, in Expositionibus Missae, et apud veteres Scriptores Liturgicos, appellaturque conclusio orationis Dominicae ab Amalario Lib. I. cap. XXXIV. et ab Horo Lugdunensi in *Expositione Missae*, vulgato Alcuino, et aliis. In quibusdam quoque Liturgiis, ut in Mozarabica, et Gallicana, sequitur fere semper post Orationem Dominicam brevis quaedam oratio Romanae Liturgiae pene similis, eaque interdum incipere solet a verbis: *Libera nos*, ut in Missali Gothico, et in Gallicano veteri, ac passim in Mozarabico. Subsecutis vero temporibus post Orationem Dominicam, preces aliquas additas fuisse, monet Martenius de *antiquis Ecclesiae ritibus* Lib. I. cap. IV. art. IX. num. 1., quas in vetustis Codicibus se reperisse scribit. In hac eadem Oratione confugimus ad Beatissimam Verginem, Sanctos Apostolos Petrum et Paulum, et Andream, et ceteros omnes Sanctos; nam usus erat antiquus hic addere plures Sanctos ad arbitrium Sacerdotis. Ita Micrologus asserit cap. 13., et Honorius in *Gemma* Lib. 1. cap. 109. Vetus Missale MS. Bibliotecae Vaticanae Palatinae num. 483. post haec verba, *atque Andrea*, ait: *Hic nominat quotquot Sanctos voluerit*. In aliis plerisque Missalibus additos legimus Patronos illius Ecclesiae. Speciatim nominatur in hac oratione S. Andreas quia eum, ut S. Petri fratrem, speciali semper veneratione coluit Sacrosancta Romana Ecclesia, ut constat ex antiquis eiusdem Ordinibus, in quibus praescribitur ut S. Andreae festum eadem, qua Sancti Petri solemnitate celebretur. Vide Ordinem Romanum XI. apud Mabillonium in *Musaeo Italico* pag. 152. Non solum autem quia primus ad Apostolatum vocatus fuit S. Andreas, aut quia uti germanum Petri speciali semper honore ipsum coluerit Romana Ecclesia; sed et quia eidem in passione socius in Cruce cum Petro, et Christo obiit, uti recte ad hunc locum observat Gavantus, ipse solus cum Petro, et Paulo in oratione nominatur. In hac oratione Sacerdos Deum precatur, ut liberet nos *ab omnibus malis praeteritis*, quae sunt peccata, *praesentibus*, quae sunt variae

tentationes quibus ad peccandum impellimur, *futuris*, quae sunt poenae peccatis debitae sive temporales sint, sive aeternae. Orat etiam, ut nobis pacem elargiatur, *Da propitius pacem in diebus nostris;* neque enim cum peccato potest esse vera pax. Insuper Sacerdos patena sibi Crucis signum ducit, eamque osculatur, quia Patena instrumentum est pacis, et vas ubi sacra ponitur Eucharistia, quae Christianorum est pax; eaque utitur ad signum sibi Crucis faciendum; per Crucem enim Salvator ea omnia disiecit, quibus pax nostra perturbatur.

Caput XXVIII.

De fractione Hostiae usque ad communionem.

I. Ritus frangendi Hostiam (1) consecratam a Christo Domino originem ducit qui Eucharistiam instituens, prius panem benedixit, et in sui Corporis substantiam transtulit, ac deinde fregit, deditque discipulis suis. Quocirca hanc coeremoniam Ecclesiae omnes tam in Oriente, quam in Occidente constanter retinuerunt, etsi pro Ecclesiarum consuetudine, Hostiae in plures aut pauciores partes frangatur. Huius fractionis tamquam in Ecclesia semper, et ubique a temporibus Apostolorum usitatae mentionem faciunt Clemens Alexandrinus, Lib. I. *Strom.*; Gregorius Nazianzenus, *Epistola* 2*16*. ad Amphilochium; Augustinus, *Epistola 59*. ad Paulinum. Latini tam veteres, quam recentiores dividunt in tres partes, Graeci in quatuor, Mozarabes in novem. Olim fractae Hostiae una pars servabatur usque ad finem Missae, ut ex Sergio Papa refert Gratianus *de Consecratione dist.* 2. *cap.* 22. quam pro infirmis reservatam fuisse asserunt Micrologus, Joannes Abrincensis, et Ivo Carnotensis.

II. Scriptores sacrorum rituum plures mysticas rationes huius divisionis in tres partes assignant. Innocen-

(1) Bona, *Rerum Liturgicarum cum notis Roberti Sola.* Lib. II. Cap. XI.

tius III. in Libro V. *Mysteriorum Missae c. 3.* scribit: *quod una pars est ipsum Caput, videlicet Christus, qui et Caput est et pars Corporis: altera pars sunt illi, quorum corpora requiescunt in tumulis, et animae regnant cum Christo: tertia pars in Calicem ponitur, significans eos, qui adhuc in passione consistunt, donec ab hac vita migrantes, transeant ad Caput suum, ubi nec moriantur amplius nec ullatenus patiantur.* Per triplicem Hostiae partitionem, iuxta Stephanum Eduensem *de Sacramento Altaris* cap. 18. denotatur Sanctissima Trinitas. S. Thomas in 3. part. quest. 83. art. ad 8. ait: *Hostiam immissam in Calice significare, Christum esse in coelo cum Corpore et Anima; B. Virginem, et si qui alii Sancti cum corpore sunt in gloria; partem, quam sumit Sacerdos, innuere ambulantes adhuc in terra, qui Sacramentis utuntur, et conteruntur passionibus, sicut panis comesus dentibus atteritur. Tertiam denique partem, quae olim in Altari reservabatur pro infirmis, significare eos, quorum corpora usque ad iudicii diem iacebunt in sepulchro, Animae vero sunt vel in Purgatorio, vel in Coelo.* Circa varias insuper trium Divinae Hostiae partium significationes vide Albertum Magnum, de *Officio Missae* Lib. 2.; Durandum, *Rationalis Divinorum Officiorum* Lib. 4. His addi potest Sylvius, in tertiam partem Divi Thomae quest. 83. art. 5.; et Joannes Baptista de Bertis, *Sacrificii Missae Resolutiones Morales quaest. 9. art. 9.;* aliosque nuperos Liturgicos Scriptores.

III. Olim antequam Sacerdos diceret, *Pax Domini sit semper vobiscum,* interponi solebat benedictio, quam Scriptores sacrorum Rituum *Episcopalem* vocant, quia ad solum Episcopum pertinebat. Extant huiusmodi benedictiones in vetustis Libris Sacramentorum, et in Romano Pontificali edito sub Leone X. Harum benedictionum formulam pro singulis Missis apud Pamelium habemus Tom. 2. *Liturgicorum* post librum Sacramentorum Grimaldi Abbatis. Caeremonias adhibitas in huiusmodi benedictionibus, et varias formulas, recenset et Bona Lib. 2. cap. 16. Nicolaus III. ad impetrandam pacem inter Principes Christianos statuit in Missa solemni, postquam

Sacerdos dixit: *Pax Domini sit semper vobiscum*, ante *Agnus Dei*, cantari Psalmum *Laetatus sum* cum aliquot versiculis et collectam pro pace. Idemque constituit Joannes XXII. pro tollendo schismate, ut testatur Angelus Rocca in *Paralipomenis commentarii de Campanis*. Idem psalmus cum precibus extat in Missali Cisterciensi dicendus post *Pater noster* pro pace ecclesiastica et temporali. Mos erat etiam in hac Missae parte indicendi ieiunia, quae erant observanda; preces, quae pro hoc vel illo fieri debebat; scrutinia, quae erant facienda, ut probat Cardinalis Bona ex quodam Libro Sacramentorum Ecclesiae Romanae scripto ante annos 900.

IV. Hostiae pars in Calicem immittitur. Haec immissio fit ex vetustissimarum Liturgiarum auctoritate, et antiquissimorum Conciliorum. Usum hunc referunt Liturgia Jacobi, Graecos inter, antiquissima, ubi haec habet: *Unio Sanctissimi Corporis, et pretiosi Sanguinis Domini, ac Salvatoris nostri Jesu Christi*. Vetusti idem duo priores Romani Ordines, Concilium Arausicanum I. anno 441. Canone 17. Vide inter caeteros post Mabillonium *Commentaria in Ordinem Romanum* art. 6. num. 1. Franciscum Antonium Pouget *Institutiones Catholicae* Tom. 1. pag. 879. Insuper observandum occurrit praeter particulam, quae nunc post Hostiae fractionem immittitur in Calicem, immissam alias fuisse aliam particulam, quae tunc, vel missa erat ab Episcopis, vel ex antecedenti Sacrificio in hunc usum fuerat reservata. Ex Romanorum Pontificum Melchiadis, et Siricii Constitutionibus relatis in veteribus Pontificum Catalogis, et ex Epistola 29. Innocentii Papae I. ad Decentium Episcopum eruimus, quod Summus Pontifex, caeterique Italiae Episcopi mittebant singulis Dominicis diebus ad Presbyteros Ecclesiarum Titularium particulam Eucharistiae, quam in Missa consecraverant; Presbyteri autem particulam hanc ad verba: *Pax Domini*, mittebant in Calicem in signum communionis. Episcopi item die, quo consecrabantur, accipiebant ab Episcopo consecrante magnam Hostiam, quam per plures hebdomadas servabant, et ex

ea particula singulis diebus immittebant in Calicem dicendo: *Pax Domini etc.* Ex antiquissimis Codicibus manuscriptis apud Mabillonium *Iter Germanicum et Musaeum Italicum* Tom. 2. pag. 38. eruitur servatam fuisse partem Hostiae a Pontifice consecratae in solemnitatibus Paschatis, Pentecostes, et Nativitatis Domini, eamque delatam fuisse ad Stationes, quae anni cursu habebantur, quum Pontifex stationibus illis non intererat, et immittebant in Calicem ad verba: *Pax Domini.* Idem Pontifex, et Episcopi ante quartum saeculum Eucharistiam accipiebant ab Ecclesiis remotioribus. Hae porro particulae ad Ecclesias missae, vocabantur *Fermentum.* Anastasius Bibliothecarius, et ex ipso Bollandiani Continuatores in Propylaeo ad Acta Sanctorum Maii p. 51. de Melchiade, et p. 53. de Siricio PP. *Hic fecit, ut oblationes consecratae per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur Fermentum.* Habebantur enim, ut symbolum communionis, et charitatis, quo significabatur idem Sacrificium oblatum a Pontifice, ab Episcopis, et Presbyteris, ex quo tum ipsi, tum fideles omnes participabant iuxta illud Apostoli I. ad Cor. c. 10. v. 17. *Unus panis, unum corpus, multi sumus omnes, qui de uno pane participamus.* Potior autem, ac mystica ratio immittendi Eucharistiam in Sanguinem, ea est, ut designetur nempe renovata unio Corporis et Sanguinis Christi, eiusque gloriosa resurrectio. In Missa usque ad hanc partem Passio et mors Christi repraesentata est per consecrationem Corporis et Sanguinis separatim factam; et licet separatio haec sit tantum mystica, cum corpus non sit reipsa sine Sanguine, nec Sanguis sine Corpore; tamen mystica hac separatione expresse Christi passio et mors nobis repraesentatur. Reliquum erat, ut exprimeretur gloriosa Jesu Christi resurrectio. Id aptius fieri non poterat, quam particulam Hostiae immittendo in Calicem, ut ita Corpus iterum cum Sanguine coniungeretur, ut observat Micrologus *de Ecclesiasticis Observationibus* cap. 17. Hinc Innocentius III. merito ait: *Commixtio panis et vini designat unionem carnis et animae, quae in Resurrectione Christi denuo sunt unitae.*

V. Sacerdos, dum particulam immittit in Calicem, hanc submissa voce dicit Orationem: *Haec commixtio et Consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.* Ita porro se habet sacrae commixtionis Oratio, quam legunt antiquissimi Romani Ordines, Amalarius, Micrologus, et innumera prope manuscripta Missalia Galliae, Angliae, et Germaniae. Non dicitur tamen a Carthusianis, et desideratur in usibus Cluniacensibus, uti observat Franciscus Amatus Pouget *Institutiones Catholicae* Tom. 2. pag. 880. In aliquibus Missalibus, praeter vitam aeternam ponitur in hac Oratione salus Corporis, et Animae his verbis: *Haec sacrosancta commixtio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat mihi, et omnibus sumentibus salus mentis, et corporis.* Haec Oratio omittitur Feria VI. Maioris Hebdomadae, cum Hostia immitatur in vinum non consecratum. Bellarminus Lib. 2. *de Missa* c. 17. Orationis et illius vocis *Consecratio* vetustatem probat, quam vocem ita explicat: *Neque habet aliquid incommodi ea vox, si bene intelligatur; non enim petimus, ut nunc fiat Consecratio, sed Consecratio antea facta sit nobis ad vitam aeternam salutaris.*

VI. Peracta confractione sacrae Hostiae, sequitur precatio: *Agnus Dei etc.* Scriptores nonnulli, precationem huiusmodi antiquitus in confractione Hostiae decantari solitam, ex Sergii I. Romani Pontificis instituto, usu receptam referunt. Sed Mabillonius, in sacrorum rituum antiquitate eruenda vir perspicacissimus *in Commentariis in Ordinem Romanum* cap. VIII. num. VII. pag. LIV. LV. animadvertit, id quod varios recentiores rituum indagatores fugit, nempe in rubricis *Sacramentarii Gregoriani* assignari ad Missas: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.* Ita sane prostat in Sacramentariis ex editione Pamelii, ex Romana Angeli Rocchae, et ex Parisiensi Hugonis Menardi; quare censet Mabillonius, ante Sergii tempora, fortasse *Agnus Dei* a solis cantoribus decantatum fuisse: ut in priscis libellis Romani Ordinis traditur, deinde a Sergio Pontifice, ut a Clero et populo decanta-

retur, constitutum fuisse. Nam Liber Pontificalis in Sergii vita Capite XIV. uti notum est, his verbis Sergii decretum commemorat: *Hic statuit, ut tempore confractionis Dominici Corporis: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, a Clero et populo decantetur*. Apud Graecos antiquior est *Agnus Dei* mentio in sacris solemniis, sed non per modum precationis. Ex Jacobi Liturgia: *Ecce Agnus Dei Filius Patris, qui tollit peccata mundi* ter dicebatur, et ter item *Miserere nobis*; sed multis postea ingruentibus Ecclesiae adversitatibus, ut ait Innocentius III. Lib. 6. *de Mysteriis Missae* cap. 6. sive ad tollendum schisma, ut alii scribunt, statutum fuit ut tertia vice diceretur, *dona nobis pacem*; qui ritus ubique receptus est, excepta Basilica Lateranensi, in qua adhuc servatur antiqua forma dicendi ter *miserere nobis*. Hugo Victorinus Lib. II. *de Officiis Ecclesiasticis* cap. XVIII. ter dici *Agnus Dei* affirmat; ac ad tertiam vicem, *Dona nobis pacem* pronunciari: *Agnus Dei*, inquit, *ter cantatur, ut verus agnus, cuius carnem, et sanguinem sumimus, nobis propitietur. Primo rogamus, ut nobis misereatur, peccata relaxando: Secundo ut nobis misereatur, devotos sibi faciendo: Tertio, ut nobis pacem donare dignetur, quae hic initium habet in Sanctis, et in beata vita perficietur*. Eam Orationem dicens Sacerdos, percutit sibi pectus in signum contritionis cordis sui. In Missis Defunctorum non percutit sibi pectus, nec dicit *Miserere nobis*, sed *dona eis requiem*, ut ostendat, se Defunctorum magis, quam sui esse memorem, ut advertit Hugo de S. Victore. Verum ideo non dicitur *Miserere*, vel *dona eis pacem*, ut Alexander de Ales observat, quia Missa pro defunctis specialiter celebratur, ut quies a poenis eis indulgeatur.

VII. Ante communionem Romano ritu praemitti solent tres Orationes, non ex antiqua Summorum Pontificum institutione, sed ex Religiosorum traditione, ut docent cum Micrologo, Amorius, Bellarminus, et Gavantus. Prima est, qua Sacerdos pacem precatur Ecclesiae: post eam sequitur Osculum pacis, quo ipse Ministros, deinde isti, et omnes Fideles se invicem salutant in signum

unionis, et mutuae charitatis. Apostolicum institutum hoc est, ut per solemnia pacis Sacrificii consummatio fiat. De hujus autem apud priscos Christifideles osculi antiquitate, antequam sacram Eucharistiam sumerent, plene disputavit in Annalibus Ecclesiasticis Magnus Baronius. Non una fuit primis Christi saeculis Ecclesiarum de pace danda inter divina mysteria consuetudo; aliae enim Ecclesiae, et praesertim Orientales, pacis osculum mutuum inter fideles praescribebant post *oblationem*, quia Ecclesiae Romanae mos fuit, nempe, ut post confecta mysteria, idest, cum *Pax Domini sit semper vobiscum*, pronunciandum esset pacis osculum tradebatur. Ita enim produnt vetusti Romani Ordinis libelli. In Liturgia Jacobi post Symboli recitationem porrigitur osculum, praemonente Diacono: *Osculemur nos in osculo sancto*. In Liturgia Chrysostomi ante Symbolum ait Diaconus: *Diligamus nos invicem, ut in concordia confiteamur Patrem, et Filium et Spiritum Sanctum*. Mozarabes in singulis Missis proprias habent orationes pro osculo pacis, quibus breviter a Deo petunt, ut oscula fidelia sint. Insuper eiusdem osculi tamquam ab Apostolis instituti mentionem faciunt veteres Patres, Tertullianus, *de Oratione* cap. 14.; et Lib. 2. *ad uxorem* cap. 4.; Justinus Martyr, *Apologia II.*; Cyrillus Hierosolymitanus, initio Catechesis quintae; Hieronymus, *Epistola 62. ad Theophilum Alexandrinum*; Augustinus, *Sermone 83. de diversis*; Anastasius Synaita, *Orat. de sancta Synaxi*. Hoc porro pacis osculum, quia signaculum erat Ecclesiasticae communionis, propterea nonnisi inter Christifideles mutuo praebebatur, adeoque publice, et notorie excommunicatis, Haereticis Schismaticis aliisque si aderant, huiusmodi interdictis negabatur. Inter excommunicationis poenas, quas antiqui Canones recensent, praecipua est osculi pacifici denegatio. Vide Isidorum, *in Regula* cap. 16.; Concilium Vernense ann. 755. can. 9. Capitularia Caroli Magni Lib. 5. cap. 42. Instrumentum osculi loco, in Ecclesia, infimo aevo introductum est. Est autem tabella aurea, seu argentea, cui imago aliqua sacra insculpta est. Haec autem tabella vul-

gari vocabulo *Pax* appellatur: sed variis nominibus donata est. Nam in Synodo Exoniensi A. D. 1287. *Conciliorum* tom. XI. pag. 1278. *Asser ad pacem*, in Concilio Mertonensi A. D. 1300. can. IV. *Tabula pacis*; in Synodo Baiocensi A. D. 1300. *Marmor*; in statutis Walteri Archiepiscopi Eboracensis A. D. 1250. *Osculatorium*, dicitur, ut et *lapis pacis*. Vide Cangii Glossarium in his vocibus. Hoc autem pacis osculum antiqua syntaxi Ecclesiastica exprimitur per haec dicendi genera, nempe: *pacem dare, pacem facere, offerre*, ac *tribuere*; quas quidem loquendi rationes congessit Cangius, verbo: *Pacem dare*. Prima Oratio *Domine Jesu Christe* ex Missalis Rubrica omittitur in Missis Defunctorum, nec datur in istis Pax. Orationem omitti, dicit Durandus Lib. 4. cap. 53.; quia ea est de pace; pax autem Defunctorum Missis non convenit, ut docet Alcuinus, et post ipsum Amalarius. Durandus vero addit, non dari pacem, *quia iam Defuncti quiescunt in Domino, neque amplius sunt in turbatione hominum*. Divus Thomas 3. par. quaest. 93. art. 4. in corpore ita loquitur: *Praeparatur populus per pacem etc. Est enim hoc Sacramentum unitatis et pacis. In missis tamen Defunctorum, in quibus Sacrificium offertur non pro pace praesenti, sed pro requie mortuorum, Pax intermittitur.*

Caput XXIX.

De Communione Sacerdotis, et populi.

I. Dicta tertia Oratione, quae incipit *Perceptio*, Sacerdos dicit *Panem coelestem accipiam et nomen Domini invocabo*, quae verba deprompta sunt ex Psalmo 115. Verba *Domine, non sum dignus*, sunt verba Centurionis cap. 8. Matthaei recensita. Ritus Centurionis verba recitandi in communione, vetustissimus est. Huius consuetudinis mentionem facit Origines Homilia 5. ad aliquot Evangelii loca, et Chrysostomus Homilia de S. Thoma Apostolo. Percussio pectoris humilitatem simul et compunctio-

nem cordis designat. Verba *Corpus Domini nostri* habentur in Libro 8. *Constitutionum Apostolicarum* cap. 13. et in Libro I. Sacramentarii S. Gregorii. Verba quae postea Sacerdos profert: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi*, sunt deprompta ex Psalmo 115. postrema vero *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo etc.* sunt ex Psalmo 17. Singularis mos fuit, ac praecipuus Summi Pontificis ritus, ut non apud Altare, sed apud Sedem Christi Domini Corpus, et Sanguinem sumat, nonnullis tantum diebus exceptis, de quibus Romani Ordines agunt. Cur vero apud Sedem, et non apud altare communicet, non omnes eamdem causam afferunt. Ritus certe est vetustissimus, ut ex priscis Romanis Ordinibus colligitur, et unius Romani Pontificis singularis; Innocentius III. Lib. VI. *Mysteriorum Missae* Capite IX. ideo Pontificem ad sedem communicare censet, quia: *Christus in Emmaus coram duobus discipulis fregit, et in Jerusalem coram decem Apostolis manducavit.* Durandus vero Lib. IV. cap. LIV. num. 5. ideo censet Romanum Pontificem ad sublimiorem locum communicare: *Quia est Christi Vicarius, et caput omnium qui in Ecclesia militanti degunt.* S. Bonaventura demum Opp. tom. 1. in Psalmum XXI. Christi Passionem hoc ritu exprimi autumat, quia cum Christus omnibus videntibus passus sit, ita Pontifex, omnibus videntibus Eucharistiam sumit. Adi Angelum Rocca in Commentario *de Sacra Summi Pontificis Communione Sacrosanctam Missam celebrantis.* Tom. 1. Opp., et confer etiam Mabillonium *Commentaria in Ordinem Romanum* pag. LV. Postquam Pontifex se communicaverat, sacros Ministros omnes, a dignioribus incipiendo, Sanctissima Eucharistia reficiebat. Quod autem Presbyteri in manus sacram communionem acciperent, et ad Altare communicarent, ex verbis Ordinis Romani V. satis apparet. Et in VI. legitur: Episcopi etiam et Sacerdotes cum Sanguine sumunt particulam quoque Hostiae in Calicem immissam. Olim tamen alius erat ritus Episcopis, qui eam particulam sumendam relinquebant Diacono et Subdiacono cum Sanguine, qui

superesset, ut observat Le Brun tom. 1. pag. 633. quem morem adhuc retinet in Missa solemni Romanus Pontifex, ut colligitur ex Caeremoniali, et testatur Cardinalis Bona Lib. 2. *Rerum Liturgicarum* cap. 17.

II. Olim ante Communionem clamabat Diaconus *Sancta Sanctis*: ac si diceret, qui non est Sanctus non accedat. His verbis invitabantur devoti Christifideles ad Communionem; et quidem munus hoc invitandi Diaconis cum primis incumbebat. Etenim in Jacobi Liturgia Diaconus postquam elevavit discos, et calices ad distribuendum, sive impertiendum Eucharistiae Sacramentum, populo dicit: *Cum timore, et fide, et charitate accedite.* Ipsam autem Eucharistiam sumpturis tabellae quaedam spongia perpolitae a Ministris apponebantur, veluti mensulae, ut ex Chrysostomo et Athanasio observat Baronius ad annum 57. num. 146. quibus hodie linteamina successerunt, ut si quid forte decidat, his accipiatur. Fatetur Gavantus, nulla extare vetera monumenta, quibus probari possit, olim *Confiteor* ante Communionem dici consuevisse: hanc tamen consuetudinem valde probat. Et Le Brun tom. 1. pag. 644. ait, hunc ritum recitandi *Confiteor*, et Orationem *Misereatur vestri*, ortum e consuetudine Ordinum Mendicantium saeculo XIII. Insuper Sacerdos Sacramentum distribuens, quid daret contestabatur, dicens: *Corpus Christi*: et accipiens respondebat *Amen*, qua voce verum illud esse profitebatur. Ambrosius Lib. 4. *de Sacramentis* cap. 5. *Dicit tibi*, inquit, *Sacerdos, Corpus Christi, et tu dicis Amen, idest verum*. Augustinus Lib. 12. contra Faustum cap. 10. *Habet enim magnam vocem Christi Sanguis in terra; cum eo accepto ab omnibus gentibus respondetur Amen.* Sunt alia quamplurima Patrum testimonia, quae in re clarissima coacervare inutile foret.

III. Tempore S. Gregorii Magni Sacerdos tradens Eucharistiam hac formula utebatur, ut in eius vita scribit Joannes Diaconus Lib. 2. *Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam.* In Constitutionibus Apostolorum Lib. VIII. cap. XVII. haec verba in porrectione

Eucharistiae praescribuntur: *Ac Episcopus quidem tribuat oblatam*, dicens: *Corpus Christi, et qui recipit respondeat: Amen. Diaconus vero teneat Calicem, ac tradendo dicat: Sanguis Christi, Calix vitae; et qui bibit, Amen respondeat.* Haec autem formula, *Corpus Christi*, et responsio *Amen*, aevo S. Ambrosii in usu fuit in Ecclesia Mediolanensi. Saeculis insequentibus verba in traditione Eucharistiae variis formulis proferebantur. Saeculo IX., ut audivimus ex Concilio Rotomagensi, quibusdam Ecclesiis dicebantur verba: *Corpus, et Sanguis Domini prosit tibi ad remissionem peccatorum, et ad vitam aeternam.* Alcuinus hanc formulam habet: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam aeternam.* Saeculi XI. initio aliae identidem formulae inveniuntur. Helgaldus Horiacensis Monachus in vita Roberti Francorum Regis hanc formulam prodit; nempe: *Corpus Domini nostri Jesu Christi sit tibi salus animae et corporis.* Aliae porro ante haec tempora formulae in Galliis viguerant. Ex variis hisce formulis, huc usque adductis, concinnata est, nonnullis immutatis, formula illa, qua hodie utimur, nimirum: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen*; sublata voce *Sanguis*, cum populus amplius sub utraque specie non communicet; neque a populo respondetur *Amen*. Reliquiae autem huius moris respondendi, *Amen*, supersunt in communione recens ordinatorum, qui dum Communionem ab Episcopo percipiunt, secundum hodierni etiam Pontificalis Romani auctoritatem, *Amen* respondent, et Episcopi manum deosculantur.

IV. Sacra Communio antiquo ritu non ore excipi solebat, ut hodie fit, sed manu, quam qui susceperat, ori reverenter admovebat. Suppetunt hac de re Sanctorum Patrum Graecorum, et Latinorum innumerabiles auctoritates. Tertulliano primus locus tribuendus est. Is Lib. de *Idolatria* exclamans adversus Christianos ab idolis ad Ecclesias euntes, ingemit illos *eas manus admovere Corpori Domini*, *quae daemoniis corpora conferunt*, quae scilicet idola gentibus fabricant. Idem hunc morem tangit

in Libris *ad Uxorem* Lib. II. cap. V., *de Corona Militis* cap. III., et de *Baptismo* in fine; S. Cyprianus vero passim *Epistola LVI. ad Thibaritanos* et in Libro *de Lapsis* cap. IX. Dionysius Alexandrinus Epistola ad Xystum R. Pontificem apud Eusebium Lib. VII. cap. 9. agens de quodam ab haereticis baptizato, qui reconciliatus Catholicae Ecclesiae, eius baptismum postulabat, ait: *Ego eum qui ad sacram Mensam astiterit, et manus ad suscipiendum sacrum cibum porrexerit, renovare non ausim.* S. Gregorius Nazianzenus Oratione in Julianum pag. 76. edit. Morellii, in Julianum invehitur, quod manus victimarum sanguine polluisset, ne quid in eis, quibus Eucharistiam accepisset, sancti superesset. Meminit etiam Nazianzenus de hoc ritu in oratione funebri Gorgoniae sororis pag. 287. et adversus mulieres Ambrosius se ornantes pag. 147. In hanc rem tota est Epistola S. Basilii ad Caesariam Patriciam. Celebria sunt S. Ambrosii verba ad Theodosium Augustum apud Theodoretum Lib. V. cap. XVII. *Quomodo huiusmodi manibus Domini Corpus accipias.* Gregorius Antiochenus *Oratione in diem* Sabbati Sancti apud Combefisium: *O Caelorum Rex, ne nos repellas, cum de tua freti Clementia, scelestis manibus sacrum tuum Corpus tenere ausi fuerimus.* Vide demum S. Hieronymum, in *Apologia ad Pammachium adversus Jovinianum*; S. Johannem Chrysostomum, *Homilia III. in cap. 1. ad Ephesios, et Homilia LII. in Matthaeum*; Cyrillum Hierosolymitanum, in *Catechesi V. Mystagogica*; Augustinum, Lib. II. adversus *Litteras Petiliani* capite XXIII., et alios. Porro hic notandum est, in susceptione Eucharistiae inter viros et mulieres discrimen aliquod fuisse: nam viri nuda manu, mulieres subiecto linteolo, quod *Dominicale* dicebatur, illam accipiebant. Viri enim, teste S. Caesario Arelatensi, inter Sermones S. Augustino adscriptos: *quando ad altare accessuri sunt, lavant manus suas, et omnes mulieres nitida linteamina, ubi Corpus Christi accipiant.* Quamdiu autem hic mos manibus accipiendi Eucharistiam a fidelibus in Occidentali Ecclesia perseveraverit, non una omnium est opinio. Magnus Baronius A. D.

57. num. CLII. pluribus de hoc more agit. Vignisse saltem hanc consuetudinem censet usque ad Hormisdae Romani Pontificis tempora, nimirum A. D. 516. Romae vero diu ante S. Gregorii M. tempora mos oblinuerat, ut Eucharistia in os laicorum immitteretur; scribit enim idem Gregorius in libris Dialogorum, Lib. III. cap. III. Agapitum Papam cuidam muto, et claudo *Corpus Dominicum in os misisse.*

V. Saeviente persecutione, quando in locis abditis sacra Synaxis peragebatur, qui ad eam conveniebant, non solum participabant de oblatis, sed particulas quoque acceptas a Sacerdote deferebant, et domi reverenter custodiebant, ut quia quotidie vitae periculum eis imminebat, quotidie seipsos possent sacra Communione ad certamen praeparare. Id testantur Tertullianus, Lib. 2. *ad Uxorem* cap. 2. et de *Oratione* cap. 14.; Cyprianus, in Libro de *Lapsis*; Basilius, *Epistola* ad Caesariam; et Hieronymus, *Epistola 50. ad Pammachium*. Quod si olim licitum fuit et domi privatim habere Eucharistiam, et eam secum in itinere deferre, credibilius est in Ecclesiis conservatam fuisse, ut semper in promptu esset ad infirmos communicandos. Aperte hoc docet Cyrillus Alexandrinus in *Epistola ad Arseniotem*, praefixa Libro adversus Antropomorphitas, qua eos redarguit, qui dicebant Eucharistiam in sequentem diem servandam non esse. Idem colligitur ex Poenitentiali Columbani Abbatis, in quo praescribit, quae poena sit illis imponenda, quorum negligentia Eucharistia corrupta sit. S. Hieronymus docet Sanctum Exuperium Tolosanum Episcopum semper Eucharistiam in promptu habuisse pro his omnibus, qui eam petiissent. Leo Pontifex IV. in Decretis statuit: *Ut in Sacrario Eucharistia pro infirmis non desit.* Dionysius Alexandrinus apud Eusebium Lib. 6. post relatam poenitentis Serapionis historiam, se constituisse ait, ut nemini morituro Eucharistiam petenti, illa negaretur. Eudocia Martyr apud Henschenium die 1. Martii, antequam ad martyrium duceretur, brevi morula a satellitibus impetrata, ad sacram aedem cucurrit, et arcula

reserata sacrosancti Corporis Christi particulam acceptam sinu recondidit, et cum militibus abiit. Concilium Carthaginense IV. an. 398. celebratum, can. 78. *Poenitentes*, inquit, *qui in infirmitate Viaticum Eucharistiae acceperunt*. Et alibi: *Si continuo creditur moriturus, infundatur ori eius Eucharistia*. Canones Egberti Eboracensis Episcopi anno 747. can. 22. *Ut Presbyter semper habeat Eucharistiam paratam ad infirmos, ne sine communione moriantur* Hincmarus *in Capitularibus suis pro Parochis* cap. 8. *Ut habeat Pyxidem, in qua servaretur Corpus Dominicum, dependens super Altare*. In antiqua descriptione Ecclesiae Cantorbonensis pag. 486. *Pyxidem cum Eucharistia, quae desuper maius Altare pendere solebat*. In Monasterio Bobiensi servatur vetus columba ex auricalco ad reponendum olim viaticum, ut scribit Mabillonius in Italico itinere pag. 217.

VI. Dum communio ministrabatur, hic ordo servabatur. Primo celebrans communicabat seipsum, deinde Episcopos, si qui aderant, vel Presbyteros simul cum eo Synaxim agentes: tum Diaconos, Subdiaconos, et Clericos, Monachos, Diaconissas, et sacras Virgines; novissime populum, adiuvantibus Presbyteris, primo viros, deinde mulieres. Idem servabatur in distributione Calicis, quoties sub utraque specie dabatur communio. Presbyteri per se sumebant Calicem, Diaconi a Presbyteris, reliqui a Diaconis, ut constat ex Ordine Romano, et ex Graecorum Euchologio posteriori. Praemittebatur communicantium exploratio, et notitia, unde illa vox in quibusdam Liturgiis, *Agnoscite vos invicem*. Quod spectat ad locum, celebrans in medio Altaris, alii Presbyteri in circuitu, Diaconi posteriori Altaris parte communicabant, Subdiaconi et Clerici in limine Sanctuarii, sive in Choro; reliqui extra Cancellos. Graeci Sanctuarium ingredi soli permiserunt Imperatori Can. Trullano 69. De situ communicantium, si de Graecis sermo sit, nulla est dubitatio, quin stantes divina dona perciperent; ita enim praescribunt ipsorum Ritualia, quibus consonant Sancti Patres: sed prono capite, et demissis oculis, ut Cyrillus

Catechesi 5. De Latinis, ut observat Cardinalis Bona, nihil habetur ex antiquis Scriptoribus. Insuper observandum est, quod Episcopus, sive Presbyter communicantes, et isti vicissim Episcopum, aut Sacerdotem, sive ante, vel post susceptam Eucharistiam osculabantur; hunc morem Clarissimus P. Joannes Mabillonius in *Commentariis ad Ordinem Romanum* pag. 56. num. 11. opinatur aeque in usu fuisse in Orientis ac Occidentis Ecclesiis, et suadetur tum ex Epistola 62. Divi Hieronymi adversus Joannem Hierosolymitanum scripta, in qua sic ait: *Quisquamne tibi invitus communicat? quisquamne extenta manu vertit faciem, et inter sacras epulas Judae osculum porrigit*; tum ex narratione Pauli Diaconi Emeritensis, qui in *Vitis Patrum* cap. 7. loquens de Fideli Episcopo: *Vade*, inquit, *communica et da nobis osculum*. Usum postea huiusmodi osculi tantum retinuerunt, dum solemniter celebrans Sacerdos Ministris communionem porrigebat, ut habetur in antiquo ritu celebrationis Missae Joannis Episcopi Abrincensis apud Menardum in *Appendice ad Librum Sacramentarii Sancti Gregorii Papae*. Ex hac consuetudine credi potest subinde ortum habuisse, Episcopi communionem porrigentis annulum manus osculandi usum, de quo in Caeremoniali Episcoporum, et in Pontificali Romano, aliisque Ritualibus Libris. Vide hac de re Franciscum Amatum Pouget *Institutiones Catholicae* Tom. 2. pag. 887. col. 2.

VII. Illa superest praxis laude dignissima psalmos cantandi, interea dum populus communicabat. Hi vero Psalmi vel a Clericorum Choro, vel ab populo voce elata canebantur pro varia cuiusque Ecclesiae consuetudine. Difficile est vero statuere, qui Psalmi apud omnes Ecclesias potissimum cantati fuerint. Satius erit unius cuiusque ritum persequi, prout se observanti dant monumenta. *Constitutiones Apostolicae Lib. VIII. cap. XIII.* cani iubent psalmum trigesimum tertium, *Benedicam Dominum in omni tempore*. Hieronymus *Epistola XXVII. ad Lucin. Boetium* innuere videtur, et hunc, et quadragesimum quartum, *Eructavit cor meum verbum bonum*, can-

tatum fuisse. Afros maxime prae ceteris psalmodiam commendasse inter communicandum, docet tum Tertullianus de *Ieiunio* cap. XIII. qui meminit psalmi CXXXII. *Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum;* tum Augustinus in Psalmum CXXXIII. Chrysostomus *Homilia in Psalmum CXLIV.* cantatum dicit psalmum CXLIV. ob illud praecipue comma: *Oculi omnium in te sperant, Domine; et tu das escam illorum in tempore opportuno.* Neque dissonant Liturgiarum rubricae. Liturgia Chrysostomi ἁπλῶς (*simpliciter*) a populo cantari iubet psalmos. Jacobaea praescribit psalmum trigesimum tertium, uti etiam Clementina. Denique Marci Liturgia psalmum quadragesimum primum; *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum etc.* Eucharistiam Clero populoque ubi dispertiverant, si quid fragmentorum superesset, pueris innocentibus ministrabant. Concilium Matisconense II. A. D. 585. Can. VI. Conciliorum tom. V. pag. 982. statuit: *ut quaecumque reliquiae Sacrificiorum post peractam Missam in Sacrario supersederint, quarta vel sexta feria innocentes, ab illo cuius interest, ad Ecclesiam adducantur, et indicto eis ieiunio, easdem reliquias conspersas vino percipiant.* Tanta adeo fuit in hoc Sacramentum religio, ut ne ipsis quidem infantibus concesserint ac illud non ieiunos accedere.

VIII. Omnes, qui sacris aderant, ad Eucharistiae participationem admissi erant, si unos excipias Catechumenos, et in poenitentia constitutos, quos, expleta Evangelii lectione, ab Ecclesia discedere iubebat Diaconus. Eidem classi accenseas haereticos, schismaticos, et quoscumque infideles, quibus quamvis in Ecclesias pateret aditus, et Scripturarum lectioni sacrisque concionibus adesse liceret, eos tamen una cum Catechumenis dimissos fuisse alibi notavimus. Insuper a communione exclusi fuerunt energumeni, qui nimirum impuris spiritibus vexantur. Constitutiones Apostolicae Lib. VIII. cap. VII, absoluta Episcopi oratione super energumenos, Diaconus inclamat: *exite energumeni.* Verum aliquando cum iis indulgentius actum est, praesertim si non diuturna, sed

per intervalla, remittente perturbatione, exagitarentur. Eos igitur ad Communionem admittit Synodus Arausicana, tum et Arelatensis. Et non paucos Eucharistiae participatione a daemonis vexatione liberatos fuisse, refert Cassianus *Collat.* VII. cap. XXX. Tandem ne longius, quam par est, progrediamur, eos omnes ab Eucharistiae Communione olim arceri consuevisse intelligas, quorum ad Altare oblationes recusavit Ecclesia.

Caput XXX.

De Communione sub utraque specie.

I. Ab Ecclesiae primordiis (1) ad saeculum XII. sub utraque specie sacra Mysteria sumpserunt. Quod ex Justino, *Apologia* II.; Cypriano, in libro de *Lapsis*; Leone Magno, serm. 4. in Quadragesima; aliisque compertissimum est. Haec disciplina etiamnum apud Graecos viget. Fidelibus Christi Sanguis porrigebatur *Calice ministeriali*. Praeterea iuxta doctissimum Cardinalem Bonam, extra Sacrificium, et extra Ecclesiam semper, et ubique Communio sub una specie in usu fuit. Initio saeculi XII. usus Calicis obsolescere coepit plerisque Episcopis eum populo interdicentibus ob periculum effusionis, quod inevitabile erat. Haec autem mutatio facta est primum a diversis Episcopis in suis Ecclesiis, deinde a Synodo Constantiensi canonica sanctione pro omnibus stabilita, nullo profecto spiritualis refectionis detrimento ut fideles experiuntur; nulla divinae Legis transgressione: quia Communio sub utraque specie nec divinitus instituta fuit, nec unquam antiqui Patres eam ad salutem necessariam esse docuerunt. Notabile est quod princeps Theologorum docet 3. p. q. 80. art. 12. ad 2. *Perfectionem* videlicet *huius Sacramenti non in usu Fidelium, sed in consecratione materiae sitam esse, et ideo nihil derogat perfectioni huius*

(1) Mabillonius, *Praefatio in saeculum III. Benedictinum*, et Bossuet, *de Communione sub utraque specie.*

Sacramenti, si populus sumat Corpus sine Sanguine, dummodo Sacerdos consecrans sumat utrumque.

II. Plura enim et remotae antiquitatis praesto sunt monumenta, quae sub una specie Eucharistiae communicari consuevisse tam perspicue ostendunt, ut Protestantes, qui id impudenter inficiantur, oculis captos merito dixeris. Communionem sub una specie usitatam olim fuisse probat mos ille, quo aegrotis Eucharisticus dumtaxat panis ministrabatur. Morem hunc ostendit, quod de quodam sene Serapione narrat Dionysius Alexandrinus apud Eusebium Lib. VI. *Historiae Ecclesiasticae* cap. XLIV. Sub una dumtaxat specie sacra Eucharistiae refectus S. Ambrosius, cum morti proximus esset, ex hac vita ad superos evolavit; uti refert Paulinus Diaconus in eius vita. Heic autem, ne quid affectato silentio nos praeterire redarguant Heterodoxi, omittendum non est, quod mos iste unam dumtaxat Eucharistiae speciem aegrotis deferendi non ita constanter viguit, ut nunquam sub utraque specie iis Eucharistia fuerit administrata. Nonnunquam enim binas aegrotis species allatas fuisse, tum potissimum cum sub celebratae Missae tempus ipsis Eucharistia afferebatur, non pauca Ecclesiasticae Historiae monumenta suadent. At cum nulla huiusmodi opportunitas adesset, et ex reservata Eucharistia Communio aegrotis deferenda esset, nonnisi unus Eucharisticus panis ipsis tradebatur. Hinc quaecumque ex historia Communionis sub utraque specie ab aegrotis acceptae exempla proferunt, ea omnia, advertente Bossuetio, spectant ad Episcopos, Presbyteros, Monachos, aliosque, qui iuxta Ecclesias, aut oratoria privata incolerent, et commode Missam celebrare poterant; aut ex peracto Sacrificio utraque ipsis species opportune deferri poterat. Sub una specie administratam olim fuisse Eucharistiam probat etiam infantium Communio. Iis enim antiquitus, atque etiam secutis deinde aetatibus unius vini speciem tribui consuevisse. Hunc morem exprimit S. Cyprianus *Epistola LXIII* ad Caecilianum cum ait: *Per Baptismum Spiritus Sanctus accipitur, et sic a baptizatis, et Spiritum Sanctum consecutis*

ad bibendum Calicem Domini pervenitur. Jam vero praetereundum non est, quod huiusmodi de parvulorum Communione consuetudo aliquando posterioribus saeculis in Ecclesia mutata sit; ita nimirum ut loco sacrati Sanguinis Eucharisticus panis ipsis tribueretur. Unius speciei Eucharistiae administrationem probat etiam domestica Communio, quae tum in Oriente, tum in Occidente servata est. Atqui veteres Patres cum de Eucharistia domi reservata loquuntur, nonnisi unius panis speciem memorant. Nec aliter communicabant Anachoretae in vastis solitudinibus, quam particulis quas secum ferebant, cum in solemnioribus festis ad Ecclesiam conveniebant; vel ad eos mittebant aut portabant Sacerdotes. Morem hunc sua aetate obtinuisse tradit Basilius *Epistola* 289 ad *Caesarium* et satis aperte nonnisi panem tantummodo ab huiusmodi Monachis in eremo asservatum fuisse innuit. Graeci sub una specie communicant toto tempore Quadragesimae, quo Praesanctificatis utuntur, exceptis Sabbatis, et Dominicis.

III. Quod Christus Jesus in ultima Coena sub utraque specie Sacramentum hoc instituerit, et sub utraque itidem specie Apostolis dederit, non inde tamen bene infertur, fideles praecepto obligari divino ad illud sub utraque specie percipiendum. Consonat Tridentina Synodus cum Constantiensi Concilio, quo docemur Sess. 21. ex eo quod Christus Eucharistiam sub utraque specie instituerit, *non recte colligi utriusque speciei Communionem a Domino praeceptam esse*. Communione unius tantum speciei aeternam vitam conferri, habes ex Joanne cap. 6. v. 52. et 59. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivat in aeternum.* Et divus Paulus *Epistola* 1. *ad Corinthios* cap. 11. v. 27. disiunctive ait: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini etc.* Insuper nullum extat divinum praeceptum quo adstringantur laici et Clerici, atque etiam Sacerdotes qui Missam non celebrant, ad accipiendum Sacramentum sub utraque specie; ac praeter textus, quos citavimus, in Actis Apostolicis, ubi sermo est de Communione fidelium, tantummodo mentio fit de

pane, ut videre est cap. 2. *Erant autem perseverantes in oratione, et doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis.* Quo loco Eucharistiam designari, concors est Interpretum sententia nec diffitentur Calvinistae. Ideo Synodus Tridentina a Spiritu Sancto edocta, ac ipsius Ecclesiae iudicium ac consuetudinem sequuta, declaravit et docuit laicos et Clericos non conficientes, nullo divino praecepto obligari ad sumendam Eucharistiam sub utraque specie. Quare gravibus, ac iustis causis adducta veterem consuetudinem sumendi Eucharistiam sub utraque specie, quae iam fere desierat altera commutavit sub una dumtaxat communicandi, atque hanc pro lege habendam decrevit.

Caput XXXI.

De Eulogiis et Agapis.

Erant Eulogiae panes, qui dissecti in particulas supererant consecrationi, et in fine Missae distribuebantur a Sacerdote iis, qui ob aliquod impedimentum non poterant aut non erant parati communicare. Id Graeci et Latini Scriptores testantur. Solebant autem comedi in Ecclesia, de qua re extat decretum Synodi Constantinopolitanae tempore Alexii Comneni habitae: quem ritum etiam a Latinis servatum legimus. Graeci tamen recentiores, cum peregre proficiscuntur, Eulogiam secum deferre consueverunt. Ab hac publica , et solemni Eulogiarum distributione exortae sunt aliae privatae inter Ecclesiasticos, et Religiosos, qui panes sibi invicem mittebant , velut symbolum religiosae fraternitatis. Eulogiarum primam institutionem Synodo Antiochenae sub Constantio celebratae videtur adscribere Balsamon ad Canonem 2. sed illas antea in usu fuisse, ex Scriptoribus constat. Vide S. Augustinum Lib. 3. contra Petilianum cap. 16. His addenda quae in hanc rem congessere Baronius, ad annum 313.; Albaspinaeus, Lib. I. *Observationum Ecclesiasticarum* c. 8.; Pithoeus, ad Capitula Caroli Magni;

Durandus, Lib. 2. de *Ritibus Ecclesiasticis;* Sirmondus, *Lib. de Azymo* c. 6.; Cardinalis Bona, *Rerum Liturgicarum* cap. 23.

II. Agapae sic dictae, quod vel charitatem commendarent, vel propter charitatem fierent, veterum Christianorum convivia erant, quae statis diebus ab ipsa Apostolorum aetate in Ecclesia fieri consueverunt. Ab Apostolicis usque temporibus Agaparum ducuntur initia. Harum quippe meminit Paulus in Epistola 1. ad Corinthios, Chrysostomus in eamdem Epistolam Hom. 27.; Oecumenius, in ipsam Pauli Epistolam. Agunt de iisdem passim antiqui Patres, quos refert Jacobus Bosius Lib. 6. *Romae subterraneae* cap. 27. et Concilium Gangrense anathemate perstringit illos, qui eas sprenerent. De Agapis, an ante, vel post sumptam Eucharistiam olim celebrarentur, varia sensientibus antiquorum nonnullis, disputant Eruditi. Disputatur porro, num eiusmodi convivia olim ante, an vero post Eucharistiae communionem celebrarentur. Attamen verior, et communior sententia; Agapas scilicet non ante, sed post sumptam Eucharistiam fieri solitas etiam Ecclesiae initio. Ea sane est Chrysostomi, *Homilia* XXVII.; Theophylacti, in I. ad *Corinthios* cap. XI.; Theodoreti, in 1. ad *Corinthios*. His succinunt Gregorius Nazianzenus, *oratione* 40. quae est de Baptismo sub fine; et Epiphanius contra *Haereses* Lib. 2. in fine; Ambrosius, item *Serm.* 8. in psalmum 118. Sed et eorum antiquiores affirmant, Cyprianus, *Epistola* 63.; atque ante ipsum Tertullianus, Lib. 2. ad Uxorem. Quantis autem mutui amoris significationibus, quantaque sobrietate a primaevis Christianis huiusmodi convivia agerentur, elegantissime describit Tertullianus in *Apologetico* cap. XXXIX. Jam vero huiusmodi convivia tribus potissimum de causis inter Christianos deinde celebrari consueverunt: 1.° cum Martyrum memoria, ipsorum natali die redeunte, recolebatur, ut mutuus inter Christianos amor foveretur, et pauperum indigentiae consuleretur. Tum enim publicae in Ecclesia instruebantur epulae. Eas describit Theodoretus. 2.° Fidelium etiam nuptiae

communibus hisce conviviis decorari solebant; *connubialis* enim *epuli* meminit Gregorius Nazianzenus, tum ad ea Presbyteros etiam vocari consuevisse, colligere datur ex canone Neocaesariensi. 3.° Frequentes erant Agapae, eaeque, saltem in Occidente, in ipsis Ecclesiis habebantur, cum fidelium defunctorum funus ageretur. Solitas quoque exhiberi in Dedicationibus Ecclesiarum testatur Baronius Annal. Tom. 1. an. 57.

III. Ambrosius Agapas ab Ecclesia Mediolanensi sustulit, cuius exemplo ipse Augustinus Aurelio Carthaginensi Primati persuasit, ut idem prohibendum in Africanis Ecclesiis peculiari decreto in Concilio Carthaginensi III. curaret, quod et factum est Can. 30. Exinde postea prohibitum idem fuit in Concilio II. Sicque deinceps Agapae, ob abusus, qui sensim irrepserant, penitus sublatae fuere. Id autem non evenisse nisi post saeculum quintum, fidem facit S. Petrus Chrysologus. Porro de Agapis, varioque earum genere apud veteres Christianos, plerique scripsere: Cardinalis Baronius, ad annum 57. num. 132.; Bosius, eiusque continuatores, Aringhus, et Severanus, in *Roma subterranea* Lib. 6. cap. 27. ubi pag. 607. antiquorum Agapis imaginem in Coemeterio Sanctae Agnetis via Nomentana repertam exhibent; Marcus Antonius Boldettus, in *Observationibus ad Martyrum Coemeteria* pag. 45.; Binius, in *notis ad Concilium Laodicenum, et Carthaginense sub Siricio Papa;* Schelestratius, de *Ecclesia Africana;* Ferrandus, in *Disquisitione Reliquiarum.* Prae caeteris particulares de Agapis, eruditasque texuerunt dissertationes doctissimi viri Gabriel Albaspinaeus Episcopus Lib. 1. *Observationum*, et Ludovicus Antonius Muratorius in *Anecdotis Graecis* peculiari Dissertatione pag. 241.

Caput XXXII.

De Missa a communione usque ad finem.

I. Diutius in disquisitione Communionis immorati sumus, iam ad finem Divini Sacrificii accedendum est. Postquam omnes communicaverunt, ait Micrologus cap. 23. dicit Sacerdos: *Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.* Antiquissima est haec Oratio, et reperitur in Sacramentariis Leoniano, et Gelasiano. Hanc Orationem secreto recitandam plerique Codices manuscripti insinuant. Ad ablutionem autem Calicis, et digitorum dicitur: *Corpus tuum Domine.* Ita habetur apud Cardinalem Thomasium *Cod. Sacram. Ecclesiae Romanae* pag. 392., cui etiam consimilis legitur in Missa edita a Matthia Flacco Illyrico. P. Le Brun tom. 1. parte 4. art. 9. pag. 637. opinatur ex Missali Gothico descriptam dictam Orationem, et in reliquarum Ecclesiarum postea usum introductam. Eadem Oratio, sed aucta, legitur in Codice insignis Ecclesiae Sancti Gatiani Turonensis anno circiter 800. edito a P. Martene Lib. 2. de *antiquis Ecclesiae Ritibus* cap. 4. art. 12. In manuscripto Pontificali Prudentii Trecensis Episcopi ab eodem Martene vulgato pag. 533. ita refertur: *Corpus Domini nostri, quo pasti sumus, et Sanguis eius quo potati sumus, adhaereat in visceribus nostris, et non nobis veniat in iudicium, neque ad condemnationem, sed proficiat nobis ad salutem, et ad remedium vitae aeternae.*

II. De lotione manuum post completam Communionem, nihil primi Romani Ordinis libelli praecipiunt. Sextus vero Ordo num. 13. eam praescribit his verbis: *Sedente vero Episcopo, secundum praedictum ordinem, tres Acolythi genuflexo ante eum aquam manibus ministrant.* In Missa ex Codice Ratoldi monetur, ut: *Episcopus sedeat in solio, et lotis manibus, tertio revertatur ad Altare, et dicat collectam.* De hac autem ablutione Saeculi XII. initio lo-

quitur Ivo Episcopus Carnotensis de *Rebus Ecclesiasticis* Serm. V. pag. 283. De hac item ablutione post medium Saeculum XIII. loquitur Alexander Alensis Par. IV. *Summae Theologiae quaest. X. Tract. de Officio Missae*. P. 11. in fine pag. 181. vol. 2. : *His peractis, Sacerdos abluit manus.... ob reverentiam Sacramenti, et ut indignitatem suam memoret: et ut indignum existimet, ut manus, quae corpus incorruptibile contrectaverunt, corpus corruptibile, vel aliud immundum contingant: donec studiose laventur. Trina vero Sacerdotis ablutio, in principio, in medio, et in fine designat munditiam cogitationis, et actionis.* Eadem habet Durandus Lib. IV. cap. LIV.

III. Versus ex Psalmis petitus, qui nunc a Sacerdotibus in Missis privatis post purificationem Calicis dicitur, et in Missa Pontificali cantari solet a Choro post sumptam a Pontifice, et Episcopis communionem, olim *Antiphona ad Communionem* dicebatur, nunc in editis Missalibus *Communio* nuncupatur, quia, ut observat Gavantus, canebatur interea dum populo Eucharistia distribuebatur. Huius vero Antiphonae canendae ritum in Romana Ecclesia explicant Romani Ordines: primitus Psalmus integer eo modo, quo Antiphona ad Introitum cantabatur. Prisco ritu, si Antiphona ad Communionem ex Psalmo sumpta non fuisset, repetebatur psalmus, qui cantatus fuerat ad Introitum. Id enim monet S. Gregorii Antiphonarius. Meminit autem de hac Antiphona Amalarius, Lib. III. cap. XXXIII. qui censet, per eam fideles provocari ad gaudia resurrectionis. Nonnulli ex Liturgicis Scriptoribus per cantum huius Antiphonae, gratiarum actionem exhiberi scribunt. Rupertus Tuitiensis Lib. II. de *Divinis Officiis* cap. XVIII. *Cantus*, inquit, *quem Communionem dicimus, quem post cibum salutarem canimus, gratiarum actio est iuxta illud*: *Edent pauperes etc.* Haec eadem repetit Hugo Victorinus, Lib. II. de *Ecclesiasticis Officiis* cap. XLI.; Innocentius vero III. Lib. VI. cap. X. Amalario adstipulatur, qui insuper notat, hanc Antiphonam *reciprocando cantari*. Durandus Innocentium sequitur, Alexander Alensis Innocentii III. verba excribit.

Huius autem Antiphonae cantus in Ecclesia Occidentali vetustissimam habet originem. S. Augustinus *Retractationum* Lib. II. cap. XI. aevo suo, Carthagine usurpari coeptum fuisse scribit. Simile quid factum fuisse in Galliis priscis temporibus monet Mabillonius, de *Liturgia Gallicana* Lib. I. cap. V. num. 27. Cardinalis Thomasius edidit exemplum Psalmi Communionis.

IV. Antiphona ad Communionem cantata, in Missae Sacrificio iam tum a primis Ecclesiae temporibus oratio recitari consuevit, quae, quum post expletam Communionem diceretur: *Post Communionem* appellata est. Hoc enim nomine praefigitur in Codice Gelasiano, et in Sacramentario S. Gregorii ex editione Romana, et Pamelii. Alii Gregoriani Sacramentarii Codices, huic orationi: *Ad Complendum*, titulum praefigunt. Pertinet autem haec Oratio ad ipsam Communionem, et continet gratiarum actionem de percepta Eucharistia. Huc enim spectat Augustinus, dum ad Paulinum Epistola CXLIX: scribens, ait: *Participato tanto Sacramento, gratiarum actio concludit*. In Sacramentario S. Gregorii per Menardum edito, *ad complendum* haec oratio nominatur quod complere in Libris Liturgicis significat, rem divinam oratione, seu collecta concludere, et complere. *Post Communionem* autem ideo est appellata, ut notat Angelus Rocca, in *notis ad Sacramentarium* S. Gregorii col. 29. quia post communionem pro solis communicantibus dici solet. Huiusmodi Orationem, Benedictionem vocant Rabanus, et Walafridus Strabo. Huius autem Orationis conclusioni a populo, *Amen*, olim respondebatur. Num vero olim una tantum Oratio post Communionem diceretur, ut de oratione secreta adnotavimus, non est adeo exploratum. Est alia Oratio, quae dicitur super populum, quam Amalarius Lib. 3. cap. 37. *Ultimam benedictionem* vocat. Haec frequentatur per Quadragesimam in Missa feriali post Orationes, quae dicuntur *Postcommunio*: Sacerdos praefatus formulam, *Humiliate capita vestra Deo*, dicit Orationem super populum. Haec vetustissima est, ut colligitur ex Sacramentario Gelasiano, edito a Cardinali Thomasio.

Nunc in Quadragesima solum recitatur, ut divino praesidio muniatur populus adversus Diaboli insidias, quae diebus poenitentiae magis metuendae sunt, ut explicat Amalarius, olim vero per totum annum recitabatur. Micrologus verba facit de hac postrema Oratione Missae, aitque eam esse pro iis, qui non communicabant, ac propterea omittitur in Dominica, quia tali die populus communicabat; videlicet cum populus olim singulis Quadragesimae diebus communicaret, frigescente pietate, non communicavit nisi in Dominicis, aliis autem diebus supplebat Ecclesia per peculiarem orationem, ab ipsa factam super populum non communicantem.

V. Ut intelligamus, quam antiquus sit usus dimittendi fideles post peractum Missae Sacrificium, ea summatim perstringemus, quae in Libris Liturgicis de populi dimissione, Missa finita, traduntur. In primis autem a Romanis Ordinibus ordiamur. Finita oratione *ad complendum*, Diaconus, cui S. R. E. Archidiaconus mandabat, ad nutum Pontificis, conversus ad populum alta voce pronunciabat: *Ite, Missa est*. Et populus respondebat: *Deo gratias* Ordinis Romani I. verba haec sunt: *Finita vero oratione, cui praeceperit Archidiaconus de Diaconibus, aspicit ad Pontificem, ut ei annuat, et dicit ad populum: Ite, Missa est*. Respondent: *Deo gratias*. In Constitutionibus Apostolorum Lib. VIII. cap. XV. habetur *Ite in pace*. Huius autem formulae a Diacono prolatae in dimittendo populo, praeter Romanos Ordines, suffragatores habemus Alcuinum, Amalarium, Rabanum Maurum, et alios. De *Ite Missa est*, dicendo per Diaconum, mentio fit in Missa Illyrici, Ratoldi, Codicis Tiliani, ac item in veterrimis expositionibus Missae. Graeci alium loquendi modum adhibent; dicunt enim, *In pace Christi eamus*, ut videre est in Liturgiis Sanctorum Jacobi, Basilii, et Chrysostomi; respondet autem populus: *in nomine Domini*.

VI. Veteri ritu generaliter dicendum erat: *Ite, Missa est*. Successu temporis solemnis haec dimissio per Diaconum indicta habita est, ut signum gaudii; hancque ob causam dici desiit in Quadragesimae diebus, tum Domi-

nicis ferialibus. Cardinalis Bona credit potius tunc omissam dimissionem, cum fideles Missa peracta, non statim abibant, sed permanebant in Ecclesia, donec recitatis Canonicis precibus, et statione soluta abire fas erat. Adiuvat hanc Bonae coniecturam mos, qui olim vigebat in quibusdam Ecclesiis non dimittendi populum in prima Missa Nativitatis Domini, quia post recitandae erant Laudes. De formula *Requiescant in pace* loquitur Beleth cap. 49. *Dicitur in Missa pro Defunctis: requiescant in pace, quod ex sola consuetudine generali natum est.* Evidens autem habetur, quod quum in his Missis populus totus sit in Orationibus, pro Defunctorum solatio, non est dimittendus per *ite Missa est*, eo vel maxime, quod Missam saepe sequebantur cadaveris inhumatio, aliaeque preces. Porro illa verba *Requiescant in pace* quae in fine Missae pro Defunctis Sacerdos Celebrans profert, ea pariter dicit versa facie ad Altare, quia, ut notat Gavantus, sermo est de absentibus, idemque Sacerdos ipsa recitat verba semper in numero plurali, etiamsi, pro uno tantum Missam celebret, cuius ritus meminit Durandus in Rationali Lib. 4. cap. 47. et ante ipsum Stephanus Eduensis. Et quidem istius formulae sic terminandae ratio est, ut nimirum huius Officii finis respondeat principio, seu introitui Missae in quo pro Defunctis in communi aeterna postulatur requies. In hac Missae parte duae salutationes fiunt populo illis verbis, *Dominus vobiscum. Prima salutatio* inquit Biel pag. 918. *significat illam benedictionem, quam Christus ascensurus in Coelum legitur dedisse Discipulis suis. Ultima salutatio vitam aeternam significat, quam Christus ascendens ingressus est; quia cum ab eis recessit; consequenter scribit Lucas, ferebatur in Coelum.*

VII. Sacerdotes omnes, post: *Ite Missa est*, inclinati ad Altare recitant Orationem: *Placeat tibi, Sancta Trinitas,* quae licet a vetustis Romanis Ordinibus absit, paucissimis tamen verbis immutatis, eadem ferme est atque illa, quae in Missa Illyrici, in Codice Sancti Dionysii, in Sacramentario Moysacensi, in Missa Ratoldi, in Codice

Tiliano, et apud Micrologum occurrit. Hanc autem orationem, se scriptam invenisse in omnibus ferme Missalibus exaratis ante annum Christi millesimum, testatur Cardinalis Bona Lib. II. cap. XX. §. III. in fine. Sacerdos eam recitat secreto; est enim pro ipso peculiaris Oratio; eam recitat ante benedictionem, quia decet prius petere a Deo efficaciam proximae futurae benedictionis, quam istam impertiri. Etiam in Liturgia Chrysostomi Sacerdos orat pro omnibus, pro quibus obtulit Sacrificium. Haec Oratio, cum primum instituta fuit, ad Missam non pertinebat, sed dicenda erat a Sacerdote, postquam, expletis omnibus, sacras vestes erat depositurus, ut habent Micrologus cap. 22. Alexander Alensis initio saeculi XIII. et Radulphus Tungrensis initio saeculi XV.

VIII. Usus benedicendi populum recentioris ritus est, teste Bona Lib. XI. c. 20. num. 4. Olim quippe ante Communionem Episcopus benedictionem largiri solebat. Populum quippe benedicere, illi potissimum convenit, qui peculiari quadam ratione Christum Summum Sacerdotem, et Episcopum animarum nostrarum repraesentat. Recentiores ex Amalario, et Rabano Mauro asserunt, olim datam benedictionem antequam Diaconus diceret *Ite Missa est*. Ast errant; nam dicti Scriptores *Benedictionis nomine*, quam a Sacerdote, expleto Sacrificio, datam populo dicunt suo tempore, non intellexerunt benedictionem, quae nunc in usu est, sed designarunt orationem illam, quae *Postcommunio* vocatur. Benedictionis usum in fine Missae introductum esse in aliquibus Ecclesiis saeculo XII. censet Cardinalis Bona. Olim ter signis Crucis Sacerdos benedicebat populo, ut nunc faciunt Episcopi. Ritus hic sublatus est a Sancto Pio V., qui in solemnibus Missis dumtaxat eum voluit adhiberi. Clemens vero VIII. statuit, ut Presbyteri, etiam in Missis solemnibus, uno tantum Crucis signo populo benedicerent, ut videre est apud Meratum. In danda benedictione quidam olim fuerunt, teste Durando, qui Cruces duobus digitis coniunctis exprimebant, ut indicarent duas in unica Persona Christi naturas. Fuerunt alii, qui signa

haec exprimebant tribus digitis, quod signanter super oblata olim fieri consuevisse in Ecclesia Romana colligitur ex Innocentio III. de *Mysteriis Missae* Lib. 2. cap. 45. ratio huius ritus erat fortasse, ut mentio fieret Sanctissimae Trinitatis. Nunc danda est, ut in Rubrica praescribitur. In Missis pro defunctis omittitur benedictio, quia pertinet ad solemnitatem, qua carent Officia Defunctorum. Mozarabes praeter benedictionem, quae datur ante Communionem, aliam dant in fine Missae his verbis: *In unitate Sancti Spiritus benedicat vos Pater, et Filius.* Graeci saepe benedicunt, aliquando cum dicerio, vel tricerio, cereo scilicet duplici, vel triplici, aliquando sola manu signum Crucis efformantes. Vide Goar in Euchologio Graeco pag. 87. et 175. In veteri Testamento Num. cap. 6. Deus ipse formulam docuit, qua Sacerdotes filiis Israel benedicerent: *Benedicat tibi Dominus, et custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem.*

IX. Devotio fidelium erga sanctum Evangelium *In principio erat Verbum* summa olim fuit. Legebatur enim in aliquibus Ecclesiis post Baptismum parvulorum, post viaticum, et post Extremam Unctionem: hoc non obstante, in Missis passim non legebatur. Hac de causa in quibusdam Missalibus tam editis, quam manuscriptis, tam Romanis, quam aliarum Ecclesiarum nihil de eo decernitur. Pouget dicit, nunc nec etiam a Carthusianis legi. Hoc in novissima Missalis recognitione Pius V. legi praecepit. Lecto demum Evangelio, Sacerdos ab Altari recedens, et sacris vestibus se exuens, hymnum recitat *Trium puerorum* ex veteri consuetudine cuius meminit Micrologus cap. 22. Missa Codicis Tiliani apud Menardum, *Expletis omnibus*, inquit, *Episcopus rediens ad Sacrarium cum Diaconibus, et caeteris cantet hymnum puerorum.* Idem fere ait Missa Illyrici. Quaedam Ecclesiae pro cantico *Benedicite* recitant Hymnum *Te Deum laudamus.*

Caput XXXIII.

De Orationibus quae submissa voce dicuntur in Missa.

1. Solemnis ritus semper fuit, ut Canon in Ecclesia Romana, secreto a Sacerdote diceretur. En Romani Ordinis secundi verba Ordo 11. Num. 10. et Mabillonius ibi: *Surgit solus Pontifex, et tacite intrat in Canonem.* Multis ab hinc annis disceptari coeptum est, num verba Sacri Canonis clara, et alta voce, an secreto recitanda essent, nonnullis, inter eos contendentibus, olim alta voce ea fuisse recitata aliis id negantibus. Scriptis ultro citroque editis, lux huic rei allata est, praesertim a Petro Le Brun *Explication de la Messe tom. IV. Dissert. XV.* qui edita ea de re Dissertatione luculentissima, sacri mysterii verba secreto semper in omnibus Ecclesiis, cunctis Ecclesiae saeculis fuisse prolata ostendit, atque aliorum aliter opinantium sententias evertit. Ille igitur prae caeteris hac in re est consulendus, qui ut scite animadvertit Summus Pontifex Benedictus XIV., uberrime hanc spartam ornavit. Visum est igitur selectiora quaedam ex ipso Le Brun delibare. Ex Innocentii I. Epistola ad Decentium Episcopum Eugubinum nonnulla ille coniicit. Deinde ad alias Occidentis Ecclesias convolat, in quibus licet alius a Romano ritu Sacrificii ordo esset, in iis tamen secreto semper ea, quae ad conficiendum Sacrificium pertinent, celebrabantur. Haec in Missali Gothico, et Gallicano designantur, ubi in singulis ferme Missis peculiares preces habentur, quae inscribi solent: *post secreta, et post mysterium*; et hae preces dicendae praescribuntur *ante Orationem Dominicam*. Igitur eae preces, quae post *Sanctus* usque ad precem *post secreta*, seu *post mysterium* dicebantur, secreto recitandae erant. In Ritu Mozarabo plures sunt Orationes silentio recitandae: *Dicat in silentio super Oblationem*, inter quas est Oratio *Adesto*, qua Consecrationis forma continetur; *Deinde dicat in silentio iunctis manibus, inclinando se ante Altare, hanc orationem:*

Adesto. In Liturgia quoque Gallicana ea, quae ad Sacrificium conficiendum attinet, secreto fuisse recitata colligit Theodoricus Ruinartius, ubi Gregorii Turonensis verbis allatis: *Ventumque est, ut sanctum munus iuxta morem catholicum, signo Crucis superposito, benediceretur*, morem catholicum, de universali Ecclesia interpretatur: *Haec autem omnia*, inquit Ruinartius in *appendice ad Gregorium Turonensem* pag. 1362., *secreto, et submissa voce facta, et dicta fuisse colligimus ex oratione sequenti, quae ubique post Secreta, seu post Mysterium appellatur*. Huc accedit, quod in Orientalis Ecclesiae Liturgiis praesertim Basilii, et Chrysostomi diserte orationes illae discriminantur, quae alta, ab iis, quae submissa voce essent recitandae; et cum huiusmodi ritu consentiunt Liturgiae Cophtorum, Aethiopum, Syrorum, Armenorum, Nestorianorum, et Malabarorum. Ex quibus omnibus quis eiusmodi ritum vetustissimum esse non intelligat?

II. S. Ambrosius Lib. I. cap. 9. num 33. de *Cain* et *Abel*, et de *Abraham* Lib. 1. cap. 5. num. 38. docet, *Mysteriorum esse premendam doctrinam*, et alibi, *et quasi operire fido silentio*. De Sancti Sacrificii precibus loquitur tamquam de rebus occultis, mysteriorum plenis, ab hominum cognitione semotis: *Non divulgemus Orationem, sed abscondita teneamus Mysteria.* In Constitutionibus Apostolicis, quae iuxta communem doctorum virorum sententiam collectae sunt saeculò IV. Lib. 1. cap. 8. proxime post Missae praefationem aduotatum est, Pontificem secreto orare, seu ut habet graecus textus, in se ipso orare. At Amalarium ea de re disertis verbis disserentem audiamus. *Utile* Lib. III. cap. XXVII. *namque est, omnem orationem specialem Sacerdotum Secretam esse, ut non cogitemus, quomodo placet vox, et compositio oris populo terreno, sed tantummodo cogitemus, qualiter mens soli Deo concordet, quem orat. Ab illo loco, ubi Secretum dicit Episcopus usque ad Agnus Dei, totum illud vocat* Augustinus *Orationes*. Deinde, quando voce clara, et alta post Canonem pronunciandum esset, ille docet ibidem cap. XXX., nimirum post verba: *omnis honor, et gloria*, habet: *Tunc*

dicit in altum: Per omnia saecula saeculorum. Hinc etiam intelligimus, cur in Ordine Romano II. postquam ritum dicendae precationis: *Per ipsum etc.* descripsit, haec subiiciantur: *Sequitur in altum praefatio Dominicae Orationis*. Proxime post Amalarium, Herardum Turonensem Archiepiscopum iungimus, qui in Capitulari cap. XVI. mandavit: *Ut Secreta Presbyter non inchoet, antequam Sanctus finiatur*. Quem locum de Secreta Canonis recitatione Mabillonius, in Ordine Romano pag. XLVIII.; Martenius, de *antiquis Ecclesiae ritibus* Lib. I. cap. IV. art. VIII. §. V. *Dissertatio* XV.; et Le Brun, Dissert. XV. *Explication de la Messe*; interpretantur. Affert et Martenius Remigii Autosidorensis, qui initio saeculi X. vixit, locum, ubi haec disciplina aperte ostenditur. Ait enim: *Idcirco venit consuetudo in Ecclesia, ut tacite ipsa obsecratio, atque consecratio a Sacerdote cantetur, ne verba tam sacra vilescerent*. Adde Florum Lugdunensem, Honorium Augustodunensem, Remigium Antisiodorensem, Concilium Eboracense A. D. 1194., Innocentium III. et alios. Uberiora denique Le Brun de Secreta Canonis recitatione saeculis insequentibus, tibi dabit.

EXPLICIT LIBER SEPTIMUS.

LIBER OCTAVUS

DE FESTIS

Caput I.

De origine, et observatione diei Dominicae inter christianos.

I. Dies Dominica in Ecclesia (1) inde ab ipsis Apostolorum temporibus semper magna cum veneratione est celebrata: id ex pluribus Novi Testamenti locis liquet, ac praecipue ex Act. cap. XX., ubi haec habentur. *Una autem Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis.* S. Johannes Apoc. cap. 2. diserte eum vocat diem dominicum. *Fui in spiritu raptus die dominico* S. Ignatius Martyr manifeste ad eiusdem diei observationem respicit, ubi Magnesianos iubet non amplius sabbatizare sed secundum diem dominicum (κυριακην) vivere. Insuper Plinius epistola ad Traianum, ubi de Christianis refert, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo tamquam Deo dicere, procul dubio diem dominicum intelligit. Ad haec veteres Patres aliquando diem solis nominant; ac praesertim S. Justinus Martyr *Apolog. II.* et Tertullianus *Apolog.* cap. XVI., qui de sacris conventibus eo die a fidelibus

(1) Thomasinus, *de dierum festorum celebratione.* Liber II. Caput I.

actis expresse loquuntur. Postremo *dies panis* a Chrysostomo vocatus est, quod fideles singulis dominicis ad recipiendam sacram Eucharistiam convenirent. Dominicae diei celebrationem iniere Christiani a vespere Sabbati. Insuper veteres fideles constanter, et assidue omnibus publici cultus solemnitatibus vacabant; et quidem eo studio, ut nonnisi morbus, aut alia magna quaedam necessitas illos ab hoc cultu abstraxerit. Hinc aegrotantibus, ac detentis in carcere Eucharistia per Diaconos administrabatur, qui eam ad illos deferebant, ut sic, quantum fieri posset, cum publico conventu participarent. Illud heic tantummodo animadvertendum, ipsis etiam difficillimis persecutionis temporibus, quando interdiu ad colendum Deum sine vitae periculo congregari non poterant, nocturnos et antelucanos ob id conventus celebrasse. Aliud ferventioris studii in diei dominicae observatione documentum est, quod longis vigiliis, sive nocturnis conventibus religiosae illius diei solemnitati sese praeparare consueverint. Et sane antelucani coetus licet persecutionis primum temporibus instituti sint; attamen persecutionibus iam finitis, ceu utile pietatis exercitium adhuc perdurarunt; et licet nullum hac de re esset Ecclesiae praeceptum, magna tamen cum alacritate, et assiduitate ab omnium ordinum hominibus frequentabantur. Huc quoque facit, nimirum multis in locis, ac maxime in civitatibus, maioribusque Ecclesiis duos die dominica sermones fuisse habitos, ad quos fideles frequenter confluebant, uti ex Chrysostomo, Basilio, Augustino, aliisque.

II. Dies dominica semper in Ecclesia habita est ceu dies Resurrectioni consecrata. Ex pluribus Christianorum Imperatorum legibus hac die omnes lites, et actiones forenses prohibentur iis solum exceptis, quae absolutae essent necessitatis, vel magnae charitatis. Vetita quoque die dominica omnia negotia secularia, ac serviles operae iis exceptis, quibus vel ex magna necessitate, vel ex charitate vacandum esset. Eusebius in vita Constantini Libro IV. cap. XVIII. binas leges memorat, quibus, suis

militibus eo die ab omni militari exercitio cessandum praescripserit. Id etiam Sozomenus indicat, ac ipsae Constantini leges, altera in Theodosiano, altera vero in Justinianeo codice adhuc extantes, cunctarum artium officia venerabili die solis quiescere praescribunt. Adhaec et Episcopus loci iudices identidem monere iubetur, ut in hac parte officio suo deesse ne velint. Simile quid statutum invenitur in Synodo Aurelianensi V. anni DXLIX. Spectacula, ludi, scenae theatrales ac ferarum cursus die dominica prorsus vetita; idque ex pluribus Theodosii senioris, Leonis, et Anthemii, aliorumque Imperatorum legibus constat.

III. Maxima igitur Religione se gesserunt veteres diebus Dominicis, aliisque festis, cuius rei luculentissimum suppeditat argumentum (praeter allata), Theodorus Cantuariensis Episcopus. Testatur enim Graecos ac Latinos die dominica non navigasse, neque equitatui vacasse, neque in eorum curru ambulasse nisi ad Ecclesiam tantum, ex quibus colligendum est, quicquid ultra vitae necessaria erat, vetitum fuisse. Praeterea die dominica nullum omnino ieiunium agit permittebatur. Hinc Augustinus Manichaeos damnat, quod ea die ieiunent, quasi idem hoc sit ac in Resurrectionem Jesu Christi non credere : et Leo Magnus Priscillanistas ob eandem consuetudinem damnat. Illud heic iuvat animadvertere, fideles die dominica semper stantes fuisse precatos, iis tantummodo exceptis, qui sub publica poenitentiae disciplina constituti essent. Verum hac de re alibi meminimus.

Caput II.

De festo Circumcisionis.

I. Prima Januarii die Circumcisionis Jesu Christi festum colitur, quod promiscue in Martyrologiis veteribus sub nomine Circumcisionis Domini, et Octavae Domini occurrit; interdum utrumque coniungitur. Frequentius in Libris Liturgicis: Octavae Domini. Sunt aliqui inter

eruditos qui hoc Festum Concilio Turonensi an. 567. habito adscribunt, ubi in canone XVII. tom. 5. collectionis Labbeanae haec leguntur: *Ad calcandam Gentilium consuetudinem, Patres nostri statuerunt, privatas Januarii fieri Litanias, ut in Ecclesiis psallatur, et hora in kalendis octava, in ipsis Kalendis Circumcisionis Missa Deo propitio celebretur.* Quoniam vero ex verbis Concilii Turonensis deduci non potest, tot res in eo memoratas tunc potissimum fuisse constitutas ad celebrandum Festum Circumcisionis; quin etiam ipsa Concilii verba eas res multo antea sancitas et in morem introductas demonstrant, nemo est qui antiquitatem et solemnitatem huius Festi non videat. Et re quidem vera de ea meminerunt Acta Martyrii S. Almachii, qui cum spectaculis gladiatorum interesset, quae Kalendis Januarii dabantur, coram populo clamavit: *Hodie octavae Dominici diei sunt; cessate a superstitionibus Idolorum, et a sacrificiis pollutis*: et propterea a multitudine, spectaculorum studiosa, facto in eum impetu, trucidatus statim est coram Alipio Urbis praefecto. Porro mortem oppetiit Sanctus iste Martyr, imperante Theodosio Magno, Alipio Urbis Praefecto. Consequens ergo est, Festum octavae Nativitatis et Circumcisionis statutum in Ecclesia fuisse ante IV. saeculi finem (1). Mentio quoque fit Festi huius titulo Octavarum Domini in antiquo Sacramentario Romano, a Cardinali Thomasio vulgato. Prima Ecclesiae Latinae Martyrologia, S. Hieronymo adscripta, notant aperte hac die: *Circumcisio Jesu Christi secundum carnem.* Constat insuper, S. Gregorium Pontificem in prisco Sacramentario Romano, quod asservatur in Vaticano, memoriam Circumcisionis Jesu Christi adiunxisse octavae Nativitatis, his verbis: *Per Christum Dominum nostrum, cuius hodie Circumcisionis diem, et Nativitatis octavam celebrantes.* Alia Bedae, Adonis, atque Usuardi Martyrologia, nec non Ordo Romanus de hoc Festo loquuntur sive titulo Octavae Nativitatis, sive Circumcisionis, sive utriusque: Octava Domini et Circum-

(1) Georgi, *Martyrologium Adonis adnotationibus illustratum.*

cisio, uti monet vetustum Martyrologium Romanum, publici iuris a P. Rosweido factum. Kalendis Januarii, unde novi anni curriculum auspicabantur, illa apud Gentiles iamdudum inolevit, consuetudo; ut superstitionis ritibus, indecoris choreis, nefandis cruentisque spectaculis diem illum foedarent potius, quam celebrarent; vias cantibus et saltationibus circuibant, atque a quacumque intemperantia non abstinebant. Ex adverso autem cum Kalendae Januarii Sanguinis Jesu Christi primitiis consecratae fuissent, Christiani diem hunc, longe aliter atque Infideles, solemni ritu celebrabant, vehementiori studio divinis rebus animum adiungentes, atque additis ieiuniis, et litaniis, quibusdam veluti expiationis hostiis offensum divinum Numen placare satagebant. Hinc S. Ambrosius de Kalend. jan. sermone II. haec habet: *Tunc nos simus sobrii atque ieiuni, quo intelligant, laetitiam suam nostra abstinentia condemnari.* Et S. Augustinus in psalm. XCVIII *Per istos dies ad hoc ieiunamus, ut quando ipsi laetantur, nos pro ipsis gemamus.*

II. De ieiunio eo die olim ab Ecclesia celebrato agunt Ordo Rom. cap. XX., et Albinus Flaccus de *divinis Officiis* cap. XL. Litanias etiam eadem ex causa ea die celebrandas, uti et ieiunia servanda Synodus Turonensis II. praecepit: ac tandem ne laetitiae canticum *alleluia* caneretur, vetuit Synodus Toletana can. X. Religiosae istae consuetudines ea quoque de causa sunt introductae, quod ex fidelibus etiam nonnulli eo die superstitionis gentilium ritibus operam dare, ac publica spectacula frequentare non dubitarint; uti patet ex plurimis hanc in rem veterum Patrum ad populum declamationibus, praecipue Augustini, Maximi Taurinensis, et Petri Chrysologi. Eosdem quoque abusus, sancitis legibus, extirpare curarunt Concilia. In vetustis quibusdam Missalibus binae Missae huius diei reperiuntur; altera de B. Virgine, de Circumcisione altera. Et Durandus Scriptor XIII. saeculi in *Rationali* Lib. 3. cap. 15. testatur aetate sua duas hac die Missas celebrari solitas, de Circumcisione, et Beata Virgine, quod quidem nunc abolitum est. Verum

inde factum est, ut in Festi huius tum Officio, tum Missa plura contineantur, quae ad Beatissimam Virginem spectant. In Missali Gothico habentur etiam hac die duae Missae, altera Circumcisionis, altera contra idolatrias, quae ea die patrabantur. In Ecclesia S. Dionysii in Gallia Missa erat tota de Nativitate, sicut die Natalis, Evangelium tantum de Circumcisione. Solemne fuit etiam hac die in Ecclesia S. Martini festum novi anni, cuius officium ac ritus refert antiquum Rituale.

Caput III.

De Festo Epiphaniae.

I. Epiphaniae Festum celebratur sexta die Januarii. Epiphania, graece Επιφανεια, manifestationem significat; Epiphania graecae linguae vocabulo manifestatio dici potest; verba sunt D. Augustini *Serm.* 203. alias 64. *de divers.* Tres apparitiones seu manifestationes Jesu Christi hac die ab Ecclesia recoluntur. Commemoratio fit adorationis Magorum, qua Dominus Jesus demonstratus est gentibus: Baptismatis, quod ab Johanne suscepit, cum voce delapsa de caelo, *Hic est filius meus dilectus*, Judaeis innotuit: et conversionis denique aquae in vinum, qua factus est manifestus discipulis. Patres quoque Ecclesiae hoc Epiphaniae nomen adhibuerunt, ut universa festa ista significarent. Nomen insuper Theophaniae, quod *manifestatio Dei* significat, Nativitatis festo imposuerunt. Hoc sane pacto S. Isidorus Pelusiota primum Salvatoris adventum Theophaniam vocat; Eusebius, et Gregorius Nazianzenus eadem utuntur Theophaniae voce, qua Jesu Christi nativitatem exprimant. Cum hoc eodem die, ut dudum diximus, etiam Jesu Christi Baptismus celebretur propterea Festum hoc ab aliquibus dictum est *Festum Illuminationis*, seu *Festum luminum* verum D. Hieronymus vehementer contendit, eiusmodi denominationem omnino reiiciendam, et Festum huius diei *Festum Epiphaniae* esse appellandum. Est quoddam Bruxellense manuscriptum Martyrologium, quod P. Sollerius retulit

in notis ad Martyrologium Usuardi, ubi monemur; non modo adorationis Magorum, Baptismatis Jesu Christi, et conversionis aquae in vinum, sed multiplicationis etiam panum, et piscium hoc eodem die memoriam recoli consuevisse, quod confirmat etiam D. Augustinus *Serm. 28. de tempore*, qui primus est de Epiphania. Fortasse ea fuit peculiaris quarumdam Ecclesiarum disciplina, ut etiam nunc est Ecclesiae Mediolanensis, quod notat Galesinius in notis ad Martyrologium pag. 12. Ecclesia ex antiquissima Traditione, nos monent Scriptores Ecclesiastici, tria haec festa ut ea simul coleret, compraehendisse. Tria insuper haec festa vicissim iuncta reperimus sexto Januarii die in Martyrologiis bene multis, uti animadversum a Molano fuit in adnotationibus ad Usuardum. Sextam Januarii diem scribit Orosius Lib. 6. tribus Augusti triumphis fuisse celebrem; ex quo conjicit Florentinius in exercitat. 3. de *Historia Magorum*, quam in suo Martyrologio inseruit, Ecclesiam fortasse hoc uno die tria Redemptoris nostri miracula coniunxisse, quae inanibus Ethnicorum triumphis opponeret.

II. Scribit Thomassinus Tractatu *de Festis* Lib. II. cap. 7. num. I. *Nullus sanae mentis inficiabitur, Epiphaniae solemnia maxima semper et celeberrima fuisse.* Et Lib. III. cap. 1. affert testimonia veterum Patrum, et cap. 5. Conciliorum loca, quibus mentio fit de maxima Epiphaniae solemnitate. Galesinius in notis ad Martyrologium pag. 13. ita de hoc Festo loquitur: *De cuius sane diei celebritate pluribus disserendum non est, cum res a Patribus, tum Latinis, tum Graecis explicata satis admodum in promptu est.* Suarez vero *tom. 1. de Religione* Lib. 2 cap. 5. num. 1. putat magni huius festi celebrationem Apostolis auctoribus tribuendam. Et Gretserus tom. 5. operum suorum novissimae editionis Lib. 1. de *Festis* cap. 30. *Festum hoc*, inquit, *antiquissimum est.*

III. Epiphaniae festivitas maxima (1) semper cum ve-

(1) Martene, *De antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis* cap. VIII.

neratione celebrata fuit. Hinc huius diei observatio eadem erat, atque Nativitatis, aliarumque maiorum festivitatum. Huius autem festi die a saeculo IV., solemnis Baptismus ministrabatur Catechumenis in Ecclesia Orientali atque Occidentali. Virginum consecratio in Epiphania praesertim olim celebrabatur ex Gelasii Papae decreto in Epistola 9. ad Episcopos Lucaniae. Romae et in pluribus Ecclesiis Galliae ante *Te Deum* legebatur *Liber generationis Jesu Christi*. In quibusdam Ecclesiis, servatus fuit mos ad tertium Nocturnum legendi cum luminibus, incenso, et ornamentis tria Evangelia, et tres Homilias eadem solemnitate, quae in Natali leguntur; Evangelia autem erant de adoratione Magorum, de Baptismo Jesu Christi, et tertium de primo eius miraculo. Noctis officium omni aevo celeberrimum fuit. S. Caesarius Arelatensis c. 15. precipit vigilare a nona hora vespertina usque ad matutinam, ut fit in Natali. Insuper hoc Festum, vigilia et ieiunio praeeunte, celebrabatur. Nunc vero vigilia praeit tantum sine ieiunio.

IV. Antiquissimus est Ecclesiae mos (1), ut die Festo Epiphaniae quotannis festa mobilia denuncientur. At vero quoad huius institutionis originem, est illa plane VI. saeculo antiquior, utpote suam ducens originem a Concilio Nicaeno I. in quo cum decretum fuisset contra Quartodecimanos Festum Paschatis uno eodemque die, eoque Dominico celebrandum esse, quaestio deinceps agitari coepit de ratione diei Paschatis inveniendi. Patres Nicaeni, quibus compertum erat Aegyptios a vetustissimis usque temporibus Astronomiae scientiam prae omnibus maxime coluisse, ad Alexandrum Episcopum Alexandrinum curam ineundi rationes astronomicas detulerunt, ut adhibito etiam doctorum virorum consilio, verum cuiusque Paschatis diem constitueret; neque illud negotii Alexandro tantum, sed omnibus Alexandrinis Episcopis eius successoribus datum voluerunt. Quae omnia refert

(1) Catalano, *Pontificale Romanum Commentariis illustratu n.* Tom. III. tit. I.

Baronius ad annum Jesu Christi 325. ubi auctoritate S. Leonis ostendit, Alexandrini Episcopi Paschalem Epistolam Romano Pontifici mitti semper consuevisse, qui deinde omnibus Ecclesiis Paschalem diem indicebat. Haec omnia confirmat Joannes Baptista Casalius *de veteribus sacris Christianorum ritibus* Romanae edit. ann. 1647. pag. 421. Perseveravit mos iste in Ecclesia Alexandrina, quamdiu Catholicae communionis ibi sederant Episcopi; postquam enim haeresiarchae intrusi sunt, interceptum quoque huiusmodi fuit officium. Denunciato autem Paschatis die, sequebatur alicubi oblatio, in qua olim exemplo Magorum aurum, thus, et myrra ad altare offerebatur. In Ordinario Ecclesiae Lemovicensi hic ritus praescribitur. In nonnullis Ecclesiis remansit benedictio solemnis aquae in Epiphania, quae hactenus viget in tota Orientali Ecclesia, uti patet ex Codino Curopalata de *Officiis* cap. 8. Cuius ritus auctorem Petrum Fullonem Antiochenum Episcopum facere videtur Theodorus Lector *Lib.* 2. Tametsi longe ante Fullonem esset haec benedictio usu recepta, sed media fiebat nocte, ut patet ex Chrysostomo *Homilia de Baptismo Christi*. Ex hac aqua Graeci in Ecclesia, non solum aspergebantur et potabantur, sed etiam domum referebant, cui Deus hanc largiebatur benedictionem, ut multis annis incorrupta permaneret. Et re quidem vera cum (1) ea sit utriusque Ecclesiae Graecae ac Latinae consensio, Jesum Christum die Epiphaniae, uti diximus, fuisse baptizatum, mirum videri non debet, si in memoriam Christi baptismatis celebrari hac die sacris caeremoniis solemnis aquae benedictio consuevit. Porro qui ad Jordanem olim habitabant populi, in memoriam, et honorem Jesu Christi baptismatis, qui in eo hac die a Johanne tinctus est, in eundem fluvium descendere, ac sese abluere solebant. Neque id in solo Jordane fieri consueverat, sed pluribus aliis in locis Orientales populi fluvios, fontesve benedicebant,

(1) Vide Pauli, *De ritu Ecclesiae Neritinae exorcizandi aquam in Epiphania.*

atque in eos sese immergebant, quasi proprium renovaturi, sive Christi imitaturi baptismum. In officio Lectiones primi Nocturni, ab Isaia desumptae, designant Gentilium vocationem ad fidem, progressum, gloriam, et exaltationem Ecclesiae, Evangeliumque per universum mundum fere diffundendum. In Lectionibus secundi Nocturni S. Leo aperte declarat, praecipuum Epiphaniae obiectum vocationem esse Magorum, et in iis, et per eos omnes populos, et Imperium Romanum, et omnia Regna ad cognitionem Jesu Christi vocata fuisse significat.

V. Tres dies primi post Epiphaniam feriati erant, aeque ac ii post Pascha, et hoc adnotatur in antiquis Ritualibus Cardinalis Thomasii, ubi statio prioris diei fiebat ad S. Petrum ad Vincula, statio secundae ad S. Anastasiam, et tertiae ad SS. Johannem, et Paulum. Singulis octavae diebus tres tantum dicebantur psalmi, et tres Lectiones cum suis Antiphonis, et Responsoriis, nec dicebantur novem Lectiones, nisi in Dominica infra octavam. Quod attinet ad diem octavam Epiphaniae, huic adnexa est specialis memoria Baptismatis Jesu Christi, quod praecipuum Officii obiectum est. Romae quondam hodiernum officium totum erat de Baptismo Christi, nunc autem de eo habetur Evangelium tantum. Docet Amalarius Lib. 4. c. 34. aetate sua huius diei Missam fuisse totam de Jesu Christi Baptismo.

Caput IV.

De Dominica Septuagesimae Sexagesimae et Quinquagesimae.

I. Juxta diversum Ecclesiarum ritum Dominicae Septuagesimae Sexagesimae et Quinquagesimae, ordinantur ad Quadragesimale ieiunium. Qui Sabbato non ieiunabant, ut in more erat in Oriente, anticipabant Quadragesimam una hebdomada, quae Sexagesima nominabatur; qui neque feria quinta, neque Sabbato ieiunabant, anticipabant eam duabus hebdomadis, quas appellabant Septuagesimam; qui denique neque feria quinta maioris

hebdomadae, neque Sabbato Sancto ieiunabant, duos hosce dies aliis quatuor adiungebant diebus, ut quadragenarium complerent numerum, talemque hebdomadam appellabant Quinquagesimam. Concludimus igitur, quod ex anticipatione ieiuniorum Quadragesimalium tres istae hebdomadae, nempe Septuagesimae, Sexagesimae, et Quinquagesimae sunt introductae. Cum vero post statuta ieiunia quorumdam dierum infra duas, vel tres hebdomadas, quae praecedunt Quadragesimam, ieiunia ista ad quadragenarium numerum referrentur, sub ritu Quadragesimae celebrata sunt, atque in Septuagesima *Alleluia, Gloria in excelsis*, et alia laetitia cantica fuere dimissa. Aliquando Romae dimittebatur *Alleluia* in ultima Antiphona Vesperarum Sabbati, quia officium Dominicae non incipit nisi a Capitulo. In dimittenda autem hac laetitiae voce non unus fuit omnium Ecclesiarum usus. Nam ut ait Durandus Lib. 6. c. 24. quidam in ipso sabbato dimittunt *alleluia* ad Sextam, quidam ad vesperas, quidam vero ad nocturnum huius Dominicae, et quidam ad Primam Dominicae huius diei. Alexander II. statuit, ut ubique omitteretur *Alleluia* in Septuagesima, et eius loco diceretur *Laus tibi Domine Rex aeternae gloriae*, neque eius rei rationem praeterit; quia nempe Ecclesia tunc incipit poenitentiae, et luctus mysteria celebrare.

II. Ecclesia incipit in Septuagesima legere Genesim, ut nobis ob oculos ponat hominis lapsum in persona Adae, eius exilium e Paradiso, ubi illum Deus collocarat, poenitentiam illi impositam ad expiandam culpam, et promissionem Mediatoris, et Reparatoris eius peccati. Ad secundum Nocturnum S. Augustinus supplicium explicat peccati Adae, et peccati praesertim originalis, quod omnes homines contraxere. Non dicitur amplius *Te Deum*, quia tempus tristitiae est, quo solemnitatis et laetitiae cantica supprimuntur. Singularis fuit usus Ecclesiae Turonensis S. Martini, quae ad Dominicam usque Passionis decantare solebat hymnum, ad exemplum Monachorum S. Benedicti. At Laudes non dicuntur amplius Psalmi Resurrectionis, et gloriae, *Dominus regnavit*, et

Jubilate: sed eorum loco dicuntur *Miserere, et Confitemini*: quod ab aevo Amalarii reperitur. In Dominica Sexagesimae ad primum Nocturnum legitur Historia secundae aetatis Mundi, quae spectat ad Noe, et tempus Diluvii; estque Historia Reparationis humani generis post Diluvium, reparationis naturae nostrae per peccatum lapsae figura. Collecta est Divi Pauli commemoratio, quia scilicet Romae huius diei statio erat in Ecclesia S. Pauli; ubi Missa dicebatur. Vetustissima est apud Clerum abstinentiae inchoatio in Quinquagesima. Apparet in vita S. Udalrici Augustani Episcopi circa decimum saeculum, quod Clerici carnes manducare desinerent a Dominica ante Quadragesimam. Concilium Claromontanum anno 1095. sub Urbano II. ita statuit: *Nemo Clericorum a Quinquagesima carnes comedat.*

Caput V.

De die Cinerum.

I. Initium Quadragesimae vocabatur *Caput ieiunii;* atque ita vocata est Feria quarta Cinerum, postquam ab ea coeptum est ieiunium Quadragesimale; verum officium permansit de Feria, quale erat, nec incipit esse de Quadragesima, nisi Dominica subsequenti, quae *initium Quadragesimae* in Missali Gothico appellabatur. Primus iste ieiunii dies adeo solemnis est, ut proprium officium nulli cedat solemnitati, quae eo die possit occurrere. Videsis s. Basilium, et antiquos Patres de primo diei ieiunii disserentes, ut intelligas, quanta populorum frequentia convolaret ad Ecclesiam, ut ibi per preces, et praedicationem tam salutare tempus inchoaret. Quoad cinerum caeremoniam haec erat ratio peccatores poenitentiae addicendi. S. Ambrosius *ad Virg.* c. 8. poenitentiam cuidam Virgini indicens, lugubre praescribit vestimentum, cilicium et cinerem, *totum corpus cinere aspersum.* S. Isidorus Hispalensis *de Officiis Ecclesiasticis* Lib. 2. cap. 16. caeremoniae sensum exponit, ostenditque, illam aetate sua

fieri consuevisse, ut peccatores recordarentur se esse pulverem, animumque et cogitationem converterent ad mortem, quam pro peccatis suis meruissent.

II. Ritus aspergendi cinere poenitentes desumptus est quidem a Veteri Testamento, in quo passim legitur, Judaeos in moestitiae indicium sacco opertos, cinere se conspersisse. Pro varietate Ecclesiarum variae et erant olim Orationum formulae, quibus cineres benedicebantur, uti in manuscriptis Pontificalibus et Missalibus videre est; in quibus etiam variae recensentur formulae, quibus super poenitentium capita cineres imponebantur. Illud quoque de cineribus istis adnotandum censeo, quod nempe non modo ab Episcopo benedicerentur, sed et etiam aqua benedicta aspergerentur, ut pro comperto habemus ex plurimis manuscriptis Pontificalibus. Ex dictis deducitur, quod passim eruditi Scriptores docent, sacros cineres, quibus initio Quadragesimae omnes adspergi solemus, ad solos publicos olim poenitentes pertinuisse, subsequentibus autem temporibus aliquos pietate insignes voluisse participes esse harum publicarum humiliationum, et cinere sacro etiam conspergi cum publicis poenitentibus; idque denique in communem iam transiisse consuetudinem saeculo XII. ac XIII. Neque desunt Ecclesiae, in quibus, ut testatur Johannes Grancolas, dantur cineres in limine maioris ianuae, quo loco dabantur olim poenitentibus, qui postea extra Ecclesiam remanebant. Apud plerosque hic mos inoleverat, ut postquam die Cinerum, accurrentium capitibus fuerant impositi sacri cineres, ii qui supererant religiose conservarentur, atque morientibus supponerentur. Profecto solemne hoc erat apud Floriacenses. In quibusdam Ecclesiis ponebantur cineres in patina terrea, ut melius ostenderetur, quod homo, qui recipiebat cineres, de terra est, et in terram revertetur.

III. Accipiebantur cineres (1) nudis pedibus, et hoc

(1) Vide Grancolasium, *Commentarius historicus in Breviarium Romanum.*

servabatur Romae, ubi Papa ipse cum Cardinalibus, et Clero nudis pedibus procedebant ab Ecclesia S. Susannae ad Ecclesiam S. Sabinae, ut videre est in Ordinibus Romanis. Nonnullis in locis ferebantur ad processionem cilicia. Ad Offertorium iubebantur Poenitentes Ecclesia egredi, iuxta veterem Ecclesiae disciplinam ante Missam Fidelium. Romae in distribuendis cineribus, dicitur *Memento homo quia*... Cum vero distribuuntur Papae, nihil dicitur, ut advertit Ordo Romanus Amelii tempore Urbani VI.

Caput VI.

De Dominica prima, secunda, tertia, et quarta Quadragesimae.

I. Haec Dominica, Quadragesima appellata, toti Quadragenario numero nomen dedit. In quibusdam Ordinariis legitur *Dominica initium Quadragesimae*, et Alcuinus ait: *Quadragesima incipit a sequenti Dominica post Quadragesimam*. Johannes Belethus cap. 93. Durandus Lib. 6. cap. 2. idipsum affirmant, quod nempe Quadragesima incipit a prima Dominica post Quinquagesimam. Post decimum saeculum Dominica ista saepius appellatur *Dominica Cereorum*, quia quicumque nimia licentia Bacchanalia transegerat, ad Ecclesiam veniebat, cerea offerens dona, ut ad publicam poenitentiam admitteretur. Observat Amalarius Lib. 4. cap. 19. quod hodie crebro repetitur Psalmus *Qui habitat*, tum in Missa, tum in Responsoriis, ut certamina, et tentationes memorentur, quibus vita nostra obnoxia est; et cum hoc Psalmo usus sit Daemon, ut Salvatorem tentaret, nos illum dicimus ad impetrandas vires contra astus, et artes Daemonis. Eloquentissimus est sermo S. Leonis in secundo Nocturno, indicatque, Quadragesimam Romae corporali quadraginta dierum ieiunio fuisse distinctam, ut ieiunantium animi ad Festa Paschalia disponerentur. Necessitatem corrigendi mores his ieiunii diebus ostendit. Observat Durandus Lib. 6. cap. 28. quod in quibusdam Ecclesiis

non dicebatur Praefatio Quadragesimae in Dominicis, sed communis. Mediolani in Dominicis Quadragesimae neque Hymni dicuntur Quadragesimae, sed Hymni de Dominica consueti: idque etiam praescribitur in consuetudinibus Cluniacensium apud Udalricum.

II. Dominica secunda diu appellata est, *Dominica vacans*, hoc est sine officio, vel saltem sine Missa, siquidem Missa Sabbati totam noctem occupaverat usque ad ortum solis; itaque quiescendi gratia post diuturnam vigiliam non amplius fiebat mane conventus; quare Missa nocte Sabbati, Dominicam precedente celebrata habita est tamquam Missa propria de Dominica, quia in ea fiebat Ordinatio. Audiendus Durandus Libro IV. Rationalis divinorum officiorum, cap. 39. *Haec secunda Dominica intitulatur Dominica vacat, pro eo quod proprio caret officio.* Habebat antiqua Ecclesiae institutio, ut post finem diei Sabbati inciperet officium Ordinum, et in diem Dominicam terminaretur; et ita officium, quod in fine diei Sabbati incipiebatur, usque in diem Dominicam protendebatur, et sic tunc ipsa Dominica proprio carebat officio. In honorem Jesu Christi Domini Resurrectionis, quae summo Dominicae mane contigit, factum est, ut Ordinatio, et Missa a nocte Sabbati usque ad Dominicam perduceretur. Postea vero in diem Sabbati anticipata est et Missa et Ordinatio, ita ut eo die soluto ieiunio, et data facultate quiescendi nocte sequenti, Missa quoque substituta fuerit pro Dominica; in qua retentum est Evangelium de Transfiguratione, nempe Evangelium Sabbati quod repetitur. Repetebatur etiam totum Officium Sabbati praecedentis, exceptis Lectionibus Veteris Testamenti, ut observat Micrologus cap. XIV. In quibusdam Ecclesiis legebatur hodie Evangelium de Chananaea, desumptum a feria quinta praecedenti; illud habet etiam *Comes* Hieronymi. In nonnullis Ordinariis signatur in prima Missa Evangelium de Chananaea, et in secunda Evangelium de Transfiguratione; in aliis legebatur Transfigurationis Evangelium secundum Marcum, ut distingueretur ab Evangelio Sabbati, quod legitur secundum

Matthaeum, ne scilicet idem Evangelium repeteretur. Hoc in usu erat apud Cluniacenses.

III. Dominica tertia in Sacramentario Gelasii, aliisque non paucis appellatur *Dominica Scrutiniorum* eo quia hac die fieri solebat examen Catechumenorum, qui ad recipiendum in fine Quadragesimae baptismum disponebantur. In quibusdam Ecclesiis hoc primum scrutinium fiebat solummodo feria quarta subsequenti; sed in antiquis Libris signatum est hodie Romae, et preces etiam leguntur, quae fiebant, *Pro Scrutiniis Electorum*, et quoniam fiebant etiam Exorcismi super his, qui ad Baptismum disponebantur, tamquam adhuc sub potestate Daemonis ante Sacramentum existentibus, ideo legitur Evangelium, in quo mutus daemoniacus a Salvatore liberatus est. Dominica tertia quadragesimae solemni ritu apud Graecos celebratur ob Crucis adorationem, cuius festum hac die recolunt.

IV. Appellata est quarta Quadragesimae Dominica, Dominica *Laetare*, quia ab hoc verbo incipit Introitus Missae; vel Dominica de Rosa, seu in Rosa, celebraturque externis laetitiae signis. Fiebatque hodie Imperatorum coronatio, et solemnitas Rosae aureae, quam Summus Pontifex magna cum caeremonia benedicebat. Pontifices una cum Cardinalibus roseo colore indutis solebant, agmine instructo, progredi ad Ecclesiam S. Crucis, ubi dicebatur Missa, et fiebat Rosae aureae benedictio; post Evangelium praedicabatur, et Rosae istius significatio allegorica explicabatur; Pontifices rosam istam vel alicui personae celebri et excellenti offerebant, vel alicui Principi deferri imperabant. Sunt qui autumant, primum Auctorem eius ritus fuisse Urbanum II. Sed constat tamen ritum ipsum esse Urbano II. Pontifice vetustiorem, ut docet Raynaudus in parvo Tractatu, quem de rosa mediana Romani Pontificis benedictione edidit, qui extat Tomo X. eius operum. De eadem Rosa, quae continet Muscum, et Balsamum, mentionem faciunt Ordines Romani evulgati a Mabillonio, nec non Innocentius III. sermone in Dominica Laetare, seu de Rosa; Reginaldus Car-

dinalis Polus, *de Ense, et Rosa aurea;* Gulielmus Durandus, in *Rationale* Lib. 6. cap. 53.; Joannes Baptista Casalius, *de veteribus sacris Christianorum Ritibus* cap. 81.; Paulus Maria Quarti, *de Benedictionibus in particulari* sect. 2.; Claudius Dufresne, in suo Glossario; Carolus Cartari, in suo libro italice exarato, et Romae impresso an. 1681. cui titulus: *La Rosa d'oro pontificia Racconto istorico;* Edmundus Martene, *de antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis* cap. 19.; Franciscus Pagi, in *vita Urbani II.* num. 57.

V. Feria quarta hebdomadae quartae Quadragesimae fiebat magnum scrutinium eorum, qui Paschate erant baptizandi. In ea legitur Evangelium de coeco a nativitate, qui caecitatem animae ante Baptismum repraesentat. Duae legebantur Epistolae, quae totidem erant instructiones pro Catechumenis, de iis memoria habebatur in *Memento*, et pro iis precabatur Sacerdos in Oratione *Hanc igitur Oblationem*, ut mos est pro Baptizatis in hebdomada Paschalis. Hi Catechumeni non assistebant Missae, sed exibant ab Ecclesia post Evangelium.

Caput VII.

De Dominica Passionis.

I. Dominica quinta Quadragesimae (1) dicta est *Dominica Passionis* vel *de Passione*, eo quod passionem Jesu Christi singulari ratione recolere hac die incipiat Ecclesia, quae ut tristitiam et moerorem palam faciat, versum *Gloria Patri* in Responsoriis, et Invitatoriis ad officium, et in Missa ad Introitum reticet. In pluribus Ordinariis, uti Senonensi, Remensi, et Cabilonensi, adhibentur ornamenta rubea toto tempore Passionis; Romae color violaceus continuatur. Hymnus *Vexilla* est a Fortunato Pictaviensi compositus pro monasterio S. Crucis Pictavien-

(1) Catalano, *Caeremoniale Sanctae Romanae Ecclesiae.* Liber secundus Cap. XXXVIII.

sis. Pluribus in Ecclesiis genuflectitur, cum dicitur *O Crux ave*. In quibusdam huius hymni editionibus deest: *O Crux ave;* sed eius loco habetur *Salve victima, de Passionis gloria*. Hymni *Pange Lingua* ad Matutinum Auctor est Claudius Mamertus, Ecclesiae Viennensis presbyter. Ad primum Nocturnum inchoatur Jeremiae lectio: quod quidem statutum fuit a S. Gregorio VII. In pluribus Ordinariis dicitur in fine cuiuslibet Lectionis: *Haec dicit Dominus, convertimini*, loco dicendi *Tu autem*.

Semper autem toto Passionis tempore Imagines, et Cruces, quocumque recurrente festo, velantur, ad significandum Jesum Christum, qui abscondit se, et exivit de Templo, ut legitur in Evangelio Dominicae de Passione. Velari consuevisse sacras imagines in Quadragesima, ritus fuit omnium fere Ecclesiarum, eo scilicet in quibusdam consilio, ut auri fulgor, nitorque gemmarum poenitentiae diebus tegeretur, uti patet ex vita S. Eligii a S. Adoeno descripta. In variis Conciliis velum, quod ponebatur ante Altare, vocabatur *velum Quaresimale*. Lanfranchus in suis Statutis, cap. I. sectione III. collocari velum istud praecipit prima Dominica Quadragesimae post Completorium. Similia videre est in aliis Ordinariis diversarum Ecclesiarum, nisi quod nonnullae post Completorium ipsius primae Dominicae, quaedam ante Primam sequentis Feriae secundae id faciendum praescribant, ut notat Martenius in Libro: *De antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis*. Meminit et de eodem ritu, et diversae Ecclesiarum consuetudinis, in suo *Rationali* Durandus Lib. I. cap. II. Observat Micrologus, quod aevo suo non incipiebat dici Praefatio de Passione, nisi Dominica Palmarum.

Caput VIII.

De Dominica Palmarum.

I. Dominica Palmarum, uti eruditi Scriptores notant, ob diversas functiones, quae ea die peragi olim in Ecclesia solebant, variis proinde nominibus est appellata. Ab aliquibus dicta est, *Osanna*, propter multitudinis Christum Dominum Hierosolymam intrantem excipientis acclamationes. Ab aliis *Dominica Indulgentiae*, ut in manuscripto Pontificali Ecclesiae Pictaviensis, et in vita S. Gebeardi, et S. Udalrici Episcopi Augustani, propter indulgentias scilicet, quae ipsa die solemniter concedi solebant. Dicta vulgo est etiam *Capitulavium*, quia ut ait S. Isidorus, Lib. I. De *Officiis Ecclesiasticis*, cap. XXVII. et post eum Alcuinus, tunc moris erat lavandi capita infantium, qui ungendi sunt. Dicta est etiam *Dominica florum*, *Pascha floridum*, *Dominica Lazari*, *Dominicum Sanctum*. At vero communiter vocata est *Dominica Palmarum*. Celebris est ipsa Dominica, de qua agimus, ob benedictionem Palmarum, earumque distributionem, ac solemnem cum ipsis processionem, ut ex iis, quae infra dicemus, patebit. Palmarum benedictioni praemissam fuisse non modo ipsam Evangelii lectionem, de Jesu Christi scilicet in Civitatem Hierosolymam ingressu, verum etiam concionem, quae ab Episcopo ipso habebatur ut plurimum, uti constat ex variis antiquis insigniorum Ecclesiarum Ordinariis. In quibusdam autem, sed paucis plane Ecclesiis, ut notat Martenius, Lectioni Evangelii praemissa fuit etiam lectio ex veteri Testamento, ut videre est in Pontificali Apamiensi in Syria, et Arelatensi, atque in Ordinario Cenomanensi. Utriusque meminit in suo Rationali Durandus Lib. VI. cap. LXVII. Affirmat Martene *de antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis* cap. 20. num. 2. nullum huius ritus benedicendi palmas reperiri vestigium ante octavum nonumve saeculum. Cui sententiae magnam adfirmare fidem vide-

tur Kalendarium Romanum octavi saeculi a Frontone editum, ubi sermo quidem fit de hac Dominica, sed de Palmarum benedictione omnino siletur. Verum eruditus vir P. Meratus Clericus Regularis plura affert validissima argumenta, quibus illius ritus vetustatem evincit. Profert enim antiquissimum Romanae Ecclesiae Kalendarium sub quarti saeculi finem, aut initio quinti scriptum, ubi legitur: *Dominica ad Palmas ad S. Joannem in Lateranis*. Affert et Sacramentarium S. Gelasii, in quo huius Dominicae titulus est eiusmodi, Dominica in Palmis de Passione Domini. Item Sacramentarium S. Gregorii Magni a Menardo editum, ubi in oratione, quae Communionem praecedit, expressis verbis mentio fit Fidelis populi, qui ea die aderat cum frondibus et ramis Palmarum. Fuisse autem antiquum morem, ut benedictio, et distributio Ramorum pluribus in locis extra urbem fieret, ex antiquis Ordinariis constat, et notat Grancolas in Breviarium Romanum, cap. LIII. ubi etiam ait, cerni in Galliis Cruces per vicos, et villas, et saepe etiam lapideas mensas, ut apponantur ibi Rami, et benedicantur.

II. Complures Orationes, seu (1) collectas ad palmas benedicendas continet antiquus Ordo Romanus apud Hittorpium. Quatuor exhibent nonnulli Missales Libri, plures solum duas, non pauci unam dumtaxat recensent. Una cum Orationibus dici consuevisse in Palmarum Benedictione Praefationem, et quidem prolixam, constat ex manuscripto Narbonensi Pontificali ex quo illam descripsit Martene in Opere: *De antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis* cap. XX. num. IV. Quoad processionem quae fit in hac Dominica, instituta fuerit in memoriam celebris illius triumphi, quem egit Salvator asino insidens, cum Bethania Jerosolymam venienti obviam processerunt populorum turbae cum ramis palmarum. De ea processione in hunc modum loquitur Isidorus *de Officiis Ecclesiasticis Lib. 1. cap. 27. In ramis enim*, inquit, *Palmarum significabatur victoria, qua erat Dominus*

(1) Vide Catalano, *Rituale Romanum*. Titulus IX. Caput III.

mortem moriendo superaturus, et Trophaeo Crucis de Diabolo mortis Principe triumphaturus. Hymnus ille *Gloria, laus,* et *honor,* qui cantatur, postquam ad Ecclesiae ostium processio pervenerit, a quibusdam tribuitur Theodulpho Abbati Floriacensi, qui postea fuit Episcopus Aurelianensis saeculo nono. Teste Grancolasio in Breviarium Romanum, cap. XLIV. ipse hymnus *Gloria, laus* a iunioribus Clericis cantabatur. Pluribus in locis cani ait in sacello aliquo elevato. Ostium Ecclesiae aperitur, quod antea erat occlusum, ut hinc intelligamus clausum fuisse hominibus coelum Adamo peccante, et nisi Christi morte fuisse reseratum: Verba sunt Amati Pouget in *Istitutionibus catholicis,* tom. 1. part. 2. sect. 4. cap. 2. Hoc ipsum adfirmat eruditissimus Eveillon in suo Libro de *Processionibus Ecclesiasticis,* cap. IX. ubi inter alia ait: *Sacerdos fores Templi, seu portas Civitatis pulsans, et impacta Cruce, aperiens, Christum exprimit virtute Passionis suae portas Caeli aperientem, et de diabolo victoriam in Cruce reportantem.* Notat mox, eundem ritum aperiendi portas, eodem prorsus modo observari in dedicatione Ecclesiae, tum apud Graecos, tum apud Latinos, uti videre est in Pontificali Romano, atque in Romano Ordine. Ut vero magis (1) magisque gloria Crucis demonstraretur, iam non solum in Processione, sed per totum diem, aut magnam illius partem denudata manebat, uti videre est in variis diversarum Ecclesiarum Ordinariis, ac Ritualibus. Praeter Crucem, consuevisse et olim in hac Processione deferri solemniori cum pompa Sacrum Evangelii Codicem tamquam Christi personam exhibentem, luculenter ostendit doctissimus Catalano in Opere: *De Codice Sancti Evangelii atque servatis in eius lectione et usu vario ritibus,* Lib. III. cap. III. Ceterum in quibusdam locis Evangelii loco deferri consuevit Sacra Eucharistia, isque usus in Normanniae Monasteriis obtinebat etiam ante Berengarii haeresim.

III. Pluribus docet Martene in celebri opere de *anti-*

(1) Vide Eveillon, *De Processionibus Ecclesiasticis* cap. IX.

qua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis cap. XX. num. XII. non modo in privatis Missis Dominicae praetermissam fuisse apud Monachos, verum etiam semel tantum in Feria VI. maioris hebdomadae Passionem ex quatuor, Evangelistis lectam fuisse. Et quidem in Africa tempore S. Augustini unicam legi consuevisse in ipsa hebdomada secundum Matthaeum, constat ex eiusdem S. Doctoris sermone CCXXXIII. Quicquid autem de aliis Ecclesiis sit, mos plane antiquus fuit Romae, ut ad Missam Dominicae Palmarum Passio secundum Matthaeum legeretur; et ritu quidem notabili, cuius meminit antiquus Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto. Addiscimus praeterea ex recitato Romani XI. Ordinis loco, ante Passionem Diaconum solito more populum salutasse, dicendo *Dominus vobiscum*, et ubi is dixisset, *Passio Domini Nostri Jesu Christi* respondisse Cantorum Scholam, *Gloria tibi Domine;* qui ritus tamen postea sublatus omnino fuit. Consueta salutatio sub verbis *Dominus vobiscum* omittitur, ob detestationem proditoriae salutationis Judae. Nec dicitur *Gloria tibi Domine*, quia Dominus noster deposita gloria, improperio indutus est. Quoad illas notas ✠ C. S. aliqui Christum, Chronistam et Synagogam interpretantur. Aliqui vero Christum, Cantorem, et Succentorem explicant. Nam Diaconus in Caeremoniali Episcoporum Cantor appellatur.

IV. Plures in hac Dominica iuxta veterem disciplinam ritus erant, qui nunc deserti obsolevere. Catechumenorum quidam competentes appellati : hi Christiana doctrina instructi petebant sacro Baptismate ablui. His ipsis competentibus Symbolum, quod per partes aliis diebus, qui Scrutinii dies dicebantur, explicatum fuerat, universum integrumque hac Dominica exponebatur. Inde frequens huic Dominicae nomen: Pascha petitum, sive Competentium. Cum Sabbato sancto infantes quoque baptizentur, iis, qui Baptismate abluendi essent, caput hac Dominica lavari mos erat; ut mundum caput praeberent sacro oleo, quo in Baptismo essent ungendi. Quamobrem interdum haec Dominica appellatur *Capitu-*

lavium ut observat Gavantus ad Rubricas Missalis Romani part. 4. tit. 7. Duae Missae in Dominica Palmarum variis in locis celebrabantur. Nihil enim frequentius olim, quam certis quibusdam Festis Missas duas, vel tres, sive etiam plures ab eodem Sacerdote celebrari, uti videre est apud eruditum Martene in Libro: de *antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis*, variis locis. Denique quamquam hodie ex praescripta Rubricarum Romani Missalis, et in Benedictione Palmarum, et in Processione, et in Missa, color violaceus adhibeatur, in multis tamen Ecclesiis rubeus color adhibitus fuit. Ita plane iubent Ordinaria, Argentinum, Lingonense, Lemovicense, S. Sthephani, et S. Martialis. Quod etiam apud Monachos Missa hac die solemniter ab Abbate decantaretur, et quidem in purpureis casulis, tradit vetus Cassinensium Ordinarium.

Caput IX.

De Matutinis tenebrarum, quae quarta, quinta, et sexta feria maioris hebdomadae vesperi recitantur.

1. Ad ea igitur officia, quae his diebus recitantur, quaeque Officia Tenebrarum appellari solent, sermonem convertimus. In iis id unum Ecclesia videtur tantummodo studuisse, ut suum moerorem, luctumque, dolorisque sui sensus omnino significaret. Descriptus habetur ordo huius officii in antiquo Romanae Ecclesiae Antiphonario, et in Gregoriano, a viro doctissimo religiosissimoque Josepho Cardinale Thomasio vulgato. In Matutino primi Nocturni Lectiones sunt ex Threnis Hieremiae, quibus Propheta Hierosolymae deflet excidium, multoque gravius super sceleribus, quibus Deum civitas illa irritaverat, ingemiscit. Nos illud hic tantummodo observabimus, in Lamentationibus ex Hieremiae Threnis desumptis voces illas occurrere *Aleph, Beth, Ghimel*, quod acrostice compositae, primae stropharum omnium litterae servent Alphabeti Hebraici ordinem, Ordo hic in ver-

sione Threnorum in alium ex hebraico sermonem cum minime retineri potuerit, Ecclesiae placuit, ut sua cuique strophae initialis littera hebraica praemittatur, ut optime observat eruditus vir Alexander Mazzinellus in Officio Hebdomadae Maioris pag. 94. et pag. 365. Teste Durando Lib. VI. Rationalis Divinorum Officiorum, cap. LXXII. in quibusdam Ecclesiis sex primae de Threnis Jeremiae legebantur. Ex antiquissimo praeterea ritu, ut videre est in Ordine I. Romano in fine Lectionum non dicitur, *Tu autem Domine*, sicut nec in principio, *Jube Domne benedicere*, quia, ut notat Durandus, recessit Pastor, et Sacerdos, qui gregi benedicere, et misereri debet, sed quia illum propter peccata amisimus, ad hoc, ut eum recuperare valeamus, admonemur per versum illum Jerusalem, Jerusalem convertere ad Dominum Deum tuum. Lectiones istae multo abhinc tempore leguntur cum cantu, et alphabeto Hebraeorum, cum Lanfrancus Monachis suis vetat eas canere, et sine Alphabeto praecipiat lectitare: Sine cantu et solitis Alphabetis.

II. Ad secundum Nocturnum in Sermone S. Augustini virtus apparet Passionis Christi, qui inimicorum iniuriis expositus per Crucem suam triumphavit, cuius signo totus Orbis devictus est. Lectiones tertii Nocturni ad Eucharistiae institutionem referuntur; sed Responsoria praecipuas Passionis Jesu Christi circumstantias memorant, eius agoniam in horto, et Judae traditionem. In Ordinibus Romanis Card. Thomasii p. 109. Cantores hoc triduo non deambulant per Chorum neque ad Psalmos, neque ad Responsoria. Hoc (1) tempore, quo haec Officia recitantur, magnum ante Altare ponitur Candelabrum, cuius figura est ad formam trianguli. Plures illi candelae accensae imponuntur, quarum singulae singulis expletis Psalmis extinguuntur; una tantum excepta, quae sub Altare accensa occultatur. Circa huiusmodi Cereorum numerum, qui in ipsis Matutinis accendi atque ex-

(1) Martene, *De antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis*. Caput VIII.

tingui solent, non una fuit omnium temporum, et Ecclesiarum disciplina. Romanus Ordo I. cap. V. mandat, ut tunc Ecclesia omni lumine decoretur. Ex Vulgato Alcuino, accenduntur in hac nocte lumina viginti quatuor, et extinguuntur per singulas Lectiones, et Responsoria. Totidem praescribit Joannes Abrincensis, totidem Ordinarium Rotomagense, et Silvanectense. Triginta quatuor habet Carnotense S. Joannis Ordinarium. Vetus Pontificale Ecclesiae Pictaviensis lampades triginta ad nocturnum Officium accendendas statuit, septem vero ad Laudes. Magnam profecto reprehensionem non effugeret, qui Ecclesiae addictus nesciret primis Ecclesiae temporibus Christianos solitos fuisse nocte intempesta surgere ad psallendum; quam consuetudinem ab omni Fidelium multitudine tunc temporis reservatam, quidam tantummodo Ecclesiasticorum, et Religiosorum Ordines retinuerunt. Multae causae extitere, quibus illiusmodi pervigilia nocturna sublata sunt; cuius moris veluti quaedam umbra etiamnum extat in Matutinis horum dierum, quae post solis occasum absolvi solent, ac propterea dicuntur Matutina Tenebrarum. In vetustissimo quodam Ordine Romano, ex iis primo qui a Mabillonio editi sunt in Museo Italico cap. 5. pag. 19. tom. 2. praescribitur, ut his diebus cantetur Matutinum media nocte: *Media nocte surgendum est.* Verum multa ante saecula mos introductus, exemplo etiam Romanae Ecclesiae praeeunte, ut ea Matutina cantentur post prandium, ut apparet ex Ordine Romano Jacobi Caietani cap. 82. et apud Petrum Amelium cap. 62. p. 480. Insuper (1) antiqui ritus vestigium est Candelabrum triangulare, quod hodie ex ritu non ita recenti a latere Epistolae ante Altare ponitur cum quindecim cereis, qui accensi initio Matutini, extinguuntur postea singulatim. Teste Durando quidam suo aevo, ut hodieque fit, extinguebant candelas post singula cantica usque ad plenam extinctionem, alii tri-

(1) Vide Catalano, *Caeremoniale Episcoporum commentariis illustratum*. Liber II. cap. XXII.

bus vicibus. De luminibus in cuiusque Psalmi fine extinguendis loquitur Amalarius Fortunatus Lib. 4. de *Ecclesiasticis Officiis* cap. 22. de *Ordine Antiphonarii* capitulo 44.

III. Quoad extinctionem candelarum in fine Psalmorum observat Mazinellus, ideo singulas Candelas ex intervallo subinde extingui, quod, cum tempus, quo Christum mori oportuit, adventaret, Discipuli, remisso pristino illo animorum ardore, passim huc illuc aufugerint, ac fere omnes ut fuga suae saluti consulerent, Magistrum suum deseruerint. Addit idem Auctor, Candela illa, quae sub Altari servatur accensa, pulchre Christum Jesum significari, quem e caelo delapsum ut universum mundum a multis retro iam saeculis in tenebris iacentem suo lumine illustraret, scelesti homines et ingrati extinguere aut obscurare conati sunt; sed cum maxime credebant illum obscuratum, aut omnino sublatum, tum maxime reviviscentem surgentemque viderunt ad immortalitatem, splendidissimo lumine coruscantem, ab universo mundo praedicari et conspici. Illud quoque ait pag. 124. parvo illo strepitu, qui in fine Laudum in his Matutinis edi solet, magnam illam significari perturbationem confusionemque rerum quae Christi Domini mortem consequuta est. Quindecim candelae accenduntur in candelabro triangulari, ad fidem de SS. Trinitate denotandam; quae tunc vigebat in Beatissima Virgine Apostolis, et tribus faeminis, Mariae nomine insignitis ex Joanne Beleth. cap. 101. Illud hic minime praetermittendum, in nonnullis Ecclesiis Psalmos huius Officii voce suppressa, seu remissa, persolutos fuisse, in signum scilicet moestitiae de Salvatoris morte, eamque ob causam ex Rotomagensi Ordinario duo in Cappis nigris Chorum regebant. Porro licet communiter ad finem Psalmi, *Gloria Patri* reticeatur, iuxta nihilominus Gallinense, et Carnotense S. Joannis Ordinarium, ut eius loco subiiciatur, *Laus tibi Christe*, tam ad nocturnas vigilias, quam ad horas diurnas. In quibusdam quoque Monasteriis Orientis, loco ipsius *Gloria Patri*, dicebatur hisce diebus, *Miserere nostri Domine, miserere nostri.*

IV. De Oratione *Respice quaesumus Domine etc.* ut aliquid dicamus, est illa profecto antiqui ritus, eiusque non obscure meminit antiquissimus omnium Romanus Ordo I. cap. V. Dicendam ipsam orationem in fine huius Officii, praescribunt passim Ecclesiarum Ordinaria, ac Ritualia, ut omittam Durandum, aliosque antiquos scriptores, qui eiusdem Orationis mentionem faciunt. In Matutino Feriae sextae, Nocturnorum Psalmi sunt proprii, et selecti, et ad Passionem et mortem Domini relationem habent. In pluribus Ecclesiis legebatur Passio ad lectiones tertii Nocturni; in aliis ut in antiquo Galliae Sacramentario, ad singulas Officii horas tam nocturnas quam diurnas legebatur; quod et in Oriente in usu erat, teste Sozomeno Lib. 7. cap. 19. Quoad Officium Sabbati Sancti, ad Matutinum Psalmi sunt proprii; ad Laudes Psalmi, et Canticum Feriae tertiae, propterea quod ad exprimendam Dominicam sepulturam aptiores visi sunt. Hoc autem Officium, quia maximam noctis partem occupabat Lectionibus, Precationibus, Tractibus, et Canticis plenum est.

Caput X.

De feria quinta in Coena Domini.

I. Feria quinta in Coena Domini, quam veteres Scriptores *Natalem Calicis* vocant, adeo multiplici rituum varietate gaudet, nulla ut toto in anni curriculo dies ei valeat aequiparari. Variis etiam nominibus appellabatur nempe *Dies lucis, dies panis, dies absolutionis, dies Mysteriorum, et dies Mandati.* Veterem fuisse Romanae Ecclesiae consuetudinem feria V. in coena Domini absolvere et reconciliare poenitentes, diserte nos docet Innocentius I. Pontifex Maximus in celeberrima ad Decentium Eugubinum Episcopum Epistola: ad hanc profecto alludit consuetudinem S. Hieronymus in epistola ad Oceanum. Fuit haec porro olim Ecclesiae disciplina, et in sequioribus saeculis religiose servata, uti patet ex innu-

meris Ecclesiasticis monumentis. Etsi vero ex antiquis aeque, ac recentioribus Pontificalibus Libris, atque Scriptoribus constet, priscam esse Ecclesiae consuetudinem, ut Poenitentes Feria V. Coenae Domini reconciliarentur: sciendum nihilominus est, in celebri Mediolanensi Ecclesia fieri iam olim hanc caeremoniam consuevisse Feria VI. maioris Hebdomadae, ut colligi potest ex Epistola XX. S. Ambrosii novae editionis ad Marcellinam sororem. Eadem quoque praxis fuisse videtur in quibusdam Gallicanis Ecclesiis teste Martene Lib. I. *De antiquis Ecclesiae ritibus*. Afferri iam possent et aliorum testimonia, quibus ostenditur, reconciliatos fuisse Poenitentes in vigilia Paschae, et in ipso Dominicae Resurrectionis die. Constat ex sacris Canonibus, priscisque Patribus, proprii iuris solorum fuisse Episcoporum, et publicam poenitentiam imponere, ac publice poenitentes reconciliare. S. Cyprianus *Epistola XI.* ubi de quibusdam Presbyteris conqueritur, quod poenitentes ante actam poenitentiam, contempta canonica disciplina conciliabant, inter alia reprehendit, quod se inconsulto id facerent. Joannes Dartis in Opusculo: *De canonica disciplina circa poenitentiam* cap. XXVI. scite observat, potuisse Presbyteros ex consensu Episcopi, aut in eius absentia, vel urgente necessitate poenitentes reconciliare, uti aperte constat ex Concilio Africano circa tempora Bonifacii I. habito.

II. Reconciliari consuevisse poenitentes ad Missam, aperte colligitur ex Concilio II. Carthaginensi Can. III. Hispalensi II. Can. VII. Wormaciensi Can. VIII. et aliis. Quanam Missae parte poenitentium reconciliatio perageretur, difficile est definire, cum non una fuerit omnium Ecclesiarum hac in re consuetudo. Nam aliqui ante Missam, quidam post Evangelium, imo nonnulli post consecrationem, teste Morino, reconciliabantur. In Hispania, ubi poenitentibus Feria VI. Maioris hebdomadae poenitentiae relaxabantur, reconciliatio ad vesperam omnino fiebat, uti liquet ex Concilio Toletano IV. Can. VII. Missa, quae pro poenitentibus Feria V. Coenae Domini mane cantabatur, propria quidem antiquitus fuit, eam-

que legere est in vetustioribus Sacramentorum Libris ante annos mille, aut circiter scriptis, ut in Remensi S. Remigii, in Gellonensi, in Pictaviensi Pontificali, in Ordine Gelasiano, ac aliis apud Martene in opere: *De antiqua Ecclesiae Disciplina in divinis celebrandis officiis*, cap. XXII. Instar baptizatorum, et neophytorum dati sunt et Poenitentibus cerei, quibus significatur, quod Apostolus ait ad Ephesios, cap. V. *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino*. Insuper Ecclesiam ingressi, post ambonem navi mediana consistebant. Interea Episcopus e Presbyterio ad Cleri corum deveniebat, eoque ambonem conscendebat. Quo cum ille staret, accedebat Diaconus, eumque his alloquebatur: *Adest, o venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinae, et salutis humanae etc.* Archidiaconus subiungebat: *Redintegra in eis, Apostolice Pontifex, quicquid, Diabolo suadente, corruptum est, et orationum tuarum patrocinantibus meritis per divinae reconciliationis gratiam fac hominem proximum Deo, ut qui antea in suis delictis sibi displicebat, nunc iam placere se Domino in regione vivorum, devicto mortis auctore gratuletur.* Quibus ab Archidiacono dictis, Pontifex orationes tres, vel septem recitabat, quibus divinam misericordiam illis rogabat indulgentiam offerret, manus eis interea ex ambone imponens. Huic ritui paullatim alii accesserunt. Hinc vulgatus Alcuinus nonnullos, addit, psalmos recitatos fuisse cum *Pater noster*, atque *Kyrie*, aliasque quamplures orationes. Ac saeculo IX. Romae ritus precis, quae ab Archidiacono fiebat, extra Ecclesiam persolvebatur. Antiquior est nihilominus ritus, Episcopus, ubi solemniter reconciliavit Poenitentes, eisdem benedictionem solemnem impertiatur. Variae afferuntur formulae huius benedictionis in Pontificalibus Libris, in quibus etiam quaedam breves, quaedam prolixiores sunt. Fuit praeterea et olim ritus, ut Poenitentes in signum promissionis non peccandi imposterum, et conversionis suae ad Dominum, manus attollerent; eiusque moris meminit quidem S. Eligius Homilia VIII.

III. Inter varios Feriae Quintae in Coena Domini ritus primarium merito locum sibi vindicare debet olei infirmorum atque Catechumenorum sacrique chrismatis benedictio, utpote quae solemnissimo omnium tam ministrorum apparatu, quam rituum varietate peragi solent. Omni aevo benedictum oleum fuit, quod nostris Sacramentis inservire debet. De olei benedictione pro unctionibus, et aquae pro baptismo, tamquam de ritu ab Apostolis tradito loquitur Sanctus Basilius in Libro *de Spiritu Sancto*, cap. XXVII. *Benedicimus*, inquit, *aquam baptismatis, et oleum unctionis*. Tandem, ut alia omittam veterum Patrum, ac Conciliorum testimonia, Montanus Toletanus Episcopus in Epistola sua ad Theoribium, istiusmodi benedictionis institutionem ad ipsum fidei initium revocare videtur. Benedictio ista oleorum fiebat olim, quotiescumque necessitas postularet, ut liquet ex primo Concilio Toletano Canone siquidem XX. inter alia, ita inquit: *Episcopo sane certum est, quod omni tempore licet Chrisma conficere*. Porro mos deinde invaluit, ut dumtaxat in Coena Domini conficeretur non modo apud Latinos, sed etiam apud Graecos, ut fidem luculentissimam faciunt prisci Patres, Synodi, Pontificales, et Sacramentorum Libri omnes, Graecorumque Euchologium. Huius benedictionis ius penes solos resedisse Episcopos clamant libri Rituales tam Latini quam Graeci omnes, clamant varii Conciliorum ac Synodorum canones. Quod spectat Presbyterorum numerum, non videtur ille olim status fixusque fuisse, sed quotquot praesentes reperiri poterant Episcopo benedicenti sacris vestibus induti assistebant. Id innuunt vetustissimi omnium Sacramentorum Libri, qui de Presbyterorum assistentium numero nil prorsus definiunt. Certe S. Gregorius in suo Sacramentorum Libro nullam de Presbyterorum numero mentionem facit, ubi ita inquit: *Tunc offertur Pontifici oleum, et benedicit eum tam ipse, quam omnes Presbyteri etc.* Similiter vetus Ordo Romanus. Quando autem primum Presbyterorum numerum ad duodenarium redactus sit, difficile est definire. Vestes, et cooperatores sacri Chri-

smatis non semel appellantur memorati duodecim Presbyteri in manuscriptis Pontificalibus et apud auctores complures. Circa duodenarium Presbyterorum numerum, rem ita explicat Lib. V. *De divinis officiis*, cap. XVIII. Rupertus Abbas duodecim Presbyteri, qui ordinantur iuxta Episcopum testes, et adiutores eiusdem mysterii duodecim Apostolos significant, quorum in praesentia Summus Pontifex Christus hodie testamentum conscripsit.

IV. In sacrorum benedictione Oleorum, celeberrima prae ceteris fuit Processio. Observandum est secundo, proferri Oleum e Secretario, seu Sacristia iuxta antiquissimum Ecclesiae morem, quo, ut scite observavit Cardinalis Baronius, oblationes fidelium in Secretario primum deponebantur, ut ibi inspicerentur, et examinarentur, an admittendae, et ad Altare deferendae, an repudiandae essent. Dignum insuper observatu est, non modo apud Latinos, sed et apud Graecos, in processione in qua deferebantur ampullae olei, sive unguenti, fuisse ipsas velo tectas, quem ritum fuse enarrat Amalarius Lib. I. *De Ecclesiasticis officiis* cap. XII. Pouget in *Institutionibus Catholicis* tom. 2. cap. 8. ostendit, a saeculo usque quinto et sexto stetisse disciplinam illius inspirationis, qua Episcopus, et Presbyteri ampullae Chrismatis, et olei Catechumenorum semel iterum, et tertio inhalant, itidemque iisdem saeculis illum fuisse ritum, ut Episcopi, et Presbyteri Chrisma, et Oleum iam benedictum salutent illis verbis, *Ave sanctum Chrisma: Ave sanctum Oleum*. Theologi de hoc inhalandi super olea ritu, ac de ea salutatione ostendunt, neutrum idolatriae insimulari posse, quod caluminiantur haeretici: ea enim aspiratione, qua olea afflantur, exprimi ipsum super olea Spiritus Sancti delapsum ad Jesu Christi exemplum, qui insufflavit in Apostolos ut ostenderet super ipsos Spiritum Sanctum illabi, apud Joan. cap. 20 Neque mirum esse, quod res etiam salutentur inanimes. Nam et S. Andreas ubi Crucem aspexit, salutavit: *Salve Crux pretiosa;* et S. Paula simul oculis prospexit Bethelem, ipsam civitatem itidem salutavit, teste

Hieronymo in Epistola, quam de eius morte conscripsit. Gregorius pariter Nazianzenus Cathedram, Templumque salutavit, in Oratione, quam in Constantinopolitano Episcopatu abdicando habuit ad Clerum. Neque nos Chrisma, et Oleum physice, et absolute, ut Theologi loquuntur, sed relative, et moraliter, tanquam Christi symbolum, salutamus. Vide Witasse, de Sacramento Confirmationis tom. 2. part. 5. art. 1.; Tournely, de Sacramento Confirmationis art. 3. pag. 501. Videndus etiam Bellotte in opere *Ritus Ecclesiae Laudunensis* pag. 791. num. 4. qui de Salutatione illa loquens, qua a duodecim Presbyteris sancta olea salutantur, et de osculo, quod sacris ampullis, quibus Olea continentur, ab iisdem Sacerdotibus defertur, haec omnia iure optimo fieri ait: *Debetur enim rebus sacris reverentiae ratione sanctitatis, quia ex eo quod ad cultum Dei deputantur, divinum quiddam in se habere censentur: unde honor, qui iis defertur, suapte natura redundat in Deum.* Atque haec sunt, quae ad Ecclesiam Occidentalem pertinent; a quibus Orientalis Ecclesiae Ritus in quibusdam paullulum differt. Graeci enim in Chrismate conficiendo non modo oleum et balsamum, sed triginta quinque aromatum genera immiscent, vino etiam haud ita parce indicto, ut videre licet in Euchologio Goarii. Maxima etiam apud eos celebritate quondam confectum est Chrisma ab eorum Patriarcha cum Archiepiscopis, et suffraganeis Episcopis.

V. Quantum vero ad Missam (1), iam non unam olim solemnem Missam decantari consuevisse hac die, sed plures, unam scilicet pro poenitentibus alteram pro sacri Chrismatis confectione, tertiam cum Ordine Gelasiano exhibent antiqui codices: quartam addunt Pontificale Pictavense et codex Siculus apud Morinum de poenitentia pro baptizandis, quibus forsan nonnullis in locis ultimum hac die scrutinium fiebat. Tempore S. Augustini duas a nonnullis Ecclesiis celebratas fuisse Missas, nempe unam

(1) Martene, *De antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis.* Caput IX.

a ieiunis, alteram sero post coenam, constat ex ipso Augustino in Epistola LIV. novae editionis ad Januarium. Missa, quae hodieque ipsa die celebratur, semper iam fuit ubique fere solemnis etiam antequam Urbanus IV. institueret Sanctissimi Sacramenti Festum, quod egregie in opusculis suis enarrat Angelicus Doctor S. Thomas Aquinas. Teste eodem Doctore usque ad praedicti Papae tempora, Feria haec quinta destinata erat ad praecipuum huius Mysterii cultum, et appellabatur, in *Coena Domini*, seu *Natalis Domini*, sive etiam *Natalis Calicis*. Durandus, qui de Festo Corporis Christi minime egit, quod forte nempe non dum aetate sua institutum fuerat ubique, Lib. VI. cap. LXXV. num. 1. affirmat, huius diei Festum reliqua omnia antecellere, et Sacramenti Sacramentorum institutionem esse illius obiectum. Missa in Coena Domini tota in Eucharistiae institutione versatur. Eius enim introitu declarat Ecclesia, nulla re gloriari se magis, quam Domini nostri Cruce, cui vitam, salutem, et resurrectionem suam refert acceptam. Post hymnum *Gloria in excelsis* campanarum usus usque ad Sabbatum Sanctum interdicitur. In plerisque Ecclesiis nolae pulsabantur usque ad *Sanctus*, vel usque ad *Agnus Dei*, Bocquillot huiusmodi sonitum per eos dies omitti testatur, eiusque loco strepitum quemdam lignorum subrogari, ut primorum saeculorum apud posteros memoria conservetur, quibus fideles non ullo tintinnabulo, sed iisdem lignis obstrepentibus ad Divina Officia accersiri consueverunt: huic etiam sententiae congruere videtur Amalarius. Insuper in veteribus Ritualibus praescribi, ut campanae per hos dies sileant, quae cum Christi Praedicatores iuxta aliquos significent, ideo earum sonum intermitti, quod Apostoli Christum in maximis cruciatibus Passionis, arrepta fuga, deseruerint.

VI. Oratio, quae hodieque dicitur, *Deus a quo et Judas* occurrit quidem in multis antiquis Ordinibus, tametsi in aliis desideretur. Pacis osculum dari non consuevisse hac die in Missa, Romani Ordines, ac prisci Auctores docent, propter Judam proditorem, et eius agmen

osculum pax non detur uti docet creditus Alcuinus. Debet enim Feria Quinta in Coena Domini ipse Episcopus per se ipsum ministrare Eucharistiam Canonicis et Clericis. Absolute praescribunt generalem hanc communionem Theodulphi Aurelianensis Episcopi Capitulare, Walterius item in Anglia Episcopus, qui saeculo X. florebat, Joannes Abrincensis, et Libri Pontificales, et Missales antiqui omnes. Sicut Divinus Salvator sibi primum ac deinde Apostolis Sacrosancta Mysteria tradidit, ita consentaneum fuit, ut Sacerdos Feria V. maioris hebdomadae suscepta Divina Eucharistia, ipsam post universo Clero distribueret. Circa hanc communionem illud in primis observare licet, quod Summus Pontifex qui aliis diebus pretiosum Sanguinem ex calamo haurire solebat; hac tantum die ex ipso Calice bibebat. Secundo, post sacrorum ministrorum ac Cleri communionem primi ante alios omnes ad sanctam Synaxim accedebant reconciliati poenitentes. Solum in crastinum diem Corpus Domini reservari, praecipiunt iam Codices omnes antiqui Missarum, Sanguine in Missa, huius die penitus absumpto. In quibusdam Ecclesiis una cum sacra Eucharistia reconditam etiam fuisse in Sepulcro Crucem, et sacrum Evangelii Codicem, uti patet ex variis Codicibus. Graeci etiam hac die reservant Eucharistiam non solum in sequentem diem, sed ad communicandos per totum anni curriculum infirmos. In quibusdam Ecclesiis Sacerdos celebrans Vesperas incepturus, Calicem manu accipiebat, decantans, *Calicem salutaris*. Hunc ritum videre est apud Joannem Abrincensem, et in Praemostratensium Ordinario.

VII. Post Missam Feria quinta in Coena Domini denudantur Altaria. Quam antiqua sit ea denudatio, docent nos manuscripti antiqui Libri Rituales, eiusque meminit Toletana Synodus XVII. can. II. Denudatio ista fit cum caeremonia a Ministris Altaris, qui ut expeditiores sint, casulam deponunt ac tunicam, Presbytero, et Diacono albam habentibus ac Stolam, et Subdiacono albam. Deinceps vero huic caeremoniae adiecta sunt preces, *Super*

vestem meam miserunt sortem.... Diviserunt vestimenta mea . . . . . Varias rationes, cur Altaria hac die nudentur, recensent inter alios Joannes Belethus, in sua Divinorum Officiorum explicatione, cap. XIV. et Gulielmus Durandus Lib. II. sui Rationalis, cap. LXXXVI. quorum alter ita inquit: *Haec nudatio significat primo recessum Discipulorum Domini, seu Apostolorum. Secundo denudatio Altaris designat, quod Christus fuit nudatus in Cruce.* Cum itaque nudatum Altare conspicimus, illud Propheticum ad memoriam revocamus: *Ecce vidimus eum et non est ei species, neque decor. Tertio Altaris denudatio* significat *Christum Divinitatis gloria nudatum.* Unde Psalmus XXI. *Deus Deus meus quare dereliquisti me.*

VIII. Praeter nudationem ipsam (1) Altarium antiquus aeque, ac celebris est ritus lavandi Altaria die ipsa Feria V. Coena Domini, licet non in omnibus Ordinariis reperiatur; non enim mentionem eius ritus facit primus et omnium antiquissimus Ordo Romanus, non Ordo Gelasianus, non S. Gregorii Sacramentarium. Sed quidquid sit de alto silentio istorum Ordinum, testem de eo ritu habemus inter alios veteres Patres, S. Isidorum Episcopum Hispalensem qui Lib. I. *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. XXVIII. ubi ritus Coenae Domini enarrat, eodem die inquit: *Altaria Templique parietes, et pavimenta lavantur, vasaque purificantur, quae sunt Domino consecrata.* Idem totidem verbis tradit Rabanus Lib. III. de *Institutione Clericorum*, cap. XXXVI. Meminit et eius ritus in suo Ordinario Lucas Archiepiscopus Cosentinus. In Concordia S. Dunstani aqua benedicta lavabantur Altaria. In aliis Ordinariis aqua et vino lavabantur, et interea per Antiphonam, et Orationem fiebat commemoratio de Sancto, in cuius honorem erectum fuerat Altare, quod lavabatur. In nonnullis Ecclesiis aqua et vinum, quae Altarium lotioni inserviri debebant, benedicebantur; et Ministri aras lavabant Albis induti, et nudis pedibus: in

(1) Battellus, *De ritu annuae ablutionis Altaris maioris Basilicae Vaticanae.* Caput II.

nonnullis celebrans erat indutus casula, Diaconus, et Subdiaconus tunicis violaceis, atque etiam aqua et vinum thymiamate aliquo perfundebantur. Gretserus tom. 5. postrema editionis suorum operum Lib. de Festis cap. 17 pag. 59. accerrime castigat Hospiniani temeritatem, qui piam hanc abluendorum hoc die Altarium consuetudinem improbat. Causa vero cur laventur altaria iuxta Rupertum Abbatem illa est, quia Dominus noster, quem Altare significat, de latere suo lancea militis perforato sanguinem et aquam effudit.

IX. Inter alias (1) insignes, ac pervetustas Feriae quintae in Coena Domini caeremonias, fuit haud dubie lotio pedum, quae appellatur *Mandatum*, quia prima Antiphona, quae in ea cantatur, incipit per illa Christi Domini verba caeremoniam ipsam commendantis *Mandatum dedi vobis.* Quam tenaces eius caeremoniae fuerint Monachi, abunde nos docent eorum Statuta, atque Ordinaria, allata a Martenio in Libris: de *antiquis Monachorum ritibus.* Imperatores quoque, ac magnos Principes ad imitandum Christi Regis Regum, ac Domini omnium dominantium humilitatis exemplum, eandem disciplinam in se suscipere non exhoruisse, multis probari posset exemplis. Legi ex antiquo, ac solemni ritu Evangelium, docent varii antiqui manuscripti Codices a Martenio allati, licet ex aliis nonnisi post varias cantatas Antiphonas recitatum fuisse constet. Inventus est mos, duodecim pauperibus lavandi pedes, ad exemplum Jesu Christi qui duodecim Apostolis pedes lavit. In quibusdam Ecclesiis duodecim tantum; in quibusdam aliis Ecclesiae Romanae more tredecim pauperibus pedes abluuntur; ut in Ecclesia Florentina. Oresius Episcopus Tortonensis Lib. 3 *delle sacre Imprese* pag. 141. putavit tertium illum decimum exprimere Paulum Apostolum, non quod ille Coenae adfuerit, quem constat post Christi Domini Ascensionem ad Apostolatum fuisse vocatum, sed ob Ecclesiae Romanae erga

(1) Catalano, *Caeremoniale Episcoporum Commentariis illustratum.* Liber II. cap. XXIV.

eum obsequium et venerationem, quae Ecclesia illi, et Beatissimo Petro Christianam Fidem refert acceptam. Hanc sententiam Frescobaldus florentinus Presbyter evertere conatus est in dissertatione, cui titulum indidit: *Pedilavium*. Eam tamen haud ita a veritate alienam iudicavit Orlendius Ordinis Praedicatorum cap. 13. sui operis, quod inscripsit: *Duplex lavacrum in Coena Domini fideliter exhibitum*. Fuere alii, qui tertiodecimo illo repraesentari putarunt D. Matthiam, qui in Judae locum postea suffectus est. Frescobaldus omni studio connisus est ostendere, Patremfamilias exprimi, cuius in domo Christus Dominus celebravit Pascha: contendit enim, Jesum illi itidem, ut duodecim Apostolis suis, pedes abluisse, quod Orlendius vehementer improbat. Constans plane fuit semper, ac tenax duodenarii numeri Ecclesia Orientalis, ut patet ex Euchologio, ubi non uno in loco mentio eius numeri fit in Officio, quod dicitur, *Divini et Sacri Lavipedii*. Hunc fuisse et olim morem Ecclesiae Occidentalis, ac praesertim Romanae usque ad Pontificatum Innocentii VIII., sub eodem Pontifice, inde plane coepit primum lavari pedes tredecim Pauperum, eumque ritum servatum fuisse a sequioribus Pontificibus, ex variis mss. Apostolicorum Caeremoniariorum Diariis constat, in quibus semper tredecim Pauperes recensentur.

Caput XI.

De Feria sexta in Parasceve.

I. Pervetusta plane, et communi nomenclatura Feria sexta maioris et sanctioris hebdomadae appellata est *Parasceve* idest *Praeparatio*, relatione habita ad Dominicam Paschalis. Communis Eruditorum sententia est, Apostolos divinorum Mysteriorum, quorum testes fuerant, Festa instituentes, unum praecipisse in honorem Dominicae Passionis, uti observat S. Augustinus in *Epistola XIV*. novae editionis; quod quidem Festum licet augustissimum esset, precibus tamen, ieiuniis, et mortificationi-

bus potius, quam laetitiae signis celebrabatur. Scite autem notat Grancolas in *Breviarium Romanum*, cap. LXIII. *Paschalis* nomine hanc diem Parasceves appellari a Tertulliano, et quidem non uno in loco, praesertim Lib. *Adversus Judaeos*, cap. X. et Lib. De *Oratione*, cap. XIV. ubi mortem Christi in Judaeorum Paschate figuratam notat. Cum itaque Parasceve dies sit luctus atque tristitiae, ut inter alios Patres tradunt Sanctus Innocentius Papa I. in *Epistola I. ad Decentium Eugubinum Episcopum*, cap. IV. et Patres Concilii IV. Toletani, can. VIII. recte admodum ex Caeremoniali Episcoporum cautum est, ut Altare, Sedes Episcopi, sedilia Canonicorum, ac tota Tribuna sint penitus denudata, ad indicandum scilicet luctum ex morte Reparatoris nostri Jesu Christi, qui in Cruce denudatus fuit.

II. Ritum ponendae Sanctae Crucis super Altari sexta ipsa Feria, sane antiquissimus est, ut Ordo Gelasianus monet. Jerosolymis olim vera Crux, in qua Salvator pependit et expiravit, omnibus hac dumtaxat die adoranda praebebatur, teste S. Paulino in *Epistola XXXI. ad Severum novae editionis*, cap. VI. Celebrem fuisse vel primis saeculis (1) Feriam sextam in Parasceve ob celebrationem praesertim Mysterii Sanctae Crucis, antiqui Patres docent, inter quos multa de ea celebritate notat S. Isidorus Lib. De *Officiis Ecclesiasticis*, cap. XXXIX. Mos fuit Romanae Ecclesiae, et aliarum etiam complurium, ut Feria sexta in Parasceve solemnis Processio instrueretur variis caeremoniis adornata. Fiebat nudis pedibus, virique pariter, ac mulieres varias Ecclesias visitabant, ut testatur Auctor vitae S. Constabilis Abbatis Cavensis apud Bollandum ad diem XVIII. Februarii. Summus Pontifex cum Clero nudis pedibus procedebat ad Ecclesiam Sanctae Crucis, dicendo septem Psalmos poenitentiales. Praeclarissimi vero sunt ritus, quos in memorata Processione servatos recenset Romanus Ordo

(1) Catalano, *Caeremoniale Sanctae Romanae Ecclesiae.* Liber secundus Cap. LI.

XII. Auctore Cencio, cap. XIII. nigro colore uti Ecclesiam Feria sexta in Parasceve, est quidem antiquus Romanae Ecclesiae ritus, cuius meminit Ordo Romanus XIV., in signum scilicet luctus ex morte Domini. At vero licet ex multis Ordinariis constent usus nigri coloris in Parasceve adhibiti, non desunt tamen Ordinaria complurium Ecclesiarum, ex quorum praescripto vestimenta Sacrorum Ministrorum rubri erant coloris.

III. Vigilias huius diei nocturnas, uti in Natali, et in Epiphania Domini, ab hora noctis tertia incipiebat Ecclesia Gallicana. Huiusce antiquissimae consuetudinis testis locupletissimus existit Gregorius Episcopus Turonensis. Verum in pervetusto Ordine I. Romano, et in manuscripto Ordinario Lucae Cosentini Episcopi, ut alia omittam, media noctis hora designatur. Quod autem spectat ad huius diei horas diurnas, submissa hae voce, et sine cantu ex antiqua consuetudine solent decurri. In quibusdam locis communiter in Choro non dicebantur, sed privatim, testesque eius disciplinae sunt complures Libri Rituales, quos recenset Edmundus Martene in Opere : de *antiqua Ecclesiae disciplina* cap. XXIII. num. III. Oratio, ac prostratio ante Altare initio Officii, in multis antiquis Ritualibus, atque Ordinariis occurrit. Porro olim in Turonensi S. Martini Ecclesia, ut ex eiusdem Rituali constat, sacri Ministri septem Psalmos poenitentiales ante Altare prostrati recitabant. Nudum est Altare, quia pridie mappae sublatae sunt; ad denotandam Salvatoris nuditatem; una vero tantum mappa, quam antiqui Romani Ordines Syndonem appellant, tempore Missae super Altare extenditur, quae significet syndonem monumenti, ex Durando, ubi varios antiquos ritus, qui servari solent, pie ac mystice enarrat.

IV. In utraque Ecclesia peragitur hac die Missa Praesanctificatorum, in qua etiam olim ex diei praecedentis Sacrificio non modo Celebrans, ut hodie apud nos fieri assolet, sed et Ministri, aliique Clerici, et ipse quoque populus communicabant. Haec Missa ex Ordine Gelasiano, et ex aliis antiquis Ordinariis variarum Ecclesiarum,

ab hora quidem nona incipiebat, cui etiam nonnullae Ecclesiae ignis novi benedictionem praemittebant. In aliis quoque, maxime Canonicorum Regularium Ecclesiis, ut testatur Martenius, ante Officium, appropinquante hora diei nona, Hebdomadarius aquam benedictam faciebat, ac deinde dicta Nona solemni ritu Altaria lavabat. Hodiernum Officium in antiquis Sacramentariis, Ordinibusque Romanis, unum et idem reperitur. Sicut hodie, ita et antiquitus a duabus Lectionibus incipiebat, in quorum fine dicebantur *Tractus* ipsi, qui recensentur in hodiernis Missalibus. Incipit hoc Officium Feria VI. in Parasceve a Lectionibus, quia ut notat Durandus, in primitiva Ecclesia omnis Missa a Lectionibus inchoabat. Et leguntur Lectiones sine titulis, quoniam tunc amisimus Christum Caput, qui nos illuminat, sicut tituli illuminant Libros. Addit et alia Durandus, quae et ante ipsum inter alios notaverat Joannes Belethus in sua *Divinorum Officiorum explicatione*, cap. XLVIII. Sed lubet posterioris Auctoris verba hoc loco describere: *Leguntur autem duae Lectiones, quia pro duobus populis Christus passus est, Gentili videlicet, et Hebraeo, vel pro salute carnis, et animae. Unam sumptam ex Lege, aliam ex Prophetis, quia Christi passio a Prophetis fuit pronunciata, et a Lege et Patriarchis praefigurata.*

V. De Passione hac die cantanda (1) illud hic admonendum quod licet communiter legatur ex Evangelio S. Joannis, in Missali tamen Ambrosiano, anno MDLV. edito notatur ex Evangelio secundum Matthaeum. Teste Durando Lib. VI. sui Rationalis, cap. LXXVI. legebatur hac die Passio non modo super nudum pulpitum, sed etiam nudis pedibus; et in quibusdam Ecclesiis sindon, seu tersoria, vel vestes Altari nudato superponebantur usque dum Passio legeretur, cum vero Cantor ad eum locum perveneral, *Diviserunt sibi vestimenta mea*, tunc Subdiaconi sindonem illam tollebant, repraesentantes hi-

(1) Catalano, *Caeremoniale Episcoporum commentariis illustratum*. Liber secundus. Caput LII.

storiam, quia quatuor milites Christum crucifigentes, vestem Christi sustulerunt. In Ecclesia Suessionensi, Passione finita, olim Subdiaconus Evangelii textum quasi in occulto sub sua infula acceptum, velut in sinu suo ad sepulchrum deferebat, teste Edmundo Martene in Libro: *De antiqua Ecclesiae disciplina in celebrandis officiis*, cap. XXIII. num. XI. Idem ritus obtinuit etiam in aliis Ecclesiis. Proxime post recitatam Christi Domini Passionem, Sermonem de eadem haberi, antiquissima est Ecclesiae consuetudo, quae Patrum complurium auctoritate confirmari posset, praesertim vero S. Leonis Magni, a quo, ut in eius operibus videre est, decem et novem de Passione Domini Sermones concinnati sunt, et ad populum habiti. In die Parasceves prisci aevi morem fuisse, ut Fideles extra Civitatem convenirent ad audiendam concionem, testis est S. Chrysostomus in prima sua oratione habita in Parasceve, ubi etiam causam eius ritus adiicit, dicens: *Ut Christum extra Civitatem Crucifixum ceu Pastorem sequantur et oves.* Addit praeterea idem S. Pater, locum, quo conveniebant, fuisse Coemeterium, quoniam eo die Christus ad mortuos descendit.

VI. Esse antiquissimum ritum, ut post Passionem dicantur orationes solemnes, quae hodieque in Missali leguntur, pervetusti Libri Rituales nos docent, inter quos Durandus Joannis Belethi interpretationem describens Lib. VI. *sui Rationalis* cap. LXXVI. num. XI. ita inquit: *Quia vero Christus in Cruce pendens prolixe oravit.... ideo et nos, postquam recitata est Passio eius, Orationes dicimus.* Orationes ipsas solemnes dici olim quotidie consuevisse, earumque mentionem facere S. Augustinum in Epistola ad Vitalem, Caelestinum I. in Epistola ad Episcopos Galliae, S. Leonem, S. Prosperum, et alios, affirmantes, huiusmodi orationes aevo suo dici consuevisse ubique terrarum, notat Grancolas in Commentario historico ad *Breviarium Romanum*, Lib. II. cap. LXIII. ubi etiam scitè observat, a septimo tantum saeculo Liturgiae abbreviandae causa, Feria IV. maioris hebdomadae, et Feriae VI. Parasceves addictas fuisse, postea vero Feriae VI. tan-

tum assignatas. In Ecclesia Mediolanensi orationes solemnes post vesperas decantantur, et quidem singulae a singulis Sacerdotibus. In quibusdam Ecclesiis Sacerdos alba et stola tantum amictus orationes pronuntiabat. Ita ex Missali Augustodunensi et ex Rotomagensi.

VII. Crucis denudatio, et adoratio in Parasceve antiquissima est in Ecclesia, eiusque ritus fit passim mentio in Ordinibus antiquis Romanis, eiusque meminit Sacramentarium S. Gregorii Papae. Toto ad terram prostrato corpore adorari vel olim consuevisse hac die Crucem, docent vulgatus Alcuinus, et Amalarius. Similia docent alii Auctores de Divinis Officiis agentes, ubi ritum adorandae Crucis in Parasceve enarrant. In quibusdam Ecclesiis duo Presbyteri Crucem ipsam baiulabant; ad notandum, inquit Durandus, quod in Christi persona duae fuerunt Naturae, Divinitatis videlicet, et Humanitatis. Quod dicitur: *Popule meus quid feci tibi, aut in quo contristavi te, responde mihi: quia eduxi te de terra Aegypti etc.* ad Divinitatem refertur. Quod vero sequitur: *Parasti Salvatori tuo Crucem*, ad Humanitatem. Huiusmodi improperia, quae iuxta Rubricas Missalis cantantur post denudationem Crucis, Durandi aevo, in aliquibus saltem Ecclesiis, ipsam Crucis denudationem praecedebant. Notat autem Martene in suo Opere: de *antiqua Ecclesiae disciplina etc.* cap. XXIII. num. XVII. prostratos olim Sacerdotes, antequam Crucem deoscularentur, devotissimas ad Christum preces aliquas direxisse. Oblatio pecuniae hac die ad Crucem, est ritus profecto antiquus, cuius meminit Romanus Ordo XII. Auctore Cencio, cap. XIII. Juxta S. Gregorii Sacramentarium Crucis adoratio, et Communio fiebant vespere.

VIII. In fine cuiusque improperii (1), interea dum Crux adoratur, canitur celebre Trisagium, et quidem graece, et latine, *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, *Sanctus immortalis, miserere nobis.* Menologium Graecorum narrat, sub Imperio Theodosii vigesimaquarta die Septembris

(1) Vide Brunetti, *del Trisagio.*

vehementissimo terrae motu Constantinopolim esse concussam: Imperatorem una cum Proclo Patriarcha, et populo universo ad implorandam Dei opem confugisse; puerum repente in aera sublatum; cumque omnes metu perterriti exclamarent *Kyrie eleison*, puerum in terram descendisse, atque alta monuisse populum voce, ut Trisagium caneret ad hunc modum, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, vixque ea loquutum, repente mortuum concidisse. Devota haec oratio in Ecclesia Orientali frequentissime usurpatur. Ea vero hac die praesertim utitur Occidentalis Ecclesia, latine, ut propriam suam linguam adhibeat; graece vero etiam, ut alludat illi divinae voci, quam puerum illum diximus Constantinopoli edidisse. Hunc eumdem hymnum nobili scriptione pluribus explicavit S. Joannes Damascenus in peculiari Libro, de *Trisagio*, in quo eamdem historiam memorat, repetiitque Libro III. de *Fide orthodoxa*, cap. X., ubi etiam prodit, in VI. Synodo Oecumenica decantatum fuisse, in fine scilicet primae Actionis, quando Dioscorus damnatus est, eiusdemque impietatis consortes haeretici: atque subiungit Petrum Fullonem, ut inveheret haeresim Theopascitarum, qui naturam divinam passam in Cruce falso affirmabant, ea verba Trisagio addidisse: *Qui Crucifixus est pro nobis, miserere nobis*; quod a Catholicorum coetu recte reprobatum fuit.

IX. Post factam Crucis adorationem afferebatur ad Altare (1) Corpus Christi ex praecedentis diei sacrificio reservatum. Longum plane esset varios Ecclesiarum ritus describere in ea processione, in qua Corpus Domini a Sepulcro defertur ad Altare. Ex Missali Tolosano, ubi solemni cum processione Corpus Christi, ad Altare deferebatur, Cantores hanc canebant Antiphonam: *Hoc Corpus Christi, quod pro vobis tradetur.* Hodie cantatur: *Vexilla Regis prodeunt.* Auctorem ipsius hymni esse Venantium Fortunatum, post Baronium notat Gavantus in *Rubricas Missalis Parte IV.* Tit. IX. num. XIII. Antiqui

(1) Eveillon, *De processionibus Ecclesiasticis* Cap. X.

vero nihil canebant, sed summo cum silentio haec omnia peragebant. Celebrans ipse Sacramentum a sepulcro affert ad Altare, sed antiquitus id fiebat a duobus Presbyteris, ut videre est apud S. Gregorium in Sacramentario, in Ordine Romano in Officio huius diei, et Amalarium Lib. I. de Eccl. Offic. cap. 15. Missa, quae hoc die celebratur, ut iam alibi notavimus, appellari solet Missa Praesanctificatorum. In Ecclesia Graeca haec Missa dicitur omnibus Quadragesimae diebus, Sabbato, et Dominica exceptis, ut constat ex Laodicena Synodo. Ac de eiusmodi consuetudine, quam servat Occidentalis Ecclesia celebrandi in Parasceve Missam Praesanctificatorum, vetera reperias documenta apud Pouget Inst. Catholic. tom. 1. pag. 841. tom. 2. pag. 272. Amalarius, et Alcuinus huius rei rationem afferunt; quia in hac die Dominus se ipsum obtulit, et ipsa oblatio sufficit ad salutem credentium. Deposito super Altari Sacramento cum Calice vino aqua mixto, Episcopus seu Sacerdos celebrans orationem Dominicam cum sequenti *Libera nos* dicebat: deinde facta hostiae fractione, et in Calicem immissione, statim communicabat sub silentio, nihil amplius addens. Quo autem modo dici debeat Dominica Oratio, variant quidem Rituales Libri, atque Missales: plena voce, ait Ordo Romanus XIV., voce submissa praescribunt Missales Libri Lugdunensis, et Parisiensis. Elevatur insuper sacrosancta Hostia altera tantum manu ad differentiam elevationis, quae fit post consecrationem, ne hac die videatur de novo consecrata, ut inter alios tradit Gavantus. Ceterum neque in Ordine Romano XIV. neque apud vetustiores Scriptores elevatio ipsa occurrit. In hac Feria sexta nemini sacra praebetur communio, nisi forte quaedam necessitas urgeat. Sed non hanc semper fuisse disciplinam, et hac etiam die populo sacras particulas distribui consuevisse, ostendit Benedictus XIV. Institutione 18. Totum hodiernum Officium nudis pedibus dicebatur, ut ait Lanfrancus. Rigidiora hodierna die ieiunia, et asperiora exercitia peragebantur. In pluribus Ordinariis, et apud Joannem Abrincensem legitur, quod hodier-

na die post Vesperas lavaretur Crucifixus aqua, et vino, de quo biberent quicumque communicaverant. Post Crucis adorationem in quodam sepulchro recondebatur, et interim cantabatur antiphona, *Sepulto Domino.*

Caput XII.

De Sabbato Sancto.

I. Scitissime adnotat Grancolas in Breviarium Romanum cap. LXIV. mysticam Jesu Christi requiem in sepulchro, descensumque ad inferos, tempus videlicet, quo eius anima a corpore separata fuit, seu Mysterium sepulturae, hodierna die celebrari ab Ecclesia, die scilicet Sabbati Sancti, cuius solemnitatem Sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione XLIII. confinium sepulturae, et resurrectionis Jesu Christi, iure ac merito appellat. Atque ut a prima ordiamur caeremonia Sabbati Sancti, cantatis horis, extinctisque usque ad principium Missae, quae sunt super Altare, candelis, extra Ecclesiam ignis e silice extunditur, quo carbones incendantur. Sacerdos novum ignem, et quinque incensi grana Cereo infigenda benedicit. Constans et perpetua fuit Ecclesiae disciplina, ut nulla re utatur, quin eam prius benedixerit. Per benedictionem novi ignis ex antiquo instituto incipitur hodiernum officium, licet non in omnibus Ecclesiis olim in usu esset. Illud plane constat, pervetustum fuisse ritum, accendendi sero novum ignem pro lampadibus, et cereis qui ardere debebant ad officium Vesperarum; quod cum singulis diebus fieret, propterea officium Vespertinum appellatum est *Lucernarium*, atque ita etiam a S. Hieronymo in *Epistola ad Laetam* appellatur, quod nempe circa Vesperam lampadas accenderentur. Octavo saeculo nulla erat in Ecclesia Romana huiusmodi benedicendi ignis caeremonia, quae tamen alibi iam tum viguisse deprehenditur ex Zachariae Papae Epistolis ad Bonifacium Episcopum Moguntinum apud Baronium ad ann. Christi 751. quibus Sanctus ille Pontifex ait eam

fuisse consuetudinem, ut Feria quinta ternae lampades accenderentur, quae arderent usque ad Sabbatum Sanctum, atque in eo, qui secretissimus esset Ecclesiae locus, ponerentur: Leo IV. anno 847. creatus Pontifex Homilia de Cura Pastorali. *In Sabbato*, inquit, *Paschae, extincto veteri, novus ignis benedicatur, et per Populum dividatur*. Extant monumenta, quae probant morem, in Ecclesia Romana fuisse, e percusso silice excutiendi ignis Feria quinta, ut constat e primo Ordine Romano. Thomassinus de dierum Festorum celebratione Lib. 2. cap. 14. ostendit, consuetudinem fuisse quarundam Ecclesiarum, ut quotidie ignis in eum modum, praesertim vero die Sabbati, at solemni caeremonia Sabbato Sancto excuteretur, quae consuetudo ineunte saeculo XI. ad solam Sabbati Sancti diem contracta fuit. Et Pouget in *Institutionibus Catholicis* tom. 1. pag. 847. tum quod hactenus diximus confirmat, tum etiam causas affert eiusmodi caeremoniae. Itaque eam proponit quaestionem, cur hodie fit solemniter benedictio ignis recens excussi e silice? Atque ita respondet: *Hic est vestigium antiquitatis. Olim excutiebatur quotidie ignis e silice ad accendenda Ecclesiae luminaria, et fiebat prius ignis benedictio*. Solemnius hac die agitur huius ignis benedictio, quia ignis ille e silice excussus videtur Christi recens ex mortuis suscitati typum ferre.

II. Quis tamen fuerit Auctor Arundinis, et cui saeculo referenda sit eius origo, penitus ignoratur. Bissus lit. A. num. 460. §. 4. cum multum de origine talis Arundinis quaesierit, fatetur se nihil invenisse. Martene *de antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis* ubi erudite satis suo more disserit de Ritibus Officii huius diei, nullum verbum facit de origine huius Arundinis. Sed utcumque sit de tempore quo eiusmodi instituta sit caeremonia, profecto eam vetustam esse constat. In Ordine Romano Cardinalis Caietani haec habentur: *Diaconus iunior accipit Arundinem trium cubitorum*. Idem legitur in Ordine Romano Amelii, et in manuscripto Pontificali Apameensis Ecclesiae. Gavantus trium cande-

larum mysterium ita explicat: *Candelae in calce unum quid esse deberent, et deinde distingui in tres, ad designandum Mysterium Unitatis et Trinitatis Dei*: idque eo confirmatur etiam, quod dum quaelibet e candelis Trianguli accenditur, dicitur *Lumen Christi: Deo gratias:* et, ut bene advertit Thomassinus de dierum Festorum celebratione Lib. 2. cap. 14. n. 7. in Trinitatis honorem cereum in tres divisum accendimus, rati nos Jesu Christi lumine fusos Trinitatis penitiora Mysteria nosse.

III. Benedictio Cerei Paschalis pervetusta est in Ecclesia, eamque institutionem Zosimo Papae tribuunt Amalarius, Lib. *De divinis officiis*, cap. XVIII. vulgatus Alcuinus, Rabanus, Valafridus Strabo, Micrologus, Honorius Augustodunensis, Rupertus Abbas Tuitiensis, aliique Auctores, atque varii antiqui Libri Missales. Sed antiquiorem Zosimo fuisse eius institutionem putant nonnulli, inter quos Jacobus Eveillon in suo Libro, de *processionibus Ecclesiasticis*, cap. XIII. ex Prudentio, qui de eo hymnum composuit, docet inter alios Pagius in laudati Zosimi vita, num. X. additque num. XI. hanc Cerei benedictionem cecinisse S. Augustinum, cum adhuc Diaconus esset, ut legitur in Sacramentario Gallicano a Mabillonio Tomo I. Musei Italici publicato. Paschalis Cereus benedici, atque incendi solebat cum duobus parvis aliis Cereis, qui ab illo accendebantur, ad denotandos iuxta Belethum, Sanctos veteris, ac novi Testamenti, quia tam videlicet hi, quam illi omnes per Christum sunt illuminati vel ad significandam doctrinam Apostolorum, et Prophetarum, qui cum Christo in doctrina concordant. Eadem haec, aque alia plura notat in eum ritum Durandus, qui etiam ait, in quibusdam Ecclesiis praeter primum maiorem Cereum, qui consecrabatur in personam Christi dicentis, *Ego sum lux mundi*, adhiberi consuevisse alterum Cereum minorem in personam Apostolorum consecrandum, *quibus Dominus* inquit, *vos estis lux Mundi*. Advertendum est etiam, quod una cum Cereo benedicebatur lampas, qua Cereus accendebatur, ut in quarto Concilio Toletano traditur: *Lucerna et Cereus*

in Pervigiliis Paschae, et legitur etiam in Missali Mozarabico, ubi primo habetur sic: *benedictio lucernae*. Cerei paschalis benedictio aut in ambone, vel in choro ad gradus presbyterii, ubi solet columna, cui affigitur, constitui, decantabatur.

IX. Omnem cerei benedictionem Rupertus Abbas pulcherrime explicat *de Divinis Officiis* cap. 28. et sequent. Cereum ait significare Christum reviviscentem, quod probatur etiam ex capite octavo Concilii Toletani IV. iuxta secundam Garziae editionem. Antequam Cereus benedicatur, Diaconus illi quinque incensi grana affigit, ut significetur Christi corpus Josephi ab Arimathaea, et Nicodemi opera aromatibus esse conditum. Quinque foramina ad figuram Crucis in Cereo excavata, quo grana incensi iniiciuntur, quinque Christi exprimunt vulnera. Benedictio Cerei generatim fit a Diacono, etsi reliquae Benedictiones pleraeque omnes fiant a Sacerdote. In Ecclesia solum Ravennatensi Cereum ab ipso Episcopo olim benedici consuevisse colligitur ex D. Gregorii Epist. 28. Lib. 9. Benedici tamen a Diacono Rupertus Abbas ait, ut significetur, non ab Apostolis Corpus Christi, sed a Discipulis aromatibus esse delibutum; eiusque Resurrectionem Sanctis mulieribus prius, quam Apostolis praenunciatam. Vetustissima nos docet Traditio, in more fuisse, incidere in Cereo Paschali Inscriptiones quasdam, vel ipsi affigere Tabulas, quas Paschales, vel Ecclesiasticas appellabant. In his describebantur Epochae graviores: v. g. creationis mundi, Nativitatis Jesu Christi, et erectionis cuiuscumque Ecclesiae. Ad Cancellarium autem spectabat, hanc Tabulam describere. Ipse aliquando Cantor eandem conficiebat. Adnotavit Menardus, solitos fuisse ponere in fronte Tabulae huius Crucem, et in fine duas hasce litteras Graecas Α, et Ω. Porro Christiani utebantur saepe his duabus Litteris, veluti Symbolis Jesu Christi, qui bonorum omnium origo est. Extabant hae tabulae in multis Ecclesiis Remis, Belloraci, Ambiani, atque in non paucis Cisterciensis Ordinis Monasteriis. Dum Cereus benedicitur, interea canitur celebris hym-

nus *Exultet*, quem quidam infirmis ducti rationibus D. Ambrosio, alii multo etiam levioribus argumentis innixi, Petro Diacono Cassinensi tribuunt, qui saeculo vixit duodecimo. Illud porro constat ex minime dubiis argumentis, ante quadrigentos annos illum hymnum cani in Gallia consuevisse, ideoque probabilius est scriptum esse a Divo Augustino, ut ostendit Martene *de antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis*. De veteri Romanorum Pontificum consuetudine benedicendi ceras quasdam, quae *Agnus Dei* appellantur, scripsit Benedictus XIV. Lib. 4. de *Canonizat*. *Sanctorum* part. 2. cap. 20. num. 12. Illud hic adnotare libet, ritum eiusmodi a quibusdam ad morem illum referri, cum Fidelibus particulae quondam cerae e Paschali Cereo benedicto detractae distribuebantur. Durandus Lib. 6. cap. 79. ita testatur: *Hac die Acolythi Romanae Ecclesiae faciunt agnos de cera nova benedicta, vel de cera Cerei Paschalis anni praecedentis admixto Chrismate, qui in Sabbato in Albis in Ecclesiis per Dominum Papam populis distribuuntur*. Vide Meratum, notae in Gavantum; Du Cange, in *Glossario verbo Agnus Dei;* et Baldassarri, *Gli agnus Dei Pontificii.*

V. Cerei Paschalis benedictionem (1) sequuntur Lectiones ad Catechumenorum instructionem olim recitatae, quae tamen antiquitus praecessisse aliquando videntur, uti observat Martene in Libro: *De antiqua Ecclesiae disciplina*. Si pervetustos editos Romanos Ordines inspiciamus, docet nos quidem omnium primus, Capite VII. post Cerei benedictionem dictas fuisse Lectiones non modo latine, verum etiam primo graece. Duodecim numero lectas fuisse in Romana Ecclesia, licet alius in aliis fuerit ritus servatus, teste Beletho in sua Divinorum Officiorum Explicatione, cap. CVI. Certe quatuor Lectiones, et non plures recensent Amalarius Lib. I. cap. XIX. vulgatus Alcuinus, Rupertus Abbas Tuitiensis, Codex Ecclesiae Turonensis, Ordinarium Lugdunense, Missale Are-

(1) Catalano, *Caeremoniale Sanctae Romanae Ecclesiae.* Liber secundus Cap. LVII.

latense, Parisiense, etc. Ritus insuper legendi Lectiones graece, ac latine Romanae Ecclesiae singularis non extitit, nam et in Casinensi Monasterio Lectiones olim in Vigiliis Paschae, et Pentecostes graece, et latine legebantur, uti testatur Leo Marsicanus in *Casinensi Chronico* Lib. I. cap. XXXII. Inter Lectiones Cantica, Tractus, et Orationes, seu Collectae interiiciuntur, quae ad Baptismi Sacramentum respiciunt, cuius administratio erat prima et peculiaris huius diei caeremonia. Lectiones aut in ambone, aut in medio Chori ad Aquilam seu pulpitum, aut alio loco pronuntiabantur; et quidem a dignioribus descendendo ad inferiores. Saltem id communi usu passim receptum fuit, tametsi aliquando, primas lectiones pronunciaverint qui in choro sedebant inferiores. Sed in Ecclesia Romana id praestabant Subdiaconi.

VI. Inter ea, quae sapienter (1) instituta sunt, ut sacro maioris hebdomadae tempore Christianorum pietas, ac Religionis cultus magis excitaretur, Baptismalium Fontium benedictio adnumeratur. Basilius quidem Magnus Caesariensis Episcopus Lib. de *Spiritu Sancto* cap. 27. qui ab Ecclesia condita saeculo quarto doctrina, et sanctitate maxime floruit, hanc consuetudinem ab Apostolis traditam, et in posteros derivatam testatur; quam Deus etiam certissimis signis palam comprobavit, ut in egregiis Commentariis de gloria Martyrum a S. Gregorio Turonensi sexti saeculi Scriptore exaratis luculenter continetur. Gregorius etiam Pontifex ob virtutem, ac sapientiam cognomento Magnus, qui vetustissimi ritus ordinem accurate, diligenterque complectitur in suo Sacramentario ait, dum ad Fontem proceditur, Antiphonam cani interea, *Sicut cervus* ut declaretur, Catechumenos sancto desiderio flagare, ut ad fontem gratiae Baptismum perveniant, non aliter quam cervi sitibundi ad fontem aquarum convolant, suam ut expleant sitim. Quod spectat ad ritus in ipsa benedictione observari solitos, hi praesertim recenseri possunt, Crucis in aquam

(1) Vide Benedictum XIV, *Institutionum Ecclesiasticarum.*

impressio, insufflatio triplex, Cerei in aquam immersio, chrismatis infusio, aquae benedictae distributio. Illa sane fuit semper, eaque laudabilis Ecclesiae consuetudo, ut quidquid benediceret, Crucis consignatione sacraret. Insufflationem praescribunt S. Gregorius in Sacramentario, Missale Ambrosianum, et Mozarabicum. Huiusmodi ritus meminit Severus Alexandrinus Patriarcha in Tractatu de *ritibus Baptismi*. Cerei in aquam immersionem meminit S. Gregorius. Chrismatis infusionem institutam in omnibus reperimus Liturgiis antiquis Romanis, Gallicanis, Ambrosianis, atque Mozarabis. In Crucis figuram aqua dividitur ad quatuor mundi plagas, quo significatur, Baptismatis gratiam in Mundum universum diffundendam; praecepit enim Discipulis suis Jesus, ut terram peragentes omnes docerent gentes, sacroque Batismate abluerent, ut bene notat Mazzinellus in notis ad officium Maioris Hebdomadae pag. 293. In modum itidem Crucis Sacerdos in aquam spiritum suum inhalat, ut cum Cruce Trinitatem conjungat, ut ait Gavantus; Cereum deinde in aquam semel, iterum, et tertio immergit, et inde tollit, ut Spiritus Sanctus sua plenitudine Fontem impleat, sicut quando descendit in specie Columbae in Baptismo Christi adumbrato in hoc Cereo demerso in aquam: elevatio autem eiusdem Cerei significat effectum Baptismi, qui confert gratiam elevantem a peccato ad Gloriam. In aquam praeterea oleum Catechumenorum, et Chrisma infundit, eaque commiscet, ut indicetur conjunctio Christi per Baptismum cum populis Ecclesiae; quae sunt Gavanti verba.

VII. Esse antiquum ritum (1), ut post peractam benedictionem Fontis, et collatum Baptismum, atque Confirmationem Litaniae mane Sabbati Sancti decantarentur; docet nos pervetustus Ordo I. Romanus. Triplex itaque hac die cantabatur Litania, septena, quina, et terna, sic dictae quod primae invocationes singulae septies repete-

(1) Martene, *De antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis.* Caput X.

rentur; secundae quinquies; ter tertiae. Sabbati Sancti Missa caret Introitu, qui cum Introductio quaedam esset ad publicas preces, canereturque interea dum populus conveniret, et ad Altare Sacerdos accederet, ea iam nihil est opus in hac Missa; populus enim iam convocatus cum Sacerdote, et Clero Processioni ad Baptismalem Fontem interfuit, ut videre est apud Meratum. Epistola sumitur ex prima quam scripsit Divus Paulus ad Corinthios, qua recens baptizatos monet, ut resuscitati cum Christo, nulli rei praeter quam caelestibus studeant. Lecta Epistola, Sacerdos canit *Alleluia*, quae a Septuagesima usque ad Pascha omittitur, propterea quod tempus illud poenitentiae, moerori, et luctui addictum est. Evangelium ex primo Evangelistarum Matthaeo desumptum, Resurrectionis historiam continet; nec ad Evangelium afferuntur lumina; cum enim nondum se Christus reviviscens conspicuum praebuisset, Fides idcirco adhuc erat obscura, iuxta Alcuinum. Insuper non osculum Pacis in hac Missa, non *Agnus Dei*, non Postcommunio. Gavantus ait, idcirco non dari osculum pacis, quod nondum Apostolis Christus apparuerat, nec dixerat *Pax vobis*. Praetermittitur *Agnus Dei*: quia haec nova est adiectio; sunt verba Merati, qui etiam addit ideo Postcommunionem omitti, quod in earum locum suffectae sint Vesperae, quas verius appellari posse ait Gratiarum actionem, quam Officium Vesperarum. Ad hanc Missam novi Baptizati communicabant post Sacerdotem et Clerum, et deinceps totus populus, hoc tamen discrimine, quod Romae in Calicem Sanguinis Jesu Christi, quem bibituri erant, infundebatur lac et mel, dabaturque Neophytis, ut eos tamquam infantes designarent lacte et melle nutriendos: *Quasi modo geniti infantes sine dolo lac concupiscite*. Cum vero ut infantes sugentes ubera eos considerabant, non dabatur illis Christi Corpus, sed Sanguis tantum, qui cum cochleari sumptus e Calice in eorum os infundebatur, deinde porrigebatur illis lac et mel ordinarium. Lac istud et mel benedicebantur Romae in fine Canonis; quae benedictio exstat in Ordine Romano, et in Missa Ratoldi. Ex

tanta sacrorum rituum diversitate et prolixitate Sabbati Sancti factum est olim, ut in Romana Ecclesia vesperae post Missam praetermitterentur, cum iis persolvendis non superesset satis temporis.

Caput XIII.

De Paschate.

I. Hebraica vox est *Pascha*, quae *transitum* significat. Praecepit Deus Hebraeo populo, ut hoc Festum celebraret, et memoriam maximi beneficii recoleret, cum ex Aegyptiorum servitute fuit ereptus. Cum autem hac die Resurrectionis Christi memoria celebretur, propterea huic diei *Paschae* nomen est inditum. Etenim a morte Christus ad vitam rediens, triumphansque de Diabolo, hominibus ab eius servitute, et aeterna morte liberatis, vitae aeternae nobis aditum, devicta morte, reseravit, ut in huius diei Oratione loquitur Sancta Ecclesia. Quidam putant, vocem *Pascha* ductam a graeco verbo πάσχω, idest *patior*. At communis opinio tenet *Pascha* nomen esse hebraicum, et *transitum*, ut diximus significare. Quae (1) cum ita sint, plurimi semper festus hic dies ceteris quibusque praestantior, est habitus, cuius etiam ea fuit praerogativa, ut, teste S. Augustino in *Epistola LIV.* primam sui originem acceptam Apostolis ipsis referat, unde et festivitas festivitatum, et solemnitas solemnitatum a S. Gregorio Nanzianzeno merito nuncupatur. Eadem docent et alii Patres, inter quos S. Leo Magnus Pontifex Maximus Sermone X. *De Quadragesima*, et alibi, diserte ait: *inter omnes dies, quos multis modis honorabiles habet Christiana devotio, nullum esse excellentiorem Festivitate Paschali.* Et S. Gregorius Magnus in Homilia XXII. in Evangelia, Paschalem ipsam celebritatem vocat *ceterarum principem, et praestantissimam*. Hanc Festivita-

(1) Thomassinus, *De dierum Festorum celebratione.* Liber secundus cap. XV. et seqq.

tem ut maiori cum veneratione celebraret Ecclesia, totos septem et integros dies solemnitati illius antiquitus consecravit, uti constat ex pluribus Synodis. Breve per hos dies usque ad Dominicam Officium recitatur, cui unum tantummodo nocturnum est, idque brevissimum. Cuius brevitatis ratio historica, et naturalis ea est, quod cum Christiani ad multam noctem in Officio et Missa Sabbati Sancti detenti fuissent, et rursus, paullum refectis viribus, ad Officia Divina redirent, nocte iam vergente in diem, pluribus recitandis Nocturnis spatium non suppetebat. Propterea unum dumtaxat satis esse oportuit; isque mos tota hebdomada retinebatur.

II. Introeuntes in Ecclesiam, ut ex vulgato Romano Ordine didicimus, sese invicem osculabantur, dicentes, *Surrexit Dominus de Sepulchro.* Atque hic fuit ritus Ecclesiae Romanae, et aliarum plurium, ut pacis nempe osculum mane Paschatis porrigeretur. Post matutinum pergere olim consuevit Romae Pontifex ad Ecclesiam S. Laurentii, ad adorandam antiquissimam Sanctissimi Salvatoris imaginem. Porro mos etiam fuit aliquarum Ecclesiarum, ut ante Nocturnum Officium solemnis ageretur Sanctissimi Sacramenti adoratio. In plerisque etiam Ecclesiis, ut notat Grancolas in *Commentario ad Breviarium Romanum*, Lib. II. cap. LXXII. post Matutinum fiebat Officium de Sepulchro, illudque peragebatur in multis Galliae Ecclesiis. Duas in variis Ecclesiis consuevisse hac die celebrari Missas, unam scilicet de Festo Resurrectionis, alteram pro baptizatis, notat inter alios Grancolas. In Missa dicitur sequentia *Victimae Paschali,* cuius iure Gavantus ait non satis nobis esse cognitum quis fuerit Auctor: et sane Bellotte in *Observationibus* pag. 417. eam Beato Hermanno Contracto; Herrera vero apud Card. Bonam *Rerum Liturgicarum* Lib. 2. cap. 6. num. 6. Orgero Abbati S. Galli tribuit. Pervetusta est in Ecclesia generalis Communio hac die in Missa, eiusque meminit Gregorius Turonensis in Libro: de Miraculis S. Martini, cap. XIII. ubi ait consuevisse tunc invitari populos hac Antiphona, quae cum gravi, et sua-

vi melodia cantabatur: *Venite, populi, ad sacrum, et immortale mysterium et libamen agendum. Cum timore, et fide accedamus manibus mundis, quoniam propter nos Agnus Dei Patri Sacrificium propositum est.*

III. Antiquus est plane ritus, ut Summus Romanus Pontifex hac die, finita solemni Pontificali Missa, coronaretur. Nulla publica spectacula, durante Paschatis solemnitate permissa; neque ullae actiones iuridicae; iis tantummodo exceptis, quae diebus etiam dominicis permittebantur.

Caput XIV.

De Rogationibus, et festo Ascensionis.

I. Rogationes, seu triduanas (1) supplicationes ante Ascensionem, instituit S. Mamertus Episcopus Viennensis in Gallia, ut scriptis prodiderunt, Alcimus Avitus, *Homilia de Rogationibus;* Sidonius Apollinaris, *Epistola* 14. Lib. 5. et Lib. 7.; Gregorius Turonensis, Lib. 2. *Historia Francorum;* Aimonius, Lib. 2. *de gestis Francorum*, cap. 20.; Ado Viennensis, et Sigebertus, in *suis Chronicis;* Notgerus, *in vita S. Remacli*, Lib. 2. cap. 15. Ordo Romanus, Alcuinus, Amalarius, Valafridus, Micrologus, Rupertus et caeteri. Cum, Vienna Allobrogum terrae motibus, incendiis, aliisque publicis calamitatibus desolata esset, ac incendio potissimum, quo nocte Paschatis an. 469. palatium deflagravit, S. Mamertus tum Urbis Episcopus, Dei iram fervidis precibus placare satagens, ad hoc elegit tres dies, qui praecedunt Ascensionem. Sanctum hunc morem statim ferme Episcopi Galliae amplexati sunt. Ecclesia Romana ceterarum omnium mater, ut alias aliarum nationum omittam Ecclesias, sero eam iustitutionem amplexa est, et quidem non ante Pontificatum Leonis Papae III. qui, ut testatur in eius vita Anastasius, et Ordericus Vitalis Lib. II. *Historiae*,

(1) Eveillon, *De processionibus.* Caput XIII.

constituit ut ante tres dies Ascensionis Dominicae Litaniae celebrarentur; quamquam Jacobus de Vitriaco *Sermone in Feria II. Rogationum*, id Liberio Papae tribuat. Tardius etiam in Hispania receptas fuisse huiusmodi supplicationes, colligi facile potest ex Libris S. Isidori, de *divinis Officiis;* in quibus nullam earum fieri mentionem, observat Martene in opere: de *Antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis Officiis*. In Mediolanensi non ante Ascensionem, sed sequenti hebdomada recoluntur.

II. Finis triduanae huius supplicationis est, ut scilicet operibus poenitentiae et precibus assiduis propitietur Deus peccatis Fidelium, et irae suae flagella ab eis amoveat, aeris, et corporum salubritatem, ac frugum ubertatem det, omnibusque Populi Christiani necessitatibus benigne prospiciat, quemadmodum docet vetus Ordo Romanus apud Hittorpium, itemque Amalarius, Lib. I. cap. XXXVII.: Honorius Augustodunensis in *Gemma Animae*, Lib. III. Ob eamdem poenitentiae causam triduo Rogationum omnibus quibus per aetatem, aut valetudinem liceret, impositum fuisse ieiunium, constat plane ex Canone XXVII. Concilii I. Aurelianensis, cui addi possunt alia complura Conciliorum, et Patrum testimonia. Et quidem in comperto est servatum fere ubique locorum fuisse istud ieiunium in illa prima Rogationum institutione. Sed sequioribus saeculis ieiunii quadragesimalis observatio his diebus relaxata fuit, et solum retenta abstinentia a carnibus ad aliquam poenitentiae speciem. Festivos primitus tres istos dies Rogationum fuisse, liquet ex Concilio I. Aurelianensi. Romae nunquam dies istos fuisse festivos, tradit Grancolas in *Commentario Historico ad Breviarium Romanum*, Lib. II. cap. LXXIV. Quod autem poenitentiae demonstrandae causa, et ad avertenda irae Dei flagella, Rogationes institutae sunt, hinc solemnis ante processionem olim cineris benedictio, ac super singulorum fidelium capita impositio non secus, ac in Capite Quadragesimalis jeiunii adhibita fuit, testisque huius ritus est pervetustus Codex Salisburgensis. Ritum quoque antiquum fuisse, ut in Supplicatione, seu Processione Ro-

gationum omnes, ipsi etiam laici et saeculares viri, ac mulieres cinere non modo conspersi, et cilicio induti, verum etiam discalceati incederent, constat non solum ex antiquo Romano Ordine apud Hittorpium, sed etiam ex Canone XXXIII. Concilii Moguntini.

III. Deferri consuevisse in hac Rogationum Processione Sanctorum Reliquias, ex variis antiquis Synodis liquet, hinc ritus ille passim obtinuit in Ecclesiis Cathedralibus, ut Processiones ipsae incipiantur ab Antiphona, *Surgite Sancti*. Plerisque in locis pia consuetudo invaluit flores, et herbas suaveolentes in via spargendi adveniente processione, de qua Baptista Mantuanus celebris Poeta mentionem facit Lib. IV. *Fastorum*. Ex Ritualibus pene omnibus antiquis recentioribusque ritus ille probatur, ut nimirum in Rogationum Processionibus, plures ad varias Ecclesias stationes fiant, testaturque id ipsum inter alios Martene in Libro: *De antiqua Ecclesiae Disciplina in divinis celebrandis officiis*, cap. XXVII. num. VIII. et sequenti; in iisque Stationibus, inquit, aut diurnum consuevisse persolvi Officium, aut Missam celebrari, aut pias aliquas preces ad devotos animi affectus excitandos accomodatas decantari. Teste Durando, Libro VI. *Rationalis Divinorum Officiorum*, cap. CII. num. 9. in quibusdam locis fit Litania per campos, ut etiam e segetibus daemones expellantur, vel potius ut a Domino conserventur. Praeter consuetas preces, in plerisque Italiae locis Evangelia etiam tum intra, tum extra Civitatem recitari solent, illa scilicet ipsa, quae in Missis Rogationum pronuntiantur.

IV. Ascensionis Domini celebritas ab Apostolis repetenda est, ut affirmat S. Augustinus *Epistola CXVIII*. Agunt et de ipso Festo prisci Patres cum Latini; tum Graeci, quos recenset Grancolas in *Commentario ad Breviarium Romanum* Lib. II. cap. LXXV. itemque variae antiquae Synodi, quarum meminit eruditus Martene in suo opere: *De antiqua Ecclesiae disciplina* etc. Cap. XXXVIII. In Ecclesia Romana solemni profecto ritu celebrari consuevit ipsa Domini Ascensio, sicut solemniores anni Fe-

stivitates. Huius diei Officium fere semper ubique idem fuit ac hodie est; Alcuinus collectam citat, quae a nobis dicitur *Concede, ut qui Unigenitum ad Coelos ascendisse* etc. In nonnullis Ordinariis magna cum solemnitate dicitur Nona, quia ea hora creditur Christus in coelum ascendisse. Testatur Durandus in *Rationali Divinorum Officiorum* Lib. 4. cap. 6. primis Ecclesiae temporibus in memoriam Ascensionis Domini Processionem qualibet hebdomada fieri solitam quinta Feria, quae Festorum numero in honorem Sanctorum aucto, sublata est. In huius diei Missa mos erat benedicendi panem, novosque fructus: quarum benedictionum formulas vide apud Martene *de antiqua Ecclesiae disciplina* cap. XXVIII pag. 527. Micrologus cap. 55. ieiunium commemorat in Pervigilia Ascensionis. Nunc autem Pervigilium sine ieiunio celebratur, propter paschale tempus, ut bene advertit Gavantus sect. 6. Extinguitur autem Cereus die Ascensionis post Evangelium, ut Jesu Christi discessus ab Apostolis significetur. Vide Macrum in *Hierolexico* verbo *Cereus Paschalis*, et Meratum part. 2. tom. 1. in notis ad Gavantum.

Caput XV.

De vigilia et festo Pentecostes.

I. Pentecosten cum Paschate siquis comparet, horum Festorum inveniet non dissimilem fuisse Vigiliam, ieiunabatur enim Sabbato, vigilabatur, et orabatur tota nocte in Ecclesia. Essetne ieiunium liberum, vel ex devotione institutum, an esse tantum pro Catechumenis, et pro iis qui nocte baptizandi erant, non tam facile iudicari potest inquit Grancolas. Sed ex consuetudine praeceptum esse ieiunium in pervigilio Pentecostes docet Gavantus tit. *De die Sancto Paschae.* In Ecclesia Romana, et in aliis fere omnibus coeptum est Officium a Lectionibus, quae pro Catechumenorum instructione pronunciabantur; idque hora octava, ut innuere videtur vulgatus Ordo Romanus apud Hitterpium, cui concinit Joannes

Abrincensis. In Africa tamen sub vesperam ad Ecclesiam conveniebat populus, adeo ut Missa ipsa nocte incoepta celebraretur, ut colligere licet ex S. Augustini Sermone CCLXXII. Nec solum in Africa, sed in aliis etiam Regionibus id factum est. Nam Menardus in *Notis ad Sacramentarium S. Gregorii* observat, Missam olim in ipsa nocte, quae lucescit in Dominica, celebratam fuisse. Lectionum numerus pro Ecclesiarum diversitate variat. In Lugdunensi Ordinario duae tantummodo adnotantur. Tres in Missali Ambrosiano apud Pamelium designantur, totidemque in Missali Bituricensi. In Missali tamen Ambrosiano quatuor leguntur lectiones, qui numerus passim receptus est; nam praescribitur in Sacramentario Gelasiano, et Gregoriano. Lectiones, ut in vigilia Paschae, sequebantur tres Litaniae, iisque expeditis, fiebat benedictio Fontis, tum Baptismus administrabatur. Missa inchoatur sine Introitu, quia totum simul conjunctum est. Temporibus, a quibus haud longe distat nostra aetas, in aliquibus Ecclesiis fieri consuevit benedictio Cerei, cujus formulam edidit Martene de *antiqua Ecclesiae Disciplina in divinis celebrandis officiis* cap. XXVIII.

II. Nomen Pentecostes duplici sensu apud veteres accipitur; nimirum tum pro integro quinquaginta dierum intervallo inter Pascha, et Pentecosten; tum pro peculiari descensus Spiritus Sancti super Apostolos Festivitate. Vox Pentecostes sensu strictiori accepta quinquaginta paschalium dierum postremum designat, quo Spiritus Sancti super Apostolos descensus commemoratur: unde et ἡμέρα πνεύματος *dies Spiritus Sancti* dicta est: uti in Gregorio Nazianzeno, aliisque reperimus. Nomen Pentecostes ab Judaeis primum est usurpatum, quippe qui et ipsi quinquagesimum post Pascha diem tum propter memoriam datae ipsis de monte Sinai legis, tum propter fructuum collectionem solemniter ducebant. Quoad vetustatem Festi admonendum restat, quod sine ulla dubitatione ab Apostolis est profectum. Quanta autem sit Festi huius solemnitas, ex verbis Leonis Magni ostenditur. Serm. 73. *de Pentecoste* cap. 2. *Hodiernam solemni-*

tatem, dilectissimi, in praecipuis Festis esse venerandam, omnium Catholicorum corda cognoscunt. Nec dubium est, quanta huic diei reverentia debeatur, quem Spiritus Sanctus excellentissimo sui muneris miraculo consecravit. In Missa Pentecostes, lecta Epistola, dum caneretur hymnus, *Veni Sancte Spiritus*, tubarum sonitu Ecclesia perstrepebat, ad illum sonum significandum, qui advenientem Spiritum Sanctum praecessit; e tecto etiam flammae ignis demittebantur, ac in tota Ecclesia Columbae volitabant, ac rosae passim spargebantur, ut testatur Durandus Lib. 6. cap. 107. Nullo alio mysterio breviabatur nocturnum Officium, nisi propter temporis exiguitatem, quod remanebat ex noctis vigilia, quae in baptizandis Catechumenis insumebatur, neque incongruum visum est hanc officii abbreviationem per totam hebdomadam continuare in honorem festi, cuius hebdomada continuatio erat solemnitatis.

Caput XVI.

De festo Sanctissimae Trinitatis, et Corporis Christi.

I. Quamvis festus Trinitatis dies paucis ab hinc saeculis in Ecclesiam introductus fuerit, nihilominus si rem ipsam attente consideremus caeteris Festis vetustate antecellit. Nam omnis Religiosi cultus Trinitatem obiectum, et finem esse praecipuum, nemo in dubium revocare potest. Ab undecimo saeculo celebrabatur haec Festivitas in quibusdam Ecclesiis, teste Micrologo cap. 60. At Joannes XXII. qui obiit anno 1334. primus decrevit, ut prima post Pentecostem Dominica ab universali celebraretur Ecclesia. In id consentiunt Martene, *de antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis*, cap. 28.; Thomassinus, *de Festorum celebratione* cap. 18. lib. 2. num. 13.; Ciaconius, *in vita Joannis XXII.*; Gavantus, et Meratus in notis ad Gavantum tom. 1. sect. 2.; Gonzalez, in cap. *Quoniam de Feriis* num. 8. *in fine*; Herrera, *de Origine Divinorum Officiorum* Lib. 2. cap. 52.; Pa-

gius, *in Breviario Romanorum Pontificum* tom. 4. in vita Joannis XXII. n. 86. Eiusmodi cultus, uti observat Suarez *de Religione* Lib. cap. 4. additus est ad maiorem reverentiam SS. Trinitatis, et ut expressa memoria tam in Officio proprio, quam in concionibus illius Mysterii fieret. Antequam Romae institueretur Festum SS. Trinitatis, nullum erat Officium in hac Dominica, quae appellabatur *Dominica vacans*, propterea quod officium factum fuerat nocte praecedenti, Ordinationis tempore, et protrahebatur hoc officium usque ad primam lucem Dominicae. Huius Missae Praefatio Pelagio Papae II. adscribitur, sed non erat dicenda ad Missam, erat enim expositio Catholicae Fidei contra Haereticos, quam abjurantes haeresim, et Ecclesiam ingredientes profiteri jubebantur. Ferunt, Alcuinum hortatu S. Bonifacii Moguntini Missam de Trinitate composuisse, sed eius Auctor Alcuinus profecto non est, ut iam doctiores agnoscunt.

II. Ab Apostolicis usque temporibus Feria quinta in Coena Domini Sanctissimae Eucharistiae institutionem veneratur Ecclesia. Sed cum eo die in Passione et morte Jesu Christi recolendis sancta versatur Ecclesia et in plurimis caeremoniis occupata est, optimum factu, et Deo gratum fore visum est, si peculiaris quaedam institueretur Festivitas cum laetitiae et gaudii declarationibus celebranda, cui Feria quinta post primam Dominicam Pentecostes destinaretur. Festum Sacratissimi Corporis Christi primam sui originem debet Leodiensibus, qui ante omnes Ecclesias illud receperunt, hortante praesertim Beata Virgine Juliana, Montis Cornelii apud Leodium sanctimoniali, et promovente Roberto, eiusdem civitatis Episcopo. Ut autem firmior et inconcussa praefata institutio per futura saecula permaneret; Stephanus Canonicus Leodiensis una cum Maria sorore sua non infimam bonorum suorum partem Ecclesiae S. Martini contulit, quo in perpetuum solemni ritu in ea celebraretur. Sed tandem Jacobus de Trevis Ecclesiae Leodiensis Archidiaconus electus Summus Pontifex dictusque Urbanus IV. Festum Corporis Christi per universam Ecclesiam cele-

brari mandavit, data Bulla Septembris die octavo anni 1262. quam postmodum Clemens Papa V. confirmavit in Concilio Viennensi. Cuius executionem Joannes XXII. qui anno 1316. Clementi V. successit, omni studio curavit, ad eamque rem Martinus V. et Eugenius IV. novis Indulgentiis tribuendis plurimum contulerunt, ut tandem in tota Ecclesia Festivitas celebraretur. Quamobrem Sancta Tridentina Synodus sess. 13. cap. 15. eam solemnitatem Triumphum de haeresi appellat, et in eos, qui eam improbare audeant, anathema pronunciat Can. 6.

III. Nihil propemodum Novatoribus invisius est, quam Festum Corporis Christi, et Processio hoc die, frequentissimo omnium concursu, comitatu et apparatu peragi solita. Nam in Sacris Paginis proditum est, iussu Dei Arcam Domini ab Israelitis per plura loca, quanta maxima fieri poterat celebritate, circumferri consuevisse. Quanto igitur potiori ratione id fit, cum sub illis Speciebus Servator noster Christus Jesus contineatur? Vide Hermenier *Tractatu de Sacramentis tom. 2. de Eucharistia* cap. 25. De Auctore Officii SS. Sacramenti consentiunt omnes viri eruditi, verum et germanum illius parentem esse S. Thomam Aquinatem, nec minimum dubitandi scrupulum relinquit erudita R. P. Natalis Alexandri dissertatio, qua illud vindicat Angelico Doctori, qui illud iubente Urbano IV. Summo Pontifice, composuit tanta pietate, tantaque divini Spiritus unctione refertum, ut illud mox omnes Ecclesiae sibi decantandum persolvendumque ultro susceperint. Officium istud maximis Divum Thomam laudibus cumulavit. A Breviario Parisiensi appellatur *admirandum officium*. Urbanus IV. ieiunandam vigiliam Corporis Christi praeceperat, atque hoc jeiunium praescriptum cernitur in Concilio Senonensi Can. 1.

IV. Quamquam de solemni huius diei Processione ne minimum quidem verbum reperiatur in celebri Urbani IV. Pontificis Bulla, qua Sacratissimi Corporis Christi Festivitatem instituit, sunt tamen non pauci Auctores, qui cum ipsa Festivitate institutam illam fuisse affirmant,

acriterque pro hac sententia pugnat inter alios Jacobus Eveillon in Libro: de *Processionibus Ecclesiasticis*, cap. XXV. Quicquid sit de hac controversia, certe illud constat ex antiquis Ritualibus, et Conciliis illius aevi, diu post Festi institutionem institutam fuisse Processionem. In quibusdam Ecclesiis gestata fuit Eucharistia in processione in translucidis Ostensoriis, et in vasculis apertis, in quibusdam vero clausa in Calice; rursus in Ecclesiis nonnullis manu Sacerdotis deferri consuevit, in nonnullis vero a duobus Presbyteris super humeris in vase gestatorio.

Caput XVII.

De festo Inventionis s. Crucis, Transfigurationis Domini, et Exaltationis s. Crucis.

I. Vetustissimam hanc esse Festivitatem ait Micrologus, eamque docet a S. Eusebio institutam, in observationibus Ecclesiasticis cap. 55. Continuatores Bollandiani existimant, postquam Helena Romam Crucis partem vel misit, vel e Palaestina rediens ipsa secum tulit, et in Basilica S. Crucis in Hierusalem collocavit, in hac primum Ecclesia Festivitatem Inventionis S. Crucis celebrari coepisse, atque inde a Summis Pontificibus in alias Romae Ecclesias invectam esse, unde tandem ad universalem Ecclesiam permeaverit. Sane de ea mentio fit (1) in Sacramentario, et Antiphonario S. Gregorii. Codex Sacramentorum Gelasianus pag. 151 hac die Missam habet: *De Inventione Sanctae Crucis*. Item Missale Gothicum, ac Sacramentarium Gallicanum saeculo septimo scriptum, apud Mabillonium *Musei italici* tom. 1. p. 11. pag. 33. In nullo ferme ex veteribus Martyrologiis Inventionis Sanctae Crucis celebritas hac die desideratur. Crucis Dominicae inventio, quam Helenae Constantini Magni matri Hierosolymis obtigisse testantur

(1) Georgi, *Martyrologium Adonis*.

Rufinus Aquileiensis, Lib. 1. *Additamenta ad historiam Eusebii* cap. 7. et 8.; Theodoretus Episcopus Cyri, *Historia Ecclesiastica* Lib. 1. cap. 18.; S. Ambrosius, in *Oratione de obitu Theodosii senioris Augu.* Tom. V. Opp. Lutetiae Parisiorum 1661. pag. 123.; S. Paulinus Nolanus, *Epist. XXXI. ad Severum*; Socrates, *Historia Ecclesiastica* Lib. 1. cap. 17.; Sozomenus, *Historia Ecclesiastica* Lib. 11. cap. 1.; Sulpicius Severus, *Historia sacra* Lib. 11. cap. 34. et alii; haud maioribus eget argumentis, quibus credibilior, ac certior fiat, cum tot, tantorumque virorum fulciatur testimoniis. Quod autem quaerunt, quid in Sanctissimae Crucis inventione reperiatur hac Festivitate dignum; respondemus inventionem Crucis non esse huius Festivitatis fundamentum, sed Festivitatis instituendae occasionem praebuisse. Etenim sola Crux propter Christum, qui ei est affixus, ponitur veluti fundamentum huic Solemnitati. Christus enim obiectum est Religionis nostrae praecipuum, et Crux tamquam nostrae Redemptionis instrumentum colitur. Et sane magno Dei beneficio Crux, qua Christus humanum genus redemit, tamdiu incorrupta delituit; cumque temporis opportunitas ut eam veneraremur postulabat, eiusdem Dei insigni beneficio reperta est (1).

II. Postridie Nonas Augusti Transfiguratio Christi Domini celebratur. Institutam eam a Callisto III. vulgus existimat, in nobilissimae victoriae memoriam, qua Rex Huniades Turcarum delevit exercitum. Complura Galesinius affert in Martyrologio argumenta quibus hanc Festivitatem Callisto III. antiquiorem probet. Callisto tamquam auctori Officium huius diei tribuit Platina in eius vita; idem habetur in vita eius Pontificis tom. 13. Concil. *Collect. Labbeanae* pag. 1391. Baronius in *Notis ad Martyrologium* die sexta Augusti, vetustiorem ait esse hanc Solemnitatem Callisto, qui tamen officium de ea recitari iusserit: Suarez tom. 1. de *Religione* Lib. 2. cap. 5. num. 14. putat Callistum hunc Festum diem, de

(1) Vide Greiserum, *De Cruce*, et Borgia, *De Cruce Vaticana*.

quo tantum Officium recitaretur, ex praecepto celebrari iussisse. Et Bailletus existimat, Callistum ad universalem Ecclesiam hanc extendisse solemnitatem. Certum illud est, ante Callistum in aliquibus Ecclesiis Transfigurationis Festum celebrari consuevisse, et quidem solemniter, colligitur ex iis, quae congerunt Thomassinus, de *Dierum Festorum celebratione* Lib. 2. cap. 14. num. 19; et Martene, de *antiqua Ecclesiae disciplina*. Postremo dicimus, Callistum ad divinam opem adversus Turcas implorandam, qui Christianam Rempublicam divexabant, peculiarem Transfigurationis Festivitatem die sexta Augusti in universa Catholica Ecclesia celebrari, Officiumque recitari iussisse, ut ex ipsa Callisti Bulla perspicuum est. Transfigurationis porro solemnitas non solum apud Latinos celebris extitit, sed etiam apud Graecos, utpote cuius mentionem facit eorum Menologium.

III. De Exaltationis S. Crucis Festi origine disquiritur ab eruditis. Sunt qui Heraclii tempore statutam esse tenent. Hos inter princeps Baronius in Notationibus ad Martyrologium hac die censet, a Graecis longe ante Heraclii tempora Sanctae Crucis Exaltationem peractam fuisse, quando Constantino imperante, Crux apparuit, non quando per Heraclium, devicto Cosrhoe, restituta est. Latinos quoque ante Heraclii tempora Exaltationis Sanctae Crucis diem coluisse putat, ex Sacramentario Gregoriano. In eamdem sententiam descendit Pagius in Critica ad an. 626. n. V. et ad an. 628. num. III. Jam dudum quoque Florentinius in Baronii sententiam propendet, et Benedictus XIV. Pontifex Maximus in opere de *Festis*, ubi plures ex recentioribus laudat. Et sane nemo inficiari possit, multo ante Heraclium Exaltationis Sanctae Crucis solemnitatem ab Ecclesia esse celebratam. In Graecorum Menologio apud Canisium tom. 2. Lect. Antiquar. ad diem 14. Septembr. haec habentur: *Exaltatio pretiosae et vivificae Crucis sub Imperatore Constantino Magno.* Huius Festivitatis meminit etiam, qui paullo post Constantinum vixit, Divus Chrysostomus *Homil. 51.* tom. 1. quam habuit quarto nonas Octobris. *Nondum elapsi*

sunt dies, inquit, *viginti ex quo memoriam Crucis celebravimus, et ecce Martyrum memoriam celebramus*. Ex his apparet monumentis in Orientali Ecclesia multo ante Heraclii tempora Exaltationem S. Crucis in memoriam eorum, quae Constantino contigerunt, esse celebratam. Idem observavit Sollerius ad Martyrologium Usuardi. Videantur Menardus, in *Notis ad Sacramentarium S. Gregorii* pag. 179.; Florentinius, *ad suum Martyrologium;* et Martene, cap. 34. n. 18. Idem de *Occidentali Ecclesia* testatur Thomassinus Lib. 2. cap. 24. Exaltationem nempe Crucis tam a Latina, quam a Graeca Ecclesia multo ante Heraclium Imperatorem cultam fuisse, quod conspicienda se praebuerit Constantino. Atque ut in compendium rem omnem conferamus, in utraque Orientis et Occidentis Ecclesia multo ante Heraclium Exaltatio Sanctae Crucis celebrabatur, quae sub Heraclio facta est illustrior. Antiquus quippe in Ecclesia usus viguit, ut ipso Exaltationi S. Crucis die sacro, debita veneratio et adoratio non secus ac feria sexta parasceves Cruci adhiberetur.

Caput XVIII.

De tempore Adventus.

I. Ex recepto Ecclesiae more Adventus est tempus ante Natalis Christi Domini Festum, designatum ut Fidelium animi per pietatis exercitationes praeparentur ad rite celebrandum propitiumque sibi reddendum Jesu Christi Adventum. Olim enim, uti notavit Grancolas in *Breviarium Romanum*, *Lib. II. cap. IV.* Adventus vox pro ipsa Natali die accipiebatur. Quoad originem Adventus spectat, Durandus quidem Lib. VI. *Rationali Divinorum Officiorum*, cap. II. aliique nonnulli contendunt, Apostolorum principem S. Petrum Adventus institutorem fuisse. Licet autem affirmare non possimus, quando primum celebrari caeperit tempus, atque officium Adventus, nemo tamen inficiari poterit, quin a quinto us-

que saeculo populis commendatum fuerit, ut se ad Natalis Domini Festum pararent. Extant de hoc argumento Sermones duo S. Maximi Taurinensis Episcopi, quibus tempus istud designatur pro disponendis animis ad Jesu Christi Natale. Praeter Conciones tempore Adventus haberi solitas, iam et alia pietatis opera peragebantur, visumque illud tempus fuit olim quaedam Natalis Domini Quadragesima. Insuper non unum erat Adventus initium, quum a quibusdam duceretur a S. Martini Festo, a quibusdam vero Kalendis Decembris. Romae antiquus mos fuit ieiunandi in Adventu, testemque eius rei habemus Nicolaum I. Pontificem Maximum, qui in celebri sua ad Bulgarorum Consulta Epistola, tradens eisdem recens in Ecclesiam cooptatis leges moresque Catholicae Ecclesiae, cap. IV. quatuor Quadragesimarum meminit, quarum una Adventus fuit vetustissima in Ecclesia Romana.

II. Juxta veterem Ecclesiae Romanae disciplinam, quinque erant Dominicae Adventus, ut in Sacramentario S. Gregorii Papae I. atque in veteribus Lectionariis adnotatum est. At vero licet in nonnullis Ecclesiis, sex, et in aliquibus quinque celebrarentur Dominicae Adventus, contractum iam fuit postea hoc tempus ad quatuor hebdomadas, uti docet Grancolas in *Commentario ad Breviarium Romanum, Lib. II. cap. IV.* Quidquid sit, non desunt antiqui Scriptores, qui tantum quatuor Dominicarum Adventus meminere, easque Romanus Ordo XI. memorat, atque etiam Libri Missales, et varii antiqui Auctores consentiunt, inter quos Berno Augiensis. In Sacrificiis et Officiis divinis Adventus Domini quadragesimae rationem olim habebat. Hinc omnia laetitiae cantica suppressa, vestes sacrae quae exultationem et gaudium redolent, depositae, color in iis qui luctum et moerorem repraesentet assumptus. Eadem ratione prosae seu sequentiae, quas in signum laetitiae ante Evangelium decantari usus obtinuit, toto Adventus tempore reticebantur. Ad maiorem etiam tristitiae demonstrationem nonnullae Ecclesiae in Adventu colorem nigrum in sa-

cris vestibus usurpabant. Quidam etiam haud secus ac in Quadragesima imagines et capsas velabant, atque is ritus peculiaris fuisse videtur Canonicorum Regularium, reperiturque praescriptus in antiquis consuetudinibus S. Rufi.

Caput XIX.

De vigilia et festo Nativitatis Domini.

I. Pia aeque, ac vetus est illa Ecclesiae consuetudo, ut praecipuas Solemnitates, Sanctorumque Festivitates vigiliis, ac ieiuniis praeveniat. Inter praecipuas vero celebritates, quas maiores nostri tum in Oriente tum in Occidenti ieiunio, ac Vigilia praevenire consueverunt, primum fere semper locum obtinuit Nativitatis Domini nostri Jesu Christi. Perducebant vero ieiunium ad horam usque Vesperarum; celebratoque Officio, quisque domum suam abibat, ubi sumpto cibo, aliquanto tempore quiescebant, atque inde in Ecclesiam ad Officium reliquo noctis tempore cantandum, redibant. Circa Officium huius vigiliae varia lectu digna notant Grancolas, in *Breviarium Romanum*, cap. XIII; et Martenius, de *antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis*, cap. XI. ut omittam Durandum, aliosque vetustiores Scriptores, qui et de Officio huius diei scripsere. Solemnis Martyrologii lectio, quae ad Primam fit, atque mos genua flectendi, dum Jesu Christi ortus annuntiatur in Concordia Regularum S. Dunstani occurrit. Mos erat maiorum solemnitatum Martyrologium legere in Capitulo, atque humi se sternere, dum illae annuntiabantur. In nonnullis Ecclesiis Archidiaconus cappa serica indutus pulpitum ascendebat cum pompa, incenso, et luminibus, ad Jesu Christi Nativitatem annuntiandam, atque interea maior campana pulsabatur. In quibusdam Ecclesiis generalis absolutio ante Missam dabatur, quemadmodum fiebat feria quinta maioris hebdomadae, cum poenitentes reconciliabantur. Plures olim dictas fuisse in hac Missa Prophetias, non

obscure innuit Ordinarium Cabilonense. Et Martenius addit, in quibusdam antiquis Missalibus Ecclesiae Gallicanae in ipsa vigilia Nativitatis Christi, ante Epistolam praemitti unicam prophetiam. Apud Monachos duplex fuit in Vigilia Nativitatis Domini Missa, matutinalis et maior.

II. Ritus, quibus olim Officium nocturnum Nativitatis celebrabatur, varii pro regionum pietate fuere, longumque esset eos recensere. Juxta antiquum morem, quem hodieque observant variae Ecclesiae, media nocte incipiebat Officium, ob illam scilicet opinionem, quam alias docti viri tuentur, Christum scilicet media nocte ex intemeratae Virginis utero prodiisse in lucem. Observat Durandus in *suo Rationali* Lib. IV. cap. XIII. ubi enarrat Officium Natalis Domini, suo aevo, idest saeculo XIII quo ipse floruit, in quibusdam locis ante Nocturnos praeparari, ac poni super altare consuevisse tres pannos, et in singulis Nocturnis amoveri: Primus, inquit, niger pro tempore ante Legem; secundus albus pro tempore revelationis; tertius rubeus pro tempore gratiae propter dilectionem sponsae candidae, et rubicundae. Eiusdem moris iam ante Durandum meminit in sua Divinorum Officiorum Explicatione Beletus, cap. LXIX. Alio modo factam ad singulos Nocturnos huiusmodi colorum mutationem in Ecclesia Narbonensi, docet eius Ms. Ordinarium.

III. Inter maiores Ecclesiae celebritates suum semper habuit locum ab ipso nascentis Ecclesiae exordio sacratissimum Natalis Christi Festum. In signando die Natalis Domini varias fuisse Orientalium opiniones, constat ex Clemente Alexandrino Hom. 1., qui illas recenset; at communior ea videtur fuisse, quae Christum die VI. Januarii natum statuit. Hac die solemnitatem Nativitatis Dominicae celebrabant tum Ecclesiae Aegypti, referente Cassiano Collat. X. cap. 11. tum Cypriae teste Epiphanio Exposit. Fidei XXII., tum Antiochenae, ceteraeque Orientales, uti indicat Chrysostomus; ac tandem Hierosolymitana, et Palaestinae, uti pluribus demonstrat Co-

telerius. At contra Ecclesiae Latinae, Africanae, atque etiam Graecorum ceterae semper pro die XXV. decembris steterunt; uti Hieronymus, Augustinus, Cassianus ipse, Nazianzenus, Basilius, aliique perspicue tradunt: quinimmo Ecclesiae Orientales exeunte saeculo IV. ab Occidentalibus edoctae, in eamdem XXV. decembris diem natalis Christi Domini solemnitatem fixere. Quod vero fideles maxima cum veneratione hoc festum celebrarint, patet ex Chrysostomo Homil. XXXI. de Philogonio. Festi huius Officium omni aevo celeberrimum fuit. Romae duo Matutina recitabantur; prius initio noctis sine *Domine labia*, et sine invitatorio. Post noctis medium iterum maiori cum celebritate Matutinum dicebatur, cum invitatorio, et Psalmo *Venite*.

IV. Festo die Natalis Christi tres ex antiqua Romanae Ecclesiae traditione celebrari Missas, constat ex vetustissimis Gelasiano, et Gregoriano Sacramentariis, et ex ipsomet S. Gregorio, qui Homilia VIII. in Evangelia expresse eius antiqui ritus meminit his plane verbis: *Quia largiente Domino Missarum solemnia ter hodie celebraturi sumus.* Ritus celebrandarum trium Missarum hac die, praeter varios Rituales, ac Pontificales antiquos Codices, prisci etiam complures Scriptores meminere. Hora primae Missae ad galli cantum in variis Ordinariis signata est. In Sacramentario S. Gregorii per Pamelium edito praecise signatur media nox, *Media nocte Statio ad S. Mariam Maiorem.* Ita etiam signata est apud Rupertum, Durandum, aliosque Auctores, mediae noctis tempore, unde nomen retinuit, mediaeque noctis Missa appellata est. In Missa mediae noctis cantabatur *Gloria in excelsis* solemniter: in quibusdam Ecclesiis dicebatur graece, et genuflectebantur ad illa verba: *Et in terra pax hominibus.* Micrologus observat, in fine huius Missae non dici consuevisse *Ite missa est*, sed *Benedicamus*, quia dicebantur Laudes post Missam. Secunda Missa inscribitur; *secunda Missa in aurora*, nec dici debebat nisi sub lucis ortum, propter introitum *Lux fulgebit.* Cluniaci id exacte servabant, ut maxima solemnitate Laudes dicerentur,

iisque completis summo mane, secunda Missa inchoaretur. Commemoratio S. Anastasiae, quae Urbis tantum Romae propria erat ad ceteras omnes Ecclesias transiit, postquam Missale Romanum invectum est, quod etiam nunc observatur. Tertia, quae est Missa diei, fuit semper solemnior ceteris harum Missarum. Cuique erat Praefatio propria. *Quia per incarnati* ad tertiam spectat. In quibusdam Ecclesiis pro Evangelio tertiae Missae dicebatur, *Missus est*, in quibusdam *Pastores ad invicem.* Tres Christi Domini ortus ternis hisce indicari Missis docet Pouget Inst. Catholicarum tom. 1. pag. 814. primum ab aeterno in sinu Patris ; in tempore alterum in utero Virginis; tertium denique in Justorum animis, in quibus innascitur, et habitat per Fidem. Exploratum est, vetustissimis temporibus, ut alibi diximus plures, ab eodem Sacerdote Missas celebrari in aliquibus solemnitatibus consuevisse. Cum itaque mos esset, ut ab eodem Sacerdote in aliquibus solemnitatibus eodem die plures Missae celebrarentur, nonnemo existimavit trium in Natali Christi die celebrandarum Missarum morem vetustae disciplinae vestigium esse. Notatum reperimus in Ordinibus Romanis, Summum Pontificem in Natali Christi die tres celebrare solitum Missas, primam in Basilica Liberiana ; alteram in S. Anastasiae aede, tertiam denique in Vaticana Basilica. In Occidentalem Ecclesiam fuit inducta consuetudo, ut Natali Domini die Mysterium repraesentaretur Infantis Jesu in praesepio, Gorius piae huius consuetudinis originem ad saeculum refert decimum tertium, cum S. Franciscus Praesepe aedificavit in Sylva Graecii.

DE FESTIS BEATISSIMAE VIRGINIS ET SANCTORUM.

Caput I.

De festo Purificationis Beatissimae Virginis.

1. Variis nominibus dictam fuisse hanc celebritatem, scite notat Joannes Belethus, qui vixit XII. saeculo, in sua divinorum officiorum explicatione, cap. LXXXI. Dicitur enim, ut idem inquit, vel *Purificatio B. Mariae*, vel *Candelaria*, vel υπαντη *Domini. Purificatio Beatae Mariae* appellatur, quoniam illo die, qui est quadragesimus a Natali Domini, venit ad Templum Virgo Maria secundum consuetudinem Legis, ut purificaretur, non quod immunda esset, sed propter partum, more aliarum mulierum. Voluit tamen Legis consuetudinem observare, quoniam non venit Christus Legem solvere, sed adimplere. *Candelaria* ob processionem peragi solitam illa die. Vocatur insuper graeco vocabulo υπαντη, quod latine *obviatio* dici potest; υπαντ:αιν enim graece *obviare* dicitur. Proinde haec festivitas tali vocabulo notatur, quia, cum Dominus hodierna die in Templum a parentibus fuisset delatus, a Sanctis quos plurimos tunc temporis Hierosolymis fuisse non dubium est, ei obviari credimus. Haec ex libris Liturgicis vetustissimis. Sacramentarium Gelasianum pag. 145 hoc festum ita enunciat: *In purificatione Sanctae Mariae.* Sacramentarium Gregorianum: *Hypante ad Sanctam Mariam.* Antiphonarius Carnotensis: *Natalis S. Simeonis.* In Antiphonario Pamelii, Angeli Rocchae, et in nova editione operum S. Gregorii habetur hac die Antiphona *Angelicae salutationi* similiis, graece et latine.

II. Sunt plures, qui docent (1), Justiniani Imperatoris aetate invectam primum fuisse in Ecclesiam celebritatem Festi Purificationis Deiparae. Ita Nicephorus Callistus Lib. XVII. *Historiae Ecclesiasticae*, cap. XXVIII. et Cedrenus, quibus inter alios consentit Usuardus. Verum enim vero longe ante Justiniani tempora non modo apud Latinos, sed et apud Graecos institutum fuisse hoc Festum, ut scitissime observat Martenius de *antiqua Ecclesia disciplina etc.* cap. XV. num. 1. probat S. Gregorii Nysseni sermo, quem de *occursu Domini* composuit. In Ecclesia item Latina iam longe ante Justiniani tempora plerique viri docti institutam fuisse aiunt huius Festi celebritatem, eiusque primordia credidit Baronius in *Notis ad Martyrologium* ad diem 11. Februarii, repeti posse a S. Gelasio Papa, qui Romae Lupercalia sustulit. Ceterum in Romana Ecclesia, eam, quam dicimus festivitatem, vetustissimis temporibus agi consuevisse, antiquiores Ecclesiastici libri nos docent. Baronius, uti observavimus, existimat Gelasium Pontificem solemnitatem Purificationis Beatissimae Virginis instituisse, Sergium vero Processionem cum candelis addidisse. Baronio consentiunt Thomassinus, *de dierum Festorum celebratione* Lib. 2 cap. 2.; Florentinus, *Exercit. 3. ad diem 5. Januarii*; Onoratus a S. Maria, *in animadversionibus ad Regulas Criticae;* Fronto, in *Notis ad Kalendarium Romanum*. Neque tamen eruditi viri desunt, qui a Baronio recedunt. Sublata a Gelasio Lupercalia non inficiantur; id enim ex ipsius constat Commentario, quem Baronius inseruit in annalibus ad annum Christi 496. Verum negant, inde posse intelligi, sublatis Lupercalibus, subrogatam fuisse Festivitatem Purificationis; nullam enim in suo illo Commentario de huiusmodi subrogatione mentionem ab illo Pontifice fieri. Menardus, ad *Sacramentarium S. Gregorii* pag. 41 et 42.; Henschenius, *ad diem 2. Februarii;* Rocca, *tom. 1. Edit. Rom.* an. 1719. pag. 215; Saxius, *Dis-*

(1) Muzzarelli, *Esame critico delle principali feste della Beatissima Vergine.* Cap. VIII.

sertatio Apologetica Sanctorum Corporum Protasii et Gervasii §. 12. tenent Processionem multo ante Sergii aetatem institutam esse. Atque ita siculi Gelasio non detrahimus laudem, quod Lupercalia sustulerit, etsi negamus iis substitutam fuisse ab illo Pontifice Purificationis Festivitatem; ita si Sergio non tribuimus laudem, quod Amburbalibus subrogaverit Processionem; ea tamen illum gloria non fraudamus, quod Processionem bene ordinaverit, iusseritque tum hac die, tum in aliis Beatissimae Virginis Mariae Festivitatibus peragi Processionem ab Ecclesia S. Hadriani ad Liberianam S. Mariae Maioris Basilicam.

III. Vertus, ut audaciori est ingenio, *Explicat Caer. Eccl. tom.* 2. p. 17. conatur ostendere consuetudinem gestandi hac die candelas ex Evangelio derivatam, quod legitur in Missa: *Lumen ad revelationem gentium*. Quem tamen Magnus Suessionensis Episcopus *De vera Ecclesiae mente in usu sacrarum Caeremoniarum* graviter increpat. Auctor Catechismi Montispessulani docet, propterea in Processione, et in aliqua Missae parte candelas accensas a Fidelibus manu gestari, ut ostendant se participes esse laetitiae illius quam cepit Simeon, qui Jesum habens in ulnis, ait illum Infantem esse lumen gentium, et gloriam Jsrael: adiicit vero, ideo Processionem fuisse ab Ecclesia institutam, ut ratione aliqua Virginem euntem ad templum imitemur: aut certo, ob aliquam ex iis causis, quae Ecclesiam impulerunt, ut sacras processiones institueret. Eadem fere tradiderat auctor Catechismi Burgensis anno 1603 Lutetiae Parisiorum editi. Insuper ab Ecclesia instituta fuit Processio in memoriam illius diei, quo Christo cum Matre, et Josepho obviam venerunt Simeon, et Anna gratulantes, et benedicentes Deum, ut habetur Lucae capite II. Quare huius solemnitatis Officium exorditur Ecclesia ab Invitatorio: *Ecce venit ad Templum Sanctum suum dominator Dominus: gaude et laetare Sion, occurrens Domino Deo tuo.* Cuius occursus mysterium ut rite celebretur, instituta est solemnis Processio cum luminaribus ad eum usum benedictis, quo Fideles

Christo salutis suae causa in mundum venienti occurrentes, et eum pio affectu, et grati animi complexu excipiant, ac venerentur: qui quidem lucentium candelarum symbolo profitentur Fidem suam de veritate Humanitatis, et Divinitatis eius; Carnis sanctitatem pura cera, Divinitatis gloriam lumine ex benedictione indito significantes, ac simul eidem gratiarum actiones, et laudis Hymnos accinunt de cordibus suis, quod venerit lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis suae Israel. Atque haec libuit describere ex Libro eruditissimi Jacobi Eveillon, qui inscriptus est, de *Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. VII. neque enim mysticae probatorum Auctorum explicationes in Ecclesiasticis ritibus spernendae penitus, tum praesertim quum ipsas explicationes passim legamus non modo apud veteres Patres, verum etiam in ipsis Ecclesiae orationibus. In quibusdam demum locis praeter cereorum benedictionem, benedicebatur et novus ignis prius e silice excussus, unde cerei erant accendendi, eiusque ritus meminit S. Bernardus Sermone II. *De Purificatione* num. 1. itemque varii antiqui Codices Rituales. Longum esset varias orationum formulas describere, quae ex variorum Ritualium antiquorum praescripto ad Benedicendos cereos, et ignem novum, ex quo cerei accendebantur, dici olim solebant: videri possunt apud Martene, qui etiam et alios ritus recenset in ipsa cereorum benedictione usitatos.

Caput II.

De festo Sanctissimae Annunciationis, Dolorum, et Visitationis Beatissimae Virginis.

1. Pervetusta est in Ecclesia (1) celebritas Annunciationis Beatissimae Mariae Virginis, quae ab antiquis scriptoribus diversis nominibus donata est. Nam ab aliqui-

(1) Trombelli, *Mariae Sanctissimae vita ac gesta, cultusque illi adhibitus*. Part. II. Diss. III. Sectio V.

bus *Conceptio Christi*, ab aliis vero dicta est, *Annunciatio Christi*, *Annunciatio Dominica*, *initium Redemptionis*, *Annunciatio Christi in Virgine*, *Denunciatio Beatae Mariae*. In Kalendario Allatiano: *Adnunciatio S. Mariae*: ac totidem plane verbis in Neapolitano manu exarato Kalendario adnotatur. Imo nec aliter proponitur id Festum in Graecorum Libris. In Basilii Menologio: *Annuntiatio Sanctissimae Deiparae*. Antiquitas autem huius Festi, ut Martene observat, constat ex S. Augustini testimonio in Lib. IV. *De Trinitate*, cap. V. Et certe Concilium Toletanum X. anno DCLVI. habitum de hoc Festo tamquam de Festo iam diu instituto, et ab universis passim Ecclesiis recepto loquitur Canone I. Sergius quoque Pontifex, qui saeculo vixit septimo, de hac Festivitate loquitur tamquam multo ante instituta: *Constituit*, *ut diebus Annunciationis etc. Litania exeat a S. Hadriano*, *et ad Sanctam Mariam populus occurrat*, *ut habetur in libro Pontificali*. Praeterea in veteri Occidentalis Ecclesiae Martyrologio, quod Beda, Cassiodorus, aliique plures Hieronymo tribuunt, ediditque Florentinius ad diem 25. Martii, haec adnotata reperiuntur: *In Galilaea Civitate Nazareth Annunciatio Sanctae Mariae de Conceptione, quando ab Angelo est salutata*. A IV. itaque saeculo celebre erat Graecis Festum Annunciationis, quod in ipsa etiam Quadragesima velut dies dominica habebatur, ut Laodicenum decrevit Concilium. Quam autem late patuit festum illud cunctas inter Orientis, Occidentisque Ecclesias, vide apud Bollandistas. In Ecclesia Romana, ut ex Sacramentariis, et Evangeliorum Capitularibus patet, Festivitatem Annunciationis Dominicae semper die XXV. Martii fuisse celebratam. Apud quasdam Ecclesias, ut apud Hispanos, et Graecos alius olim mos obtinuerat, de quo obiter Baronius hac die in notationibus ad Martyrologium.

II. Institutio Festi Dolorum Beatissimae Virginis ad Provincialem Synodum Theodorici Coloniensis Episcopi anno 1413. habitam referri potest, in quo Concilio ad Hussitarum haereticorum comprimendam audaciam, qui Sanctissimas Jesu Christi, et Beatissimae Virginis doloru

confossae Imagines sacrilego furore foedabant, constitutum est, ut Festum Commemorationis praefatae Angustiae et Doloris B. Mariae Virginis deinceps singulis annis Feria sexta post Dominicam *Jubilate* solemniter celebraretur: ut est in Collectione Concil. Labbeana tom. 1. pag. 365. Videatur etiam Raynaldus ad annum Christi 1423. num. 2. et Spondanus ad eumdem annum num. 10. Pictores, ut Dolores Beatissimae Virginis exprimant, septem gladiis traiectam pingunt. Quaerit Saxius Part. 2 de *Laudibus Mariae* pag. 168. id unde profectum sit; et ad septem Ordinis Servorum Fundatores refert; qui Dolorum B. Mariae contemplationi vacantes, eos in septem divisere, quorum aliqui habentur in Evangelio, ceteri probabili ratione et auctoritate verisimiles fiunt. Sacra illa Sequentia *Stabat Mater dolorosa*, quamquam a plerisque tribuatur Jacopono, vetustiorem tamen auctorem ab aliis habuisse censetur, Innocentium III., atque huic opinioni favent Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Pontificia;* Pagius, in *Breviario Romanorum Pontificum* in vita Innocentii III. num. 108., Serry, *Exercitatione* 54. num. 10.; aliique etiam.

III. Postridie Calendas Julii Festum Visitationis Beatissimae Virginis celebratur, cuius Mysterium exponit Lucas cap. 1. v. 38. Haec Festivitas ab Ordine Fratrum Minorum an. 1263. celebrabatur, ut ex eorum Annalibus colligit Gavantus ad Rubricas Breviarii Romani sect. 7. cap. 9. Nec monumenta desunt, quibus ostenditur, etiam apud Orientales celebrari consuevisse, ut videre licet apud Bailletum: *Historia huius diei* §. 2. Quod si de institutione Festi huius in universam Occidentalem Ecclesiam quaeramus, Urbano VI. tribuenda videtur, qui ieiunio etiam voluit peragendam, atque ita Fideles excitavit, ut ad Beatissimae Mariae intercessionem confugerent, quae schisma illud tolleret, quo Ecclesia ea tempestate conflictabatur. Licet autem Urbanus hoc Festum instituerit, superveniente tamen eius morte, cum Litteras Apostolicas de eo minime ediderit, Bonifacius Papa IX. eius Successor Romae V. Idus Novembris an-

no primo Pontificatus sui, Urbani sanctioni auctoritatem adiecit sua Constitutione, quae extat in Romano Bullario, et refertur etiam a Raynaldo. Voluit etiam Pontifex Festi huius institutor, ut cum octava ipsum celebraretur, concessitque Indulgentias illis, qui Sacris eiusdem Celebritatis Officiis interessent. Ut aliquid de Officio huius diei dicamus, ex veteri Breviario Romano scribit Scultingius, huius gloriosae Visitationis Officii compositionem laudatum Papam Urbanum VI. commisisse Adae Cardinali Angliae Doctori in Theologia. Videatur Baronius, in Notis ad Martyrologium ad diem 2. Julii; Thomassinus, de *Dierum Festorum celebratione* Lib. 1. cap. 20. num. 6.; Martene, de *antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis* cap. 33. num. 1. et 2.; Pagius, in *Breviario Romanorum Pontificum in vita Urbani VI.* n. 66. Vidisse se ait Baronius in Bibliotheca Vaticana manuscriptum quemdam Joannis Pragensis tractatum adversus Adalbertum, qui hanc solemnitatem improbabat; in quo libello plura referuntur miracula et revelationes, quibus eam sibi placere Festivitatem Deus declaravit.

Caput III.

De festo Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis Beatissimae Virginis.

I. Magnae huic Solemnitati praecedit Pervigilium cum ieiunio; ac ieiunium quidem valde antiquum esse oportet, cum de eo tamquam de re usitata in Romana Ecclesia mentionem faciat Nicolaus I. Pontifex creatus anno 858. Apud quosdam Orientales non unius, sed plurium dierum ieiunium est. Jeiunare enim incipiunt a Calendis Augusti usque ad diem 15. nec ieiunium intermittunt praeterquam postridie nonas in honorem solemnitatis Transfigurationis Jesu Christi. Quidam existimant, Assumptionis Festum Apostolos instituisse. Sed iuxta Benedicti XIV. aliorumque doctissimorum hominum opi-

nionem, Festivitatis huius institutio ad Ecclesiam videtur referenda. Thomassinus *Tract. de Festis* Lib. 2. cap. 20. num. 10. ostendere satagit, post Concilium Ephesinum, quo damnatus fuit Nestorius, longe lateque Deiparae cultum fuisse diffusum, multis in eius honorem excitatis templis, et Festivitatibus institutis. Nullum vero suppetit monumentum institutionis huius Festi, quare merito inter antiquiora recensendum erit, cum in vetustioribus habeatur Martyrologiis. Hinc longe falluntur recentiores nonnulli, qui VIII. saeculo recentius illud habent, quorum errorem manifesto evincit S. Gregorii Turonensis de huius festi cultu in Galliis auctoritas, atque Anastasii Bibliothecarii in vita Sergii I. qui vixit saeculo VII. Olim mense Januario festum hoc celebratum fuisse antiquiora testantur monumenta apud Mabillonium *Cursus Gallicanus Lib. 2.* atque Florentinium *in notis ad Martyrologium* die XVIII. Januarii. Huius enim festi eo die meminere Hieronymianum Martyrologium vetus, Lucense, Calendarium Corbejense, atque antiquum Floriacense apud Martene. Verum olim etiam hoc festum XV. Augusti alibi celebrari consuevisse, docent Hieronymianum Martyrologium Rosweydi, Constantinus Constantiae Cypri Episcopus Actione IX. Concilii Oecumenici VII., atque pro IX. saeculo nostrum marmoreum Kalendarium. Florentinius sane a Mauritio Imperatore VI. saeculo Festum hoc in Augusti mensem traslatum fuisse, nonnullis probat argumentis in suo Martyrologio. Praeclarissima haec celebritas octavam habet, quam instituisse Leonem IV. anno 847. tradit Pontificalis Anastasii liber. Unum fuisse hoc Festum ex iis, in quibus Summi Pontifices consueverunt Missarum solemnia in propria persona celebrare, notat Ordo Romanus XIV. Capite XCVIII. ubi etiam ait, praedicari tunc solitum fuisse, et haberi Vesperos Papales praecedentes solemnes.

II. Nativitatis Festivitatem nonnulli (1) referunt ad

(1) Vide Muzzarelli, *Esame critico delle principali feste di Maria SS.* Cap. XII.

Divi Augustini tempora: in Officio enim huius Festi sermonem quemdam S. Doctoris legimus de hac solemnitate. Verum idem S. Augustinus sermone 21. et 22. testatur, solummodo Natalis Christi, et Joannis Baptistae dies in Ecclesia celebrari consuevisse. Verisimile putat Azorius Part. 11. lib. 1. cap. 19. quaest. 1. temporibus Ephesini, et Chalcedonensis Concilii Nativitatem Virginis peculiari festivitate celebrari coepisse. At contra Thomassinus de *Festis* Lib. 2. cap. 20. num. 2. 3. et 4. Fulberti Carnotensis tempore nempe saeculo XII. institutam putat. Sed hanc solemnitatem vetustiorem esse Fulberto, evidentissime apparet ex S. Idelfonso, qui saeculo septimo scripsit. In libro enim de *perpetua Virginitate S. Mariae* tom. 12. Biblioth. Patrum pag. 566. littera E, diserte loquitur de hoc Festo: *Nullius igitur Nativitas celebratur in mundo nisi Christi, et eius* (scilicet B. Mariae) *atque B. Joannis.* Quonam autem potissimum tempore eiusmodi solemnitas instituta, nusquam expressum reperi, nec quid certi affirmare ausim. Sane antiquissimam esse in Ecclesia Romana festivitatem hanc, comprobant Responsoriale, et Antiphonarium Ecclesiae Romanae. His adiice Sacramentaria Pamelii, Rocchae, Menardi, aliaque etiam, quae procul dubio antiquissima sunt. Insuper Liber Pontificalis, in vita Sergii I. tradit Festivitatem Nativitatis B. Mariae unam esse ex iis solemnitatibus, in quibus Processio fit ab Ecclesia S. Hadriani ad Basilicam Liberianam. His aliisque adducti rationibus, viri docti a Thomassino dissentiunt, Florentinius, in *Notis ad Martyrologium* ad diem 8. Septembris; Fronto, in *Notis ad suum Kalendarium*; Martene, de *antiqua Ecclesiae disciplina etc.* cap. 34. num. 1.; Pagius, in *Breviario gestorum Romanorum Pontificum* vita Innocentii IV. Vetus itaque est haec solemnitas, et sane percelebris, ac ut vulgo dicitur, de praecepto tam apud Latinam, quam Graecam Ecclesiam. Non semper octavo die Septembris peracta est Nativitatis celebritas, ut videre licet apud Florentinium in *Notis ad Martyrologium* ad diem 8. eiusdem mensis. Nunc vero tam apud

Graecos, quam apud Latinos ille praefinitus est dies ad quem etiam haec solemnitas depraehenditur in Martyrologio veteri, quod vulgavit Florentinius.

III. Cultum Conceptionis Beatissimae Virginis a saeculo ut minimum V. in Ecclesia Orientali obtinuisse, ex Typo S. Sabae manifestum fit. Insuper Emmanuel Comnenus Imperator, qui suum auspicatus est imperium anno 1143. in Novella apud Theodorum Balsamonem in observationibus ad Nomocanonem Photii, Festa recensens, quae a populo essent observanda, ait: *Nonus dies Decembris; quia tunc Genitricis Dei nostri Conceptio celebratur*; quorum non is sensus est, ut hanc ille Festivitatem tunc institueret, sed ut veterem et multo antea institutam populus, quemadmodum caeteras de Praecepto Festivitates, coleret. Et re vera Georgius Nicomediensis Episcopus homilia in Conceptionem S. Deiparae affirmat, istud Festum non novissime institutum. Prodiit haec homilia unacum aliis Georgii operibus graece et latine per Combefisium in Auctario novissimo Paris 1648. tom. 1. a pag. 995. Hunc autem Georgium sub Heraclii imperio, hoc est inter annum 610. et 640., floruisse; suasque homilias scripsisse, contendit idem Combefisius, eumque sequutus est Christianus Lupus *notae in S. Leonis IX.* De Archiepiscopo Armeniae narrat Matthaeus Parisius, illum in Anglia profectum, exceptumque in monasterio S. Albani, testatum esse, inter caeteras Armenorum Festivitates, celebritatem etiam Conceptionis Mariae a vetustis temporibus celebrari. In Codicibus Evangeliorum ante annum Christi octingentesimum exaratis, diserta fit eius mentio in Catalogo Festorum per anni circulum, qui Catalogus solet quatuor Sacris Evangeliis subiungi.

IV. Ad Occidentalem quod spectat Ecclesiam, liquidum est, eiusmodi cultum a saeculo ut minimum X. sive in Hispania primum sive in Anglia obtinuisse, ac ceteras posthac Occidentis Ecclesias pervasisse. Re tamen diligentius excussa, ac veteribus historiae monumentis penitius exploratis, aperte constat ad aetatem longe anteriorem Immaculati Conceptus cultum referri debere.

Extat enim vetus marmoreum Neapolitanae Ecclesiae Kalendarium, quod digestum esse saeculo Ecclesiae IX. Alexius Symmachus Mazochius, qui eruditissimum de illo edidit commentarium, luculenter ostendit. At in eiusmodi Kalendario ad diem IX. decembris, more Graecorum, haec habentur inscripta: *Conceptio Sanctae Mariae Virginis;* id quod probat iam ante saeculum IX. in eadem Ecclesia, a latinis scilicet hominibus, festum istud fuisse celebratum. Jure igitur meritoque Josephus Simonius Assemanius inde concludit: *Neapolitanos in Italia, ante Gallos et Anglos aliosque omnium primos Latinorum fuisse qui Sanctissimae Deiparae Immaculatae Conceptae tunc cultum a Graecis ut videtur, acceptum deferrent.* In Casinensi Archicoenobio saltem eiusdem commemorationem peractam saeculo X. pulchre ostendit Federici ex Kalendario MS. Basilicae Casinensis, in opere cui titulus: *La Immacolata Concezione della B. Vergine Maria comprovata a'sentimenti dei Padri.* Profecto Sancti Bernardi aetate, qui mortuus est anno 1155. Festum Conceptionis nondum erat in Romanam Ecclesiam invectum. Ille enim, in sua Epistola 174. Canonicos Lugdunenses acriter reprachendit, quod in suam Ecclesiam hoc Festum induxerint, nullo Ecclesiae Romanae exemplo praeeunte. Festum hoc, quo anno Romae coeptum fuerit celebrari, determinare nullo modo possumus; sunt enim qui asserunt aetate S. Bonaventurae, qui mortuus est anno 1274. ex ipsius 3. Sent. dist. 3. quaest. 1. at locus ille non de festo quod Romae, sed alibi celebrabatur, intelligendus est. Alii autem verius non dubitant saeculo XIV. celebritatem hanc Romae fuisse peractam; testatur enim Alvarus Pelagius, qui obiit anno 1340. se in Liberiana Basilica, huius Festivitatis die, concionem habuisse. Quidquid sit de anno, Ecclesiae Romanae exemplum secutae sunt caeterae fere omnes Ecclesiae. Sixtus IV. vero, qui primus Apostolica auctoritate Conceptionis Festum instituit, Constitutione *Cum praecelsa* huic Festo, ad pietatis augmentum, proprium et peculiare Officium, sicut et Missam assignavit (1).

(1) Vide Pelliccia, *Del culto filiale dell'antica Chiesa Greca verso la*

Caput IV.

De Festis Sanctorum.

I. Hactenus ea quae praecipuas Domini atque Beatissimae Virginis solemnitates spectant, pro modulo nostro prosequuti sumus; nunc ad Sanctorum eius Festivitates animum calamumque adjicere oportet; tum ut eorum recordatione ad summas virtutes accendamur, nec eos imitari pigeat quos celebrare delectat: dum ut eorum imploratis patrociniis suffulti, securius inter varia vitae huius discrimina incedamus, eorumque aliquando consortes esse mereamur in coelis: tum ut Martyrum passiones Sanctorumque Confessorum recte facta recolentes, gloriam simul Creatoris praedicemus. Eorum Festa, Martyrum praesertim, in ipso nascentis Ecclesiae principio anniversaria commemoratione celebrata esse, dubitare nos non sinunt Ecclesiastica monumenta. Et re quidem vera Ecclesia Smyrnesis, cuius Epistolam refert Eusebius Lib. 4. *Historiae* cap. 14. festos Martyrum dies a Christianis agi consuevisse, his tradit verbis, Valesio interprete: *Quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convevenientibus, concedat Deus natalem eius* (scilicet Polycarpi) *martyrii diem cum hilaritate et gaudio celebrare, tum in memoriam eorum qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros huiusmodi exemplo erudiendos, et confirmandos.* S. Cyprianus in Epistola 34. editione Pamelii, et Baluzii: *Sacrificia*, inquit, *pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones, et dies anniversaria commemoratione celebramus.* Et in Epistola 37. *Dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.* Ad Athanasii tempora referendum est, quod de Juventino, et Maximino sub Juliano Apostata martyrio affectis, narrat

Vergine Madre di Dio; Wagnerek, *Pietas Mariana*, Mazzola, *Disputationes De Beata Maria Virgine.*

Theodoretus Lib. 3. *Hist.* cap. 15 in editione Valesii: *Quos Antiochensium civitas* inquit, *tamquam veritatis propugnatores honore prosequens, in splendido monumento deposuit, et ad hunc usque diem annua festivitate veneratur.* Nec minus aperte eiusdem consuetudinis meminit Gregorius Nyssenus Oratione in magnum Martyrem Theodorum, haec elocutus: *Etsi enim anniversariis feriis hunc diem celebramus: at nunquam cessat studiose advenientium multitudo, ac formicarum similitudinem servat ea, quae huc pertinet, via publica, cum alii quidem ascendant, alii vero venientibus cedant.*

II. At proferamus praeclarissimum Orientalis Ecclesiae Doctorem, Chrysostomum scilicet, qui Antiochenam Ecclesiam concionibus, Constantinopolitanam autem tum sermonibus, tum pastorali cura plurimum adiuvit, et illustravit. Is sane Homilias plurimas in Festis Sanctorum diebus recitavit, veluti in die festo S. Meletii Episcopi Antiochiae, Luciani, Babilae, Juventini, et Maximini, Pelagii quoque, et Ignatii. Sed praeter has conciones, alias pronunciavit in festis Sanctorum diebus, in quibus celebritatis, et conventus populi meminit. En initium Orationis in Sanctas Berenicem, Prosdocem, et Domninam: *Nondum*, inquit, *elapsi sunt dies viginti, ex quo memoriam Crucis celebravimus et ecce Martyrum memoriam celebramus.* Quantum vero approbet ille hasce festivitates, tum alias quidem et perspicue, et crebro, tum certe tradit, quum Homiliam in Sanctos Martyres sic exorditur: *Heri Martyrum dies fuit; sed et hodie Martyrum dies est. Atque utinam semper diem Martyrum celebraremus. Si enim illi, qui insano theatrorum amore ducuntur, nunquam turpibus illis spectaculis satiantur: multo aequius est, ut Sanctorum festivitatis celebratio nobis satietatem et fastidium nunquam pariat.* At quis praetereat, quae tradit Gaudentius Brixianus in Sermone de Petro et Paulo? En illa: *Per huius Magistri* (Christi) *vestigia gradiuntur fideles discipuli, Petrus et Paulus: quorum passionis natalem hodie per universum mundum omnes Ecclesiae debito honore concelebrant.* Hunc vero finem Sermoni imponit: *Communicemus*

igitur, fratres, Sanctorum Apostolorum memoriis: communicemus Sanctorum memoriis fide, opere, conversatione, sermone, ut mereamur eorum precibus ad omnia quaecumque poscimus, adiuvari, largiente gratia Domini Jesu Christi, cui omnis honor in saecula saeculorum. S. Augustinus *Libro 20. contra Faustum Manichaeum Cap. XXI. Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuvetur.*

III. Observatione digna sunt ea, quae Paulinus Nolanus docet Carmine 13. in S. Felicem. Et Prudentius multis quidem in locis libri Περι στεφανων, seu *de Coronis* eum, de quo agimus, morem indicat, tum praesertim Hymno X. quippe v. 194. et civium, et exterorum ad Sanctorum festa celebranda convenientium frequentiam eleganter describit. Sed omittendus non est Eucherius Lugdunensis in Oratione quam edidit in S. Joannem Baptistam: *Hodie*, inquiens, *dilectissimi fratres, Joannis, qui Domini praecucurrit adventum, Natalem diem celebramus*. Gregorius Turonensis tam perspicue, tam crebro de Festivitatibus in honorem Sanctorum actis loquitur, ut loca pigeat indicare; cum nulla fere pars sit eorum librorum, quos edidit, in quo huiusmodi festivitatum mentio non fiat. Isidorus Hispalensis praeclarum de hisce festivitatibus testimonium praebet: quippe et antiquitatem earum comprobat, et egregium finem institutionis earum his verbis profert: *Festivitates Apostolorum, seu in honorem Martyrum festivitates antiqui Patres in venerationis mysterio celebrari sanxerunt, vel ad excitandam imitationem, vel ut meritis eorum consociemur, atque orationibus adiuvemur.* Insuper observes, Martyrum solemnitates usitatissimo vocabulo aut *natalitia*, aut etiam *natales* fuisse appellatas. Erant haec nomina quibuscumque solemnitatibus significandis addicta. Sic festum Cathedrae S. Petri in Kalendario Bucheriano dicitur VIII. Kalend. mart. *Natale Petri de cathedra*: sic translationes ipsae Reliquiarum *Natales* dictae ab Hieronymo. Dicti sunt autem *natalitia*, dies quibus Martyres mortali cor-

pore quasi carcere exuti, aeternam requiem politi sunt uti eius nominis rationem explicant cum primis Petrus Chrysologus, Prudentius, Tertullianus aliique.

IV. Jam vero tempus est aggredi ea, quae diebus Martyrum festis usitata fuere, et commendata ab Ecclesia. Ad hoc genus revocant multi oblationes eidem Ecclesiae et eleemosynas diebus illis festis uberius pauperibus impertiendas. Sed in primis meminisse opus est orationes, concionesque, in Sanctorum festis ab Episcopis aut ab alio eorum jussu recitatas. Id planissime constat ex pluribus Sanctorum Patrum orationibus, veluti ex orationibus S. Gregorii Nisseni in Divum Theodorum; Divi Basilii in S. Julittam; Zenonis in S. Arcadium; Joannis Chrysostomi in Berenicem; Prosdocem, et Domninam; Augustini et Maximi in Cyprianum, et Laurentium; Leonis in Sanctos Apostolos Petrum et Paulum; et ex infinitis propemodum aliis. Saepissime etiam addebatur aut Sancti illius, cuius panegyris facta fuerat, invocatio, aut certe praeclara, perspicuaque documenta quibus intelligerent, quantum de eiusdem Sancti suffragatione, atque interventu confidere poterant auditores, praesertim si illius virtutes, atque exempla imitarentur. Eam ob causam miracula ex loco edito saepe recitabantur, ut scilicet ab omnibus audirentur. Id nos discimus tum quidem ex aliis veterum monumentis, tum praesertim ex S. Augustini *Sermonibus* num. 79. num. 286. num. 320. et subsequentibus. Insuper Martyrum Acta in eorum Festivitatibus legi consueverant, sed de hoc alibi diximus.

V. Hymni etiam, Cantica ex Scripturis desumpta, et Psalmi canebantur. Testatur id Augustinus *enarratione secunda in Psalmum 21.* num. 1. 2. 28. et 29. Et hinc fortasse provenit, quod in Sanctorum Festivitatibus Divus Augustinus aliique Patres Psalmos explanarint, desumentes scilicet titulum ex Psalmo nuper cantato: consuevisse enim prius cantari Psalmum mox explicandum, intelligimus ex enarratione S. Augustini in Psalmum 86. numero primo. Hymnorum concentum in hisce solemnitatibus fuisse usitatum, alia quidem multa ostendunt,

sed illud in primis, quod de Ephrem Syro narrat Theodoretus Libro 4. *Historiae* cap. 27. editionis Valesii. Idem etiam Theodoretus Hymnos in Sanctorum solemnitatibus fuisse cantatos, rursus edocet in *Oratione octava*, quam de Martyribus inscripsit. *Neque vero*, inquit, *ad haec per annum semel, aut bis, aut quinquies adventamus, sed in eis saepe numero dies festos peragimus, saepe diebus singulis eorum Martyrum Domino laudes, hymnosque cantamus*. In Sermone nempe, quem S. Petronius Veronensis Episcopus in Translatione S. Zenonis ad populum habuit, haec valde apta occurrunt ad rem nostram: *Nunc vero honoremus Ecclesiam Dei Sermonis officio, vocalibus cantilenis*. Quid enim cantilenae esse poterant nisi hymni, et psalmi quos populus in ea solemnitate caneret?

VI. Templa sane, et Sanctorum tumuli diebus festis eorum ornabantur. Eam consuetudinem haud obscure indicat Paulinus Natali 3. v. 98. et seqq. Sed de hoc more verba faciunt etiam Eusebius, et Prudentius v. 195. et subsequentibus hymnis tertii libri Περι στεφανων, et alii veteres. Ad hoc denique caput revoca antiquam Christianorum consuetudinem, qui ut hilaritatem suam, et laetitiam diebus festis ostenderent, elegantioribus vestibus sese induebant. Id testatur Leo Magnus Serm. 3. de *Quadragesima*. His ea adde, quae ad rem praesentem narrat Rufinus Libro tertio de *Vitis Patrum* cap. 47. nempe Josephum quemdam, sanctissimum Anacoretham, dono misisse *alia vestimenta meliora, quibus uti solebat die festo*. Hos etiam dies vigiliis praevenire consueverant fideles. Hoc argumentum luculenter pertractant Baronius, in *Adnotatione ad Martyrologium* ad Vigiliam Epiphaniae; Florentinus, *Exercitatione secunda in Martyrologium*; aliique bene multi. Et re quidem vera id palam eruitur ex eo Ambrosii Libro, quem de *Virginitate edidit*. Ibi enim conqueritur paucos convenisse ad Vigilias nocte festivitatem Sanctorum Petri, et Pauli proxime praecedente agendas. Vigilias quoque a cuncto populo fuisse actas pridie translationis festivitatis Sanctorum Gervasii, et Protasii, ex Epistola 22. Divi Ambrosii ad Sororem discimus. *Ibi vi-*

gilia tota nocte etc. Eamdem consuetudinem S. Augustinus in Epistola 140. indicat, dum psalmum septuagesimum secundum in pervigilio Sancti Cypriani a se explicatum fuisse dicit, et ad eam explicationem legendam Honoratum hortatur. *Hunc psalmum* inquit, *septuagesimum secundum nocte , qua illucescebat solemnitas Beatissimi Cypriani, per ministerium nostrum expositum lege, et diligenter adverte.* Ad easdem vigilias nocte festivitatem S. Cypriani proxime praecedente actas respicit idem Augustinus capite quinto Sermonum 311. S. Athanasius in Apologia ad Constantium Vigiliarum meminit , haec elocutus : *Nox erat multique ex populo ad proximam Synaxim in orationibus pervigilabant, cum dux exercitus etc.* S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 9. eiusdem moris meminisse videtur, dum haec effatur: *Nocte ad sapientiam nihil commodius est, in hac enim saepissime de Deo cogitamus, lectioni contemplationique divinarum Scripturarum vacamus, psallitur, oratur.* Nonne etiam Sanctus Basilius non modo multo abhinc tempore sacras vigilias a Christianis actas, verum etiam sua aetate usitatas his verbis comprobat? *Jam dudum,* inquit, in Commentariis in Psalmum 114., *occupato hoc sacro Martyrum templo ; a media nocte ad hanc usque meridiem Deum Martyrum, dum adventus noster expectaretur , hymnis placare perrexistis.* S. Hieronymus in Epistola 22. ad Eustochium scripta , praeclara multa edocet, ex quibus traditam, commendatamque Vigiliarum consuetudinem non pauci eruunt. Illustre etiam illud est, quod S. Joannes Chrysostomus in Homilia ad Martyres, Frontone Ducaeo interprete tom. 2. pag. 668. n. 1. eloquitur: *Noctem vertistis in diem per sacras istas vigilias.* Ad vigilias quoque confugisse Antiochenos terrae motu nuper territos testatur idem Chrysostomus in Homilia post terrae motum , quam ediderunt Patres Benedictini tom. 2. pag. 718. num. 1. At sunt, et alia plurima veterum testimonia, quibus indubitate percipias subsequentibus etiam saeculis eam consuetudinem perstitisse.

VII. Vetustissimum esse eum morem quo solemniora

Sanctorum festa jeiunio praevenimus, ex eo intelligimus, quod quarto ipso Ecclesiae saeculo haec jeiunia essent frequentata, nec eorum tamen origo comperta foret. Antiquiora ergo quarto ipso saeculo videntur esse, et fortasse ad Apostolica usque tempora referenda. Utcumque sit, vetustam sane eam consuetudinem esse innuit S. Bernardus, Sermonem in vigilia Sancti Andreae sic exordiens: *Sanctorum festa praecipua Patrum sanxit auctoritas votivis praevenienda jeiunis: utiliter plane etc.* Paulinus Nolanus Episcopus jeiunium agere consuevisse fideles pridie festivitatis S. Felicis palam edocet, Pöemate 22. in Natali S. Felicis. In Sacramentario Leoniano habetur Missa Vigiliae S. Joannis Baptistae; Praefatio vero eiusdem Missae haec proponit: *Vere dignum exhibentes solemne jeiunium, quo Beati Joannis Baptistae natalitia praevenimus.* Sacramentarium Gelasianum plurima in rem nostram monumenta subministrat. Jeiunia memorantur in Missa vigiliae Martyrum Joannis et Pauli: rursus in Vigilia Apostolorum Petri, et Pauli; mox in precibus, quae vocantur *Secretae* sic orat Sacerdos: *Munera Domine tuae glorificationis offerimus, quae tibi pro nostris grata jeiuniis, Sanctorum Apostolorum quaesumus deprecatio, quorum solemnia praevenimus efficiat.* Sed multo uberiora subministrat Sacramentarium Gregorianum. In Praefatione Missae celebrandae in vigilia S. Andreae haec leguntur: *Vere dignum..... Ut qui Beati Andreae Apostoli festum solemnibus jeiuniis et devotis praevenimus officiis etc.* His adde preces eas, quae in eodem libro in Festis vigiliarum Apostolorum Martyrum, Confessorum dicendae praescribuntur; saepissime quippe in iis jeiuniorum fit mentio.

VIII. Neque vero precibus tantummodo, vigiliis, et jeiunio Sanctorum festivitates praevenere. Alia quaedam nonnulli addidere etiam his. Praetereo peregrinationes institutas ad Sanctorum Basilicas quae quidem peregrinationes cum reliquo anni tempore susciperentur, tum vero maxime, et ferventius, et a remotioribus regionibus instituebantur, quum festivitates imminebant. Praetereo

eorum humilitatem, qui vultibus humi demissis, aut tumulum ipsum, aut pavimentum tumulo proximum crebro deosculati, interdum etiam lacrymis, et fletu uberrimo perfundentes, a Sanctorum monumentis avelli non poterant.

Caput V.

De diebus festis s. Marci, s. Ioannis Baptistae, ss. Petri et Pauli, et s. Petri ad vincula.

I. De S. Marco Evangelista agunt quidem omnia Martyrologia, sed non omnia die XXV. Aprilis. Hieronymiana siquidem, Gellonense, Rhinoviense, Augustanum, Labbeanum, et Corbysense brevius agunt ad IX. Kalendas Octobris, hoc est die XXIII. Septembris. Hac vero die XXV. Aprilis celebratur a Beda, Usuardo, Rabano, Notkero, Romano parvo, Martyrologio Fuldensi. Bollandiani socii in Historia Patriarcharum Alexandrinorum Junii tom. V. illius martyrium ad A. D. 65. referunt. Acta, et gesta, cultumque Divi Marci ac translationes vide apud eosdem Bollandianos hac die pag. 344. et seqq. Hac die in veterrimis omnibus Martyrologiis, Libris Liturgicis, praeterquam in Gelasiano, celebris est Litania maior, et peculiari Romae ritu celebrata fuit. Celebrandae Maiori huic Litaniae, uti inter alios observat Jacobus Eveillon in Libro: *de Processionibus Ecclesiasticis*, cap. XX. vernum tempus assignatum creditur, quod ea tempestas, äeris intemperie morbi excitantur, flores, et frugum, atque arborum germina prae teneritudine facile pruinis, et alia quavis coeli iniuria dispereunt, et spem annui proventus fallunt. Quibus malis avertendis huiusmodi Supplicatio instituta est. Quod ad placandum Deum Supplicatio ista, ut ex dictis hactenus constat, fuerit instituta, non mirum videri debet, si non modo in ea Processione Clerus, populusque discalceatus, cinere, et cilicio indutus incederet, verum et eadem die jeiunium servaret. Hanc fuisse antiquam Ecclesiae di-

sciplinam, a sacris etiam Canonibus praeceptam, tradit inter alios S. Petrus Damiani, qui claruit Saeculo XI. Lib. VI. Epistola XXXIII. Quum non pro solo Clero, sed et pro universo etiam fideli populo instituta primitus fuerit sacra ista Processio, hinc merito Rituales Codices mandant, ac praesertim Romanus, ut Clerus, et Populus hora statuta mane in Ecclesia congregati, omnes contrito, et humili corde Deum flexis genibus paulisper precentur. Quanto olim concursu, quantave celebritate, ipsa potissimum Processio die XXV. Aprilis Festo S. Marci a Clero pariter, et Populo perageretur, testis est Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto S. Petri Canonico, num. LVI. *In Litaniis Maioribus*, inquit, *omnes Cruces Romanae Civitatis cum Clero, et Populo honorifice cum Processione procedant ad S. Marcum.* Si antiquos Codices Rituales spectemus, oblongam fuisse hanc Processionem addiscimus ob varias Stationes, quae in variis Ecclesiis fiebant.

II. Joannis Baptistae Nativitas (1) solemni vigiliarum cultu in veterrimis Ecclesiae fastis praevenitur; hinc et in Martyrologiis haec vigilia adnotata, ut a Beda, Rabano, Adone, Usuardo, et Notkero, Martyrologio Augustano, et Ottoboniano. Ante hos huius vigiliae meminit Gregorius Turonensis Lib. X. cap. XXXI. ubi de S. Perpetuo Turonensi. Celeberrima utique fuit Nativitatis S. Joannis Baptistae Festivitas, toti antiquitati venerabilis, ac spiritualibus gaudiis, aliis Sanctorum festivitatibus praecellens, in qua olim tres cantabantur Missae, ut notat Amalarius, Lib. III. cap. XVIII. et alii. Quot quot praeterea reliqua sunt vetustiora Kalendaria, atque Martyrologia Orientalis, Occidentalisque Ecclesiae, huius festi memoriam habent. In Gallicanis insuper Ecclesiis ea die solemni Baptismo Catechumeni lustrabantur, teste Gregorio Turonensi *Hist. Franc. Lib. 8. c. 9.* Ritu solemni celebrari consuevisse olim Vesperas non modo, sed et Matutinum nocte a Pontifice cum Cardinalibus

(1) Vide Paciaudi, *De cultu S. Joannis Baptistae.*

in Basilica Lateranensi, testis Ordo Romanus XII. Auctore Cencio. Dignum notatu est; quod tempore S. Augustini nativitas S. Joannis Baptistae inter eas habebatur festivitates, quas ex maiorum traditione susceperat Ecclesia, uti ipse innuit in Sermone 292.

III. Beatorum Apostolorum Petri et Pauli celebritas (1) et Romae, et ubique gentium in Ecclesia Catholica ab ipso eorum martyrio cultu solemni peracta fuit, ut ex veterum monumentis patet. Si veterem Romanae Ecclesiae ritum spectemus, tertio Kalendas Julii, sive die XXIX. Junii, tres olim Missae celebrabantur, totidem enim in pervetusto Gelasii Sacramentario leguntur Missae. Easdem continet Codex MS. Bibliothecae Regis Francorum. Constat quoque ut doctissimus Martene observat, Summum Pontificem olim duas in Festo S. Petri Missas celebrasse, primam in S. Petri Basilica, secundam ad S. Paulum, probatque ex celebri Prudentii testimonio, qui XII. Hymno Peristephanon, Carmine LXIIII., ita inquit:

Ibimus ulterius quae fert via pontis Hadriani,
Laevam deinde fluminis petemus.
Transtyberina prius solvit Sacra pervigil Sacerdos,
Mox huc recurrit, duplicatque vota.

Quin et S. Ambrosii Hymnus, ad hunc diem praesertim compositus, innuere videtur, concursu populi Romani tres in Festo S. Petri Ecclesias frequentatas fuisse; sic enim ait:

Tantae per urbis ambitum
Stipata tendunt agmina
Trinis celebratur viis.
Festum Sanctorum Martyrum.

Plura in hanc rem notavit quidem Baronius in Notis ad Martryologium Romanum; sed sciendum illud potissi-

(1) Martene, *De antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis.* Caput XIV.

mum est, quod cum propter locorum distantiam Summi Pontifices in praedictis duabus Basilicis eodem die non sine gravi labore Sacris operari possent, consultius visum est, ut tertio Kalendas Julii tam Petri, quam Pauli solemnitas ageretur, sequenti vero die S. Pauli commemoratio ageretur.

IV. Constat insuper ad eamdem solemnem diem ex diversis Orbis regionibus innumerabilem hominum multitudinem, Religionis ergo, Romam confluere consuevisse. Episcopos etiam hinc inde ad eamdem solemnitatem olim confluere consuevisse, et ex Epistola 13. Paulini ad Severum, et 16. ad Delphinum, ubi solemnem hanc appellat consuetudinem, satis exploratum habetur. Vetustissimus etiam mos fuit, Imagines SS. Apostolorum Petri et Pauli, Religionis ergo effingere, easque in Ecclesiis affigere, inscriptis nominibus cuiusque Apostoli, ac domi item asservari, ut elicitur ex Eusebio Lib. VII. cap. XIV. ex Augustino de consensu Evangelistarum Lib. I. cap. X. et ex Gregorio Turonensi in Lib. *de vitis Patrum* cap. XII. ubi iconicas Apostolorum meminit. Sequioribus saeculis celebrare consuevisse hac die Summos Pontifices solemnissimo ritu Missarum solemnia, in iisque etiam Concionem habere, tradit inter alios Ordo Romanus XIV. cap. XCVIII. Nequid insuper de antiquo ritu omittamus, qui scilicet in Missa huius Festi agebatur, addendum est fieri (1) etiam consuevisse hac die Laudes Papae, et coronationem. Quo loco, quo mortis genere, quando martyrium fecerint Beatissimi Apostoli Petrus, et Paulus, pluribus egit Baronius ad an. 69. num. 1. et seq. existimatque, ambos una eademque die peremptos, Neronis jussu.

V. Latini quidem Scriptores (2) multa de S. Petri ad Vincula Festi institutione habent; sed cum plurimum inter se dissentiant, difficillimum est in tanta varietate opinionum veritatem assequi. Nam quidam a S. Alexan-

(1) Vide Cuccagni, *Vita di S. Pietro.*
(2) Monsacrati, *De Catenis S. Petri Dissertatio.*

dro Papa institutum volunt. Ita auctor Sermonis in Vincula S. Petri inter opera Bedae, Petrus Blesensis, Durandus, Petrus de Natalibus, et alii. Nonnulli a S. Silvestro; quos inter Auctor Epistolae ad Eustochium, et Polydorus Virgilius de Rerum Inventoribus. In veteri Breviario saeculi XV. id a Siricio factum perhibetur. Sigebertus in Chronico, Balaeus, et Genebrardus ad Sixtum III. referunt. Auctor Sermonis in Vincula S. Petri, qui in Homiliario Alcuini extat, Joannes Belethus, Lectionarium Basilicae S. Stephani Bononiae, Honorius Augustodonensis, Breviarium Palatino Vaticanum, Pompeius Ugonius, et alii initium habuisse affirmant sub Eudoxia, quando nimirum illa Catenas Hierosolymitanas Romam deferendas curavit. Sunt aliqui qui hunc diem festum institutum affirmant, non Leonis Magni aetate sed sub Pelagio I. Sed minime praetereundum videtur, quod festo hoc Vinculorum die vigebat mos satis antiquus apud Christianos catenas illas causa Religionis exosculandi. Cuius quidam moris in antiquis Sacramentariis, et Martyrologiis fit mentio.

VI. Solemne huius diei Officium non solum in Gregorii Magni Antiphonario, eiusque Sacramentariis a Pamelio, Angelo Rocca, et Hugone Menardo editis legitur; verum et in Lectionario Missae, et Capitulari Evangeliorum, quae in manus hominum emisit Cardinalis Thomasius. Adde Martyrologia, Romanum ab Heriberto Rosweido evulgatum, Bedae, Usuardi, Wandalberti, Adonis. Immo, quod plane reticendum non est, pluribus in locis festus hic dies non solum a Clero, sed a Populo solemni religione agebatur. Sane in Kalendario Germanico Beckii dies festus ad Vincula iisdem rubris caracteribus notatur, quibus dies festi S. Laurentii, S. Bartholomaei, et S. Paulini Episcopi Trevirensis. Quid plura? Concilium Oxoniense Wigorniense, et Exoniense dum recensent festos maxime recolendos dies, quibus erat populo a servili munere interdictum, annumerant Vinculorum diem. Qui mos vigebat etiam in Ecclesiis, et Dioecesibus Constantiensi, Rotomagensi, Carnotensi, Co-

loniensi, Rhemensi, et Leodicensi. Sed apud Graecos etiam festus Vinculorum S. Petri dies celebris fuit. Agebant vero illum die XVI. Januarii. Id discimus ex Menologio Basilii Macedonis Imperatoris. Idem legitur in Menologio Graecorum, quod Canisius publicavit. Eumdem recenset quoque Manuel Comnenus Imperator in sua Constitutione de Festis, cui addendum Menologium Chrystophori Mytelenaei. Insuper observat Papebrochius, Graecos diem hunc pleno Officio celebrasse, et quidem cum duplici canone. Denique animadvertendum maximum ac vehemens desiderium fuisse quo Christiani flagrabant, comparandi vel minimam partem aliquam Catenarum: quam si haberent, nihil sibi fere deesse arbitrabantur ad incolumitatem, et fortunas suas. Hinc etiam extitit consuetudo illa Romanorum Pontificum mittendi ad Reges, et Principes viros Petri catenarum ramenta, et annulos, optatissimi muneris loco. Qui annuli pluribus in locis summa diligentia ac religione etiamnum custodiuntur.

Caput VI.

De festis s. Laurentii, omnium Sanctorum, et Commemorationis Defunctorum.

In fastis omnibus Latinorum (1), ac etiam Graecorum die X. Augusti celeberrimus Sanctus Laurentius Martyr colitur. Agunt enim de eo Kalendarium Bucherianum, Polemeius Silvius, Carthaginense, Hieronymianum, Beda, Ado, Usuardus, Notkerus. In libris quoque Liturgicis vetustissimis ubique gentium apud Occidentales Missarum solemnia in natali Sancti Laurentii praenotantur, ut in Gelasiano, in Missali Gothico, in Sacramentariis Gregorianis, et in Capitularibus Evangeliorum. Neque Latinis dumtaxat, sed Graecis etiam summa in veneratione habitus fuit Levita noster sanctissimus. In Antholo-

(1) Georgi, *In Martyrologium Adonis.*

gis, ac Menaeis magnis fit peculiare de S. Laurentio hac die Officium, ubi eius elogium, uti et canon hac acrostichide est signatus:

Laurentium fortissimum, lubens cano.

Plures olim et adhuc etiam in honorem S. Laurentii intra Urbem visuntur Ecclesiae, de quibus frustra esset agere. Vide Bollandianos, et de celeberrimo toto terrarum orbe Laurentii cultu, hac die pag. 485. et seqq. In codice Vaticano 3836. saeculi VIII. pag. 22. et seq. habentur varii Sancti Augustini de sancto Laurentio Sermones, qui inter divina officia legebantur. In omnibus pene antiquis Sacramentariis duae assignantur hac die Missae. Denique observat Durandus S. Laurentii festum triplici gaudere privilegio: 1. quod solus inter Martyres habeat vigiliam: 2. quod cum octava celebretur: 3. quod antiphonae in illius Officio cum versiculis decantentur.

II. Omnium Sanctorum celebritatem Bonifacius IV. instituit, cum expurgato Deorum omnium veteri Fano, quod Pantheon vocabatur, illud idem in honorem Deiparae, omniumque SS. Martyrum dedicavit tempore Phocae Imperatoris die XII. Maji. Porro quum Bonifacius IV. qui electus Romanus Pontifex fuit anno DCVIII. Beatissimae Mariae, et Sanctis Martyribus consecrarat solemnitatem, hanc postmodum Gregorius III. in honorem Sanctorum omnium observari ab omni Ecclesia decrevit. Tandemque Gregorius IV. constituit, ut eadem solemnitas, quae prius III. Idus Maii agebatur, in posterum Kalendis Novembris celebraretur. Agunt de hoc Festo Rabanus, Florus, Ado, Usuardus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, et disertis verbis agit de eo Romanum parvum: *Festivitas Sanctorum, quae celebris, et generalis agitur Romae.* Tandem Sixtus IV. octavam eodem Festo praefinivit. Vide Pagium seniorem ad annum 835., et juniorem in vita Gregorii IV. §. X. sed inter caeteros Thomassinum *de Festis Liber secundus Cap. XXI.* ubi fuse de huius festivitatis origine disserit.

III. Si veterem Ecclesiae disciplinam (1) spectemus, et antiquorum Patrum scripta volvamus, perspectum profecto habemus duplex genus precationum, Sacrorumque pro mortuis, quae vel primis Christi saeculis in usu fuerunt. Primum scilicet pro singulis, seu pro aliquo singillatim; alterum vero pro omnibus simul, qui scilicet nobis praecesserunt cum signo Fidei, et dormiunt in somno pacis. Patrum loca, et veterum exempla in confirmationem eiusmodi disciplinae innumera pene afferri possent, quae tamen recensent passim Theologi, ubi contra haereticos Purgatorium propugnant. Celeberrimum est, quod memoriae prodidit S. Augustinus Lib. IX. *Confessionum*, Cap. ultimo ubi ait: *optimam eius matrem S. Monicam, dum ageret animam, optasse in Sacrificiis nominari: Tantummodo memoriam sui ad Altare tuum fieri desideravit.* Et paulo post: *Inspira, Domine, famulis tuis, ut quotquot haec legerint, meminerint ad altare tuum Monicae famulae tuae cum Patricio quondam eius coniuge.* Docet et illud quoque Augustinus, quod iam alias ceteri Patres tradidere, prodesse mortuis precationes, Sacra, et eleemosynas. Sic enim ait tum alibi, tum vero in Enchiridio, cap. CIX: *Neque negandum est, Defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, quum pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynae in Ecclesia fiunt.* Quantum ad alterum genus precationum, Sacrorumque pro mortuis, quod priscis etiam Patribus perspectum fuit, profecto illud est, quum omnes universe mortui commemorantur ab Ecclesia, rationem habente eorum maxime, quibus nulli sunt propinqui, vel necessarii, qui eis studeant. Ita Augustinus ipse in Libro *de cura pro mortuis*, cap. IV. *Non sunt praetermittendae*, inquit, *supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana, et Catholica Societate Defunctis, etiam tacitis nominibus quorumcumque sub generali commemoratione suscepit Ecclesia.* Orabat ergo Ecclesia, et Sacris operabatur pro omnibus etiam Defunctis

(1) Vide Gretserum, *De Festis.*

generatim, neminem in eius societate mortuum reiiciendo ante Augustini tempora. Id quod etiam perspicue liquet ex antiquissimis Liturgiis. Sanctus Chrysostomus Homilia LXIX. ad populum Antiochenum constanter asserit, quod ab Apostolis haec sancita fuerunt, ut in tremendis Mysteriis, Defunctorum agatur commemoratio. Id quod etiam testatur S. Isidorus Episcopus Hispalensis Lib. I. *de Officiis Ecclesiasticis*, cap. XVIII. dicens: *Sacrificium pro Defunctorum fidelium requie offerri, vel pro eis orari, quia hoc per totum orbem custoditur, credimus, quod ab ipsis Apostolis traditum sit.* Licet autem vel in Ecclesiae primordiis preces, et sacra pro mortuis tum singulatim, quam universe instituta essent, et in quibuslibet Liturgiis Defunctorum generatim memoria recoleretur ut alibi diximus; minime tamen comperimus, Patres, Synodosque, stato aliquo die omnium generatim Defunctorum commemorationem egisse, precesque pro omnibus illis, ac Sacrificia, ut scite notat Thomassinus, obtulisse. Fertur omnium primus Auctor S. Odilo Cluniacensis Abbas ritum hunc in sua Coenobia invexisse, probatum a Pontificibus Maximis, et in quasvis Ecclesias introductum: ita Petrus Damianus in eius rebus gestis, estque haec communis sententia; licet non desint, qui S. Bonifacio Papae IV. institutori Festi omnium Sanctorum, institutionem quoque Commemorationis Fidelium omnium Defunctorum tribuant, uti videre est apud Gavantum in Rubricas Breviarii Romani, Sectione VII. cap. XIII. num. 11. ubi etiam ait, alios facere ritus illius Auctorem Joannem Papam XVI. suadente Odilone. Quicquid sit, inficiari illud non ausim, quin Officium pro Defunctis longe antiquius Odilone sit, cum eiusdem Officii, veluti ritus iam suo aevo usitati, expresse meminerit Amalarius, de ordine Antiphonarii, cap. LXV.

Caput VII.

De festis diebus s. Martini, s. Stephani Protomartyris, s. Joannis Evangelistae, et ss. Innocentium.

I. S. Martini Turonensis Antistitis (1) Festum celebre fuit. In fastis Latinorum omnibus occurrit, nimirum in Martyrologiis Hieronymianis, Beda, Gellonensi, Adone, Usuardo, Wandelberto, Ritu Gallicano veterrimo. Missa Sancti Martini habetur in Missali Gothico. In libris quoque Liturgicis Gregoriani ritus, Missa hac die occurrit in Natali Sancti Martini. Jam inde a priscis temporibus Natalis Sancti Martini festivo cultu in Galliis, ac postea ubique fere agebatur. Ea de re inter caeteros agit Mabillonius Lib. II. de Liturgia Gallicana num. 8. et 1. Concilium Moguntinum an. 813. Mittimus Martini encomia, de quibus Baronius in Notationibus ad Martyrologium hac die. In libris veteribus, quae Acta Sanctorum in divinis Officiis legenda continent, passim occurrit vita Sancti Martini. In omnibus Benedictinorum monasteriis solemnissimum semper extitit S. Martini Festum, et cum octava celebratum fuit passim in cappis, ut praescribitur in Ordinario Cassinensi, Kalendario Cyrensi. Vide Martene *de antiquis Monachorum ritibus*, Lib. IV. cap. IX.

II. Inter Festivitates merito locum (2) obtinet S. Stephani Protomartyris Natale, cuius memoriam altero post Jesu Christi Nativitatem die, saeculo iam quarto solemnem fuisse, constat plane ex Sermonibus S. Gregorii Nysseni, et S. Asterii Amaseae, Auctorum quarti saeculi. Utut autem se res habeat, antiquissima est eius Festi celebratio in Ecclesia Romana, uti constat ex variis Ecclesiis Romae a priscis Summis Pontificibus eius Nomine dedicatis, inter quos S. Simplicius, ut scribit de eo Anastasius, *dedicavit Basilicam S. Stephani in Coelio Monte*

(1) Georgi, *In Martyrologium Adonis.*
(2) Catalano, *Caeremoniale Sanctae Romanae Ecclesiae.* Caput XXV.

in Urbe Roma. De eius Festo Romae summa cum pompa a Papa celebrato mentionem faciunt antiqui Romani Ordines, praesertim vero saec. XI. Auctore Benedicto. Festum hoc magna cum solemnitate celebrabatur. In plerisque Ecclesiis post vesperas Nativitatis dicebantur Vesperae S. Stephani, quarum exordium erat Responsorium, tum hymnus, deinde *Magnificat*, Antiphona, et oratio. In quibusdam cantor deponebat baculum, qui sumebatur a Diacono ad ordinandum chorum; hoc enim die officii faciendi munus Diaconis incumbebat. Apud Joannem Abrincensem legimus, quod Diaconi cappas ferebant, cantabant Antiphonas, Responsoria, et Lectiones; quod Evangelium Matutini canebatur a Diacono, Dalmatica induto, cum candelabris, et incenso sicut in Missa.

III. Sanctum Joannem Evangelistam colit Ecclesia ipso fortassis mortis die. Si enim fides habenda est monumentis, quae minime vacillant, mortem obiit Ephesi, ubi Ecclesiam administraverat. De eo certiorem fecit Victorem Romanum Pontificem Polycrates Ephesinus Episcopus, missis ad eum litteris, quarum meminit Eusebius Lib. III. *Historiae Ecclesiasticae*, cap. XXV. Meminit quoque Sanctus Joannes Chrysostomus Homilia XXVI. in Epistolam Pauli ad Hebraeos. In fastis Comneni S. Joannis celebritas octava Maii die assignatur; Ecclesia tandem Ephesina solemnitatem S. Joannis celebrasse videtur postremis Junii diebus. Venio nunc ad Ecclesiam Latinam, quae cum S. Joannis solemnitatem suis Fastis adscripsit, eam diei vigesimae septimae Decembris alligavit, notatur enim ea in Martyrologiis S. Hieronymi, ac Bedae, Adonis, et Usuardi. In Kalendario etiam Frontonis, et vetustiori Romano a Martene edito tom. 4. *Anecdotorum*, et in Regula Chrodogangi Metensis Episcopi festum S. Joannis eidem diei assignatur. Ecclesia etiam Graeca olim huiusmodi Festum celebrasse videtur post Natalem Domini cum Ecclesia Latina, siquidem Gregorius Nyssenus in Oratione funebri S. Basilii asserit, in Ecclesia sua post Festum Natalis Festa SS. Stephani, Ja-

cobi, Joannis, et Basilii celebrata fuisse. Coluit quidem summopere S. Joannem Evangelistam Ecclesia Romana, ut testantur pervetusta Templa eius titulo dedicata, et antiqui Romani Ordines, qui eiusdem Apostoli mentionem non uno in loco faciunt. In Ordine Romano XIV. cap. XCVIII. inter plures solemnitates, quibus consueverunt Romani Pontifices Missarum solemnia in persona celebrare, recensetur etiam Festivitas S. Joannis Evangelistae. In quibusdam Ecclesiis duae reperiuntur hac die Missae, sicut in magnis solemnitatibus. Joannes Abrincensis observat, in hac secunda Missa Presbyteros omnes Planetis indui solitos, quod S. Joannem Patronum dicerent suum, quemadmodum Diaconi S. Stephanum, et juniores Clericos SS. Innocentes.

IV. Veterum plerique Patrum de Festo Natalis, et Epiphaniae loquentes, sanctorum Innocentium Martyrium extulerunt. Eos S. Irenaeus appellat Jesu Christi Martyres, ab eo praemissos in Regnum suum, tanquam spolia, tenebrarum Principi erepta. S. Gregorius Nyssenus praeclarum pariter eorum elogium texit in Sermone Natalis; et S. Joannes Chrysostomus in expositione S. Matthaei non dubitat, quin Innocentes, cum pro Christo mortui fuerint, magnam a Christo remunerationem acceperint. Prudentius magnificum et elegantissimum hymnum in eorum laudem composuit una cum hymno Epiphaniae. Gavantus asserit antiquissimum esse Festum SS. Innocentium, idque eruit ex quibusdam Homiliis Origeni tributis, praesertim vero ex tertia, ubi loquitur de martyrio Innocentium, eorumque Festo, tamquam antiquissimo, cum in Homilia legatur: *Bene SS. Patres eorum memoriam celebrari mandaverunt sempiternam.* Verum praedictas Homilias omnibus legentibus, non solum patet eas non esse Origenis, sed non posse esse, nisi foetus Auctoris alicuius Latini; scatent enim vaniloquiis, antithetis, verborum lusibus, et allusionibus. Thomassinus tamquam suppositas reputat tales homilias. Minus quoque probari potest, Infantes istos non solum habuisse festum, sed etiam octavam tempore Sancti Au-

gustini, ex quo in Catalogo suorum Sermonum per Possidium allato aliqui legantur hoc titulo inscripti: *De Octavis Infantium Tractatus duo.* Nomine enim infantium ibi non alii veniunt, nisi recens regenerati per Baptismum, de quibus dicitur: *quasi modo geniti Infantes* etc. qui vestem candidam per octo dies deferebant, et die octavo, nempe Dominica post Pascha talem vestem deponebant. Insuper nullus profecto prolatus fuit sermo a Sancto Augustino super Festo SS. Martyrum Innocentium. In Kalendario Carthaginensi de Innocentium Festo sermo brevis habetur his conceptis verbis: *V. Kalendas Januarii Sanctorum Infantium, quos Herodes occidit,* ex quo inferri potest hoc Festum prius in Africa celebratum fuisse, unde Romam, et deinde in Galliam transierit. Nonnullas et quidem validas subnectit rationes Grancolas. Sed cum Prudentius, qui floruit anno 490. Hymnum composuerit in honorem SS. Innocentium, coniici potest ab illo usque tempore Ecclesiam praedictis Martyribus cultum praestitisse, et si non peculiare Festum, memoriam saltem aliquam in Festis diebus de iisdem Infantibus pro Christo occisis, exhibuisse.

V. Insuper Officium Innocentium ab origine sua nihil habuisse lugubre; sed hoc postea invectum fuisse in aliquibus tantum saecularium Ecclesiis; in Monasteriis vero semper dictum fuisse *Gloria in Excelsis* ad Missam, et *Te Deum* ad Matutinum. Praeter Amalarium quaesiere Scriptores alii, cur hoc Officium lugubre sit. Micrologus cap. 36. asserit, Innocentes quamvis martyrium passi sint, gloriam tamen post eorum mortem non esse adeptos, sed expectasse post mortem Christi, ideoque eorum octavam, quae eorum gloriam repraesentat, laetitiae signis in Officio celebrari. Gavantus aliam affert rationem, quam etiam assignat Durandus *in Rationali Divinorum Officiorum. Lib. cap. 41. num. 11.* nimirum quia auctor huius Officii coniungi nos vult animis devotarum mulierum, quae in morte Innocentium doluerunt, et planxerunt. Hoc die olim Romae nigris quoque vestimentis utebantur, et a carnibus abstinebant, nisi occurreret

in Dominica, ut notat Ordo Romani Canonici Benedicti. In Officio non negligenda est Collecta quae omnium fere pulcherrima est, elegantissima, atque optime expressa. Innocentium Officium semiduplex tantum erat Durandi tempore, et in aliis Ordinariis a Grancolasio relatis: Pius V. duplex esse voluit. In quibusdam Ecclesiis dicebantur duae Missae, has duas Missas memorant Joannes Abrincensis, Durandus, et alia pleraque Ordinaria. Quod Diaconi in festo S. Stephani, et Presbyteri die S. Joannis, id in festo SS. Innocentium praestabant pueri, hoc est, praecipuam in divinis Officiis partem, quantum per eorum aetatem liceret, habebant, superiores chori sedes occupabant, antiphonas et responsoria cantabant, chorum regebant cum proprio cantore. Ceterum cum ex huiusmodi puerorum ritibus perplures subrepsissent abusus, eos de medio tollere tentavit Concilium Basileense sessione 21.

EXPLICIT LIBER OCTAVUS.

LIBER NONUS

DE SANCTORUM CULTU.

Caput I.

De Sanctorum cultu et invocatione.

I. Sanctorum Patrum, religiosum (1) Sanctorum cultum sive scriptis sive exemplis docentium tot tantaque sunt testimonia, tamque perspicua, ut nulla plane effugia, nulla diverticula iis declinandis reliqua sint recentibus agiomachis. Nos e multis (est enim haec Theologorum sparta) perpauca proferemus. Origenes, tertii saeculi Scriptor Homilia III. quum Martyrium mentionem iniecisset: *Horum*, inquit, *memoria semper*, *ut dignum est*, *in Ecclesia celebratur*. S. Ciprianus Epistola 37. ubi dies excessus Martyrum diligenter adnotari iubet, ut cum honore celebrentur. *Denique*, inquit, *et dies eorum inter Memorias Martyrum celebrare possimus*. Eusebius Caesariensis Lib. XIII. *Praeparat. Evang. Nos*, inquit, *quotidie id factitamus: nam verae pietatis milites, ut Dei amicissimos honoramus*. S. Basilius Epistola 291. ad Ponticae Dioecesis Episcopus: *Martyrum honores*, inquit, *cum summo studio procurantur ab iis qui in Domino sperant; tum im-*

(1) Petavius, *De Incarnatione*. Lib. XIV. cap. 13.

primis a vobis qui virtuti operam datis... Cum igitur inter Martyres excellant Eutychius et Damas, eorumque socii quorum memoriam civitas nostra, et circumiecta undequaque regio celebrat; hoc vobis tanquam proprio suo ornamento in memoriam revocat Ecclesia, mea voce vos exhortans, ut veterem consuetudinem invisenti non resumatis. Legatur eiusdem Oratio in quadraginta Martyres, Orationes in Mamantem, in Gordium, in Barlaam, in Julittam Martyres; quae totidem sunt monumenta, quae religiosum Sanctorum cultum in Ecclesia S. Basilii tempore celebrem fuisse astruunt, et hanc fuisse Ecclesiae Fidem, quod Sancti colendi essent. Quod vero Natales eorum celebrare, eorum memorias frequentare, implorare patrocinia pium esset, evidenter probat S. Gregorius Nazianzenus *Orat. I.* contra Julianum, ubi rem narrat prorsus mirabilem; impium scilicet apostatam, cum Martyrem quemdam adprecaretur, ab eo reiectum palam fuisse: tum exclamat: *O insignem Martyrum, inter se charitatem: honorem illius recusarunt, qui multos Martyres contemptui habiturus erat.* Legatur eiusdem Oratio decimaoctava in Cyprianum Martyrem. *Martyrum*, inquit, *honoribus oblector, pugilum cruoribus exulto, atque aliorum quidem certamina et victoriae sunt coronae autem meae.... Atque omnium quidem Martyrum memoria celebranda est.* Leguntur S. Joannis Chrysostomi Homiliae de SS. Martyribus Iuventio et Maximo, de S. Pelagia Virgine et Martyre, de Sancto Ignatio Martyre, de Sancto Romano, de Sancto Juliano, de Sancta Babyla, de S. Balaam, de S. Luciano Martyribus; de S. Meletio Antiocheno Episcopo; de SS. Virginibus et Martyribus Berenice, et Prosdoce, et Domnina earum matre, in quibus locupletissima sunt testimonia cultus religiosi Sanctis exhibiti. S. Maximus, seu antiqui Auctoris Sermonum sub S. Ambrosii nomine editorum, in Sermone de SS. Nazario et Celso Martyribus, *Honoremus*, inquit, *Beatos Martyres Principes Fidei, intercessores mundi, praecones regni, cohaeredes Dei.... Honorare debemus servos Dei: quanto magis amicos Dei?* S. Augustinus Libro 20. contra Faustum, cap. 21. *Populus Christianus,*

inquit, *memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus eorum adiuvetur.*

II. Idipsum confirmatur ex Liturgiis. Ex Sacramentario Leoniano col. 293. *Tibi enim festiva solemnitas agitur, tibi dies sacrata celebratur, quam Beati Sancti Tiburtii Martyris tui sanguis etc.* Ex Sacramentario Gelasiano p. 7. *Sicut divina laudamus in Sancti Stephani passione magnalia.* Ex Missali Gothico p. 242. *Ut per triumphos tuorum testium et sollemnitatum gloriam, et devotionum exempla susciperes.* Ex Missali Francorum p. 359. *Unde benedicimus te, Domine, in operibus tuis, teque in Sanctorum tuorum profectione laudamus.* Ex Libello Orationum Gothico-Hispano p. 39. *Adsistat ergo nunc, Omnipotens Pater, tantus Martyr, et faveat credentium votis, ut ea, quae sibi propter te impendi cognoscit, famulantibus tibi ex te uberius recompenset.* Ex Libro Sacramentorum S. Gregorii Magni in Natali SS. Cornelii et Cypriani in oratione ad complendum col. 129. *Quaesumus, Domine, salutaribus repleti mysteriis, ut quorum solemnia celebramus, orationibus adiuvemur.* Insuper Martyrologia et Kalendaria invicta sunt pro Traditione in nostrum Dogma Monumenta. Hoc Fastorum genus in cultum et honorem Sanctorum, ab antiquis Christiani nominis aetatibus longe lateque usitatissimum fuit. Et doctus Joannes Molanus in Commentario quod de Martyrologiis cap. XVIII. instituit *de utilitate Martyrologiorum contra haereses*, praeter alia, inde deducit et commendat *constabilitam catholicam doctrinam... de Sanctorum cultu et Reliquiarum veneratione.*

III. His vero complura subnecti possunt, videlicet 1. Imagines vetustissimae Sanctorum, aut pictae, aut sculptae in eorumdem memoriam et cultum a priscis fidelibus, quas in fragmentis vitreis, aliisque materiis observare licet apud interpretes Romae subterraneae, et Buonarrotium in observationibus: 2. Imagines minus veteres, quae in tabulis varii generis plerosque honoris gratia repraesentant coelites sacerrimo *Sancti* titulo adscripto, prout antiquiora ferebant tempora sub sigla *Scs*, vel

etiam quandoque sub sigla S. Eas propemodum innumeras habes apud Aringhum, in *Roma subterranea*; Ciampinum, *Vetera Monumenta*; et Gorium, tom. 3. *Diptycorum*.

IV. Pro Sanctorum Invocatione (1) suffragantur testimonia Patrum. S. Cyprianus anno 248. in Epistola 57. ad Cornelium col. 206. existimat, per Sanctorum apud Deum regnantium orationes homines hic degentes adiuvari, et sic utilem esse apud Deum eorum intercessionem: *Memores nostri*, inquit, *invicem simus*, *concordes atque unanimes utrobique pro nobis semper oremus, pressuras et angustias mutua charitate relevemus. Et, si quis isthinc nostrum prior Divinae dignationis celeritate praecesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio*; *pro fratribus, et sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio*. Et in Libro de habitu Virginum in fine sic ipsas alloquitur: *Durate fortiter*, *spiritaliter pergite*, *pervenite feliciter*; *tantum mementote tunc nostri*, *cum incipiet in vobis virginitas honorari*. S. Basilius Homilia XIX in quadraginta Martyres, communem suis temporibus Sanctos invocandi consuetudinem sic exhibet: *Qui affligitur*, *ad Quadraginta confugit*: *qui laetatur, ad ipsos occurrit hic, ut malorum exitum inveniat*: *ille ut in secundis rebus conservetur*. Tum quibusdam interpositis, *O communes* inquit, *Custodes humani generis*: *boni curarum socii*; *orationis adiutores, legati potentissimi, stellae orbis terrarum, Ecclesiarum flores*: quae verba ab Joanne Damasceno citantur in Libro de *Imaginibus* pag. 748. S. Gregorius Nazianzenus multis in locis idipsum approbat. In panegyricis Sanctorum laudationibus saepe illos invocat, et ut pro se Deum exorent, ab eoque beneficia postulent, interpellat, ut in fine Orationis XVIII., quae est in S. Cyprianum Martyrem: *Tu vero nos*, inquit, *e Caelo benignus aspice*, *et orationem nostram*, *ac vitam guberna*. Etiam in oratione ad S. Basilium, optat ut res suae precibus illius meliore cursu ferantur. S. Gregorius Nyssenus Oratione secun-

(1) Trombelli, *De cultu Sanctorum*. Diss. V. Cap. XVI.

da in Quadraginta Martyres, in eius fine precatur, ut martyrum istorum *ope, et interventu corroborati fideles ad Paradisum perveniant.* In Oratione vero in S. Theodorum latissime Sanctorum invocationem, et pro vivis sedulam orationem confirmat. Hunc enim invocat, et eius implorat auxilium: *Intercede*, inquit, *pro patria apud communem Regem ac Dominum..... Quod si maiori etiam opus fuerit advocatione ac intercessione, fratrum tuorum Martyrum coge chorum, et cum omnibus una deprecare.... Admone Petrum, excita Paulum, nec non Joannem Theologum ac Dilectum Discipulum, ut pro Ecclesiis quas constituerunt solliciti sint.* Jam Chrysostomus innumera et praeclara testimonia affert pro Sanctorum invocatione. Sic in Oratione de S. Ignatio sub finem, testatur, omnes, qui ad illum Martyrem accedunt, multa per eum impetrare beneficia: et Antiochenses hortatur, ut ad eum confugiant, uti precibus Sanctorum istorum ad eorum consortium aliquando perducantur. Rursus in Homilia de Sanctis Berenice etc. *Non solum*, inquit, *in hoc die festo; sed in aliis etiam diebus ad illas adhaerescamus, deprecemur eas, oremus uti patronae nostrae sint.* Idipsum et in fine Homiliae LXXVI. de Sanctis Juventino et Maximino dicit, Martyres capita sua pro Christo abscissa manibus praeferentes, facile ab Rege impetrare omnia. Jam Augustini infinita sunt eiusdem generis testimonia; ex quibus aliqua commemorari hic oportet. In sermone primo de S. Stephano: *Commendemus, ergo nos orationibus eius. Multo magis enim nunc exaudietur pro veneratoribus suis, qui sic exauditus est, tunc pro lapidatoribus suis.* Rursus in Sermone de Diversis XCIV., cap. V. SS. Paulum, et Stephanum compellans: *Ambo ibi vos videtis*, inquit, *ambo vos sermonem nostrum auditis, ambo pro nobis orate: ambo vos exaudiet, qui vos coronavit etc.* Insuper in Libro septimo de Baptismo, contra Donatistas, ubi S. Cyprianum Martyrem his verbis invocat: *Adiuvet itaque nos in orationibus suis in istius carnis mortalitate, tanquam in caliginosa nube, laborantes, ut donante Domino quantum possumus, bona eius imitemur.* Similes invocationes in eius Ser-

monibus de Sanctis passim leguntur. S. Hieronymus *Epistola* 27. quae est Epitaphium Paulae, his verbis sanctam illam foeminam appellat: *Vale o Paula, et cultoris tui ultimam senectutem orationibus iuva. Fides et opera tua Christo te sociant. Praesens, quod postulas, facilius impetrabis.* Sed copiosissime de hoc ipso disputat in Libro contra Vigilantium, qui adversus Sanctos, eorumque cultum, ac Reliquiarum venerationem, et cetera eodem spectantia impudenti ore ac stilo depugnabat. His suffragantur S. Paulinus Episcopus Nolanus in variis Carminibus, sed praecipue in Natalibus Panegyricis S. Felicis, in Panegyrico de obitu Celsi pueri, et in *Epistola* 12. ad Severum cui versus aliquot in S. Clari memoriam elucubratos adiunxit. Prudentius in Hymno primo Περι στεφανων, in Hymno secundo de S. Laurentio, in quinto de S. Vincentio, et aliis. Sanctus Gaudentius Brixianus in Tractatu 17. *De Dedicatione Basilicae Sanctorum quadraginta Martyrum.* His concinunt alii Patres, et Scriptores Ecclesiastici. S. Leo, *in sermone I. de Natali SS. Apostolorum Petri et Pauli*; Sanctus Maximus Taurinensis Episcopus, in *Homilia de Natali Sanctae Agnetis*; S. Gregorius Magnus, *Homilia 52. de Sanctis Processo et Martiniano*; S. Gregorius Turonensis, Lib. I. *de Gloria Martyrum, capite* 94.; S. Bernardus, *Sermone LXII. in Cantica.* Petrus item Damianus *Sermone LV.* in festo omnium Sanctorum, *Isti sunt* inquit, *advocati*, *quos apud Judicem habemus.* Ennodius crebra dat precum ad Sanctos fusarum, et spei in eorum intercessione argumenta, quae singula referre si vellem, nimio plus oratio excresceret. Sancta Synodus Oecumenica Chalcedonensis invocationem Sanctorum exemplo suo confirmavit utilem esse ac religiosam. Actione namque II. Patres conclamarunt: *Flavianus post mortem vivit: Martyr pro nobis oret.*

V. Sanctorum Patrum testimonia a nobis allata sunt, pro Sanctorum invocatione, nunc reliquum est ut aliqua ex Martyrum Actis in medium afferamus. Acta Martyrum Scillitanorum, qui anno 200. passi sunt, his verbis clauduntur: *Consummati sunt Christi Martyres mense Ju-*

lio die septimo decimo, et intercedunt pro nobis ad Dominum nostrum Jesum Christum. In Actis S. Maximi Martyris anni 250. apud Theodoricum Ruinart pag. 133. num. 2. sic legitur: *Mihi enim nec fustes, nec ungulae, nec ignis sentiendi dant dolorem, quia in me manet gratia Christi, quae me salvum faciet in aeternum omnium Sanctorum orationibus, qui in hac colluctatione certantes, vestras superaverunt insanias, nobisque virtutum exempla reliquerunt.* Confirmatur hoc ipsum ex Actis S. Theodoti Ancyrani circa annum 303. apud eumdem Ruinart pag. 307. num. 31. ubi Martyr sic loquitur: *Glorificate Dominum nostrum Jesum Christum, qui fecit, ut perficerem cursum meum, et inimicum superarem; deinceps enim in caelis cum fiducia pro vobis deprecabor.* Celebreque est illud, de quo testatur Historia Martyrii Sanctae Potamienae apud Eusebium Lib. 6. *Histor. Eccles.* cap. 5. iuxta eiusdem Ruinart expositionem. Ineunte saeculo tertio praedictum contigit Martyrium; et postquam Eusebius retulit, eam a vulgo vexatam percussionibus et obscenis verbis, a Basilide vero humaniter acceptam fuisse, subdit: *Illa vero* (hoc est Potamiena) *benignitatem hominis erga se libenter amplectens, bono animo eum esse iussit, se namque post obitum salutem ipsius a Domino impetraturam, et collocata in se beneficia brevi remuneraturam esse.* His accedit Liturgiarum auctoritas. Ex Sacramentario Leoniano Col. 296. *Impetret, quaesumus Domine, fidelibus tuis auxilium oratio iusta Sanctorum.* Ex Sacramentario Gelasiano pag. 7. *Ita sit* (S. Stephanus) *fragilitatis nostrae promptus adiutor.* Ex Missali Gothico pag. 238. *Tribue quaesumus per interventum ipsius* (S. Stephani), *ut viventes salutem, defuncti requiem consequantur aeternam.* Ex Missali Francorum pag. 358. *Supplicationibus nostris misericordiam quam confidimus adfuturam, quam Beati Helarii Confessoris tui poscimus interventu, nobis et confessione praestari.* Ex Libello Orationum Gothico-Hispanico pag. 128. *Adsistat ergo nobis precibus suis* (S. Felix), *ut quibus eius est memoria speciosa in saeculo, sit subventio in futuro.* Quibus addi debent Ordo Romanus editus a Mabillonio in

Musaeo Italico, et Sacramentarium S. Gregorii Magni. Sed pulchrum est testimonium, quod habetur in Catechesi Mystagogica S. Cyrilli Hierosolymitani, qui Liturgiam declarans, inquit: *Postea recordamur eorum, qui obdormierunt; Sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat.*

Caput II.

De Canonizatione Sanctorum.

I. Canonizatio est canonica, solemnis et publica definitio: per Summum Pontificem facta, quod aliquis Sanctus ab omnibus honoretur, et catalogo aliorum Sanctorum adscribatur, et fiat certa die annuatim Officium solemne pro eo. Cuilibet olim Episcopo in sua Dioecesi, Sanctos canonizare licebat, ut apud S. Cyprianum videre est. Sanctus namque Cyprianus Epistola 37. ad Clerum suum scribens, hortatur, ut omnem humanitatem, et curam erga Confessores (hoc est Martyres) adhibeat; nec non diem, quo quisque ex hac vita decedit; in Codices diligenter referat ad memoriam eorumdem singulo quoque anno concelebrandam. Hoc ius sequentibus temporibus observant eruditi, non ita passim omnibus creditum, sed maioribus Praelatis dumtaxat concessum fuisse. Moris enim erat, ut cum aliquis martyrio occubuisset, rem gestam scriberet Episcopus, sub cuius ditione id accidisset, ad Metropolitanum Episcopum, a quo mature adhibitis in consilium collegis Episcopis; an inter Martyres is esset recipiendus decernebatur. Cuius rei ritum et ordinem satis monstrant, ea quae Sanctus Augustinus scribit in Breviculo. *Collat.* 3. Solemnis est quidem illa Alexandri III. Decretalis, quam Innocentius III. firmavit, qua inhibitum est, ne deinceps aliquis pro Sancto coli incipiat, sine Pontificis Summi approbatione, ut habetur cap. I. et 2. Tit. *De reliquiis et Sanctorum veneratione.* De hac Alexandri III. Decretali loquen-

do, magna est inter doctos disputatio. Censent enim nonnulli, ius novum fuisse a dicta Decretali statutum. Ita sentit Cardinalis Bellarminus Lib. I. *de SS. Beatitudine* cap. 8. num. 2. Joannes Mabillonius, et Lucas d'Acheri *in praefatione ad saeculum V. Benedictinum* §. 6. num. 105. inquiunt: *Jam vero Alexander III. id, tamquam unam ex maioribus causis, ad Romanum Pontificem pertinere edixit:* et sequuntur Pagi *in Breviario Romanorum Pontificum in vita Alexandri III.* Alii contra in ea sunt opinione, quod nullum ius novum fuerit introductum per Decretalem citatam. Ita docent Gonzalez, in dicto Capite *Audivimus sub. num. 6. de Reliquiis et veneratione Sanctorum*; Victon, *in Tractatu de Canonizatione Sanctorum cap. 12. prope finem*; Auctor *Tractatus Canonizationis Sanctorum ad Cardinalem Montis Regalis* 2. part. cap. 1. ubi ponderata Alexandrina Decretali subdit: *Existimo autem, hanc legem esse multo antiquiorem; non enim hoc loco id statuit Pontifex, sed quasi iam constitutum commemorat.* Bivarius *In Comment. Chronici Marci Maximi in S. Joanne Eremita vindicato* §. 6. et fusius hoc ipsum prosequuntur Godefridus Henschenius et Daniel Papebrochius *in Propylaeo Dissert.* 20. n. 6. quo in loco, pensatis verbis Alexandri, subiungunt: *Haec vero loquendi forma decretum non facit, sed factum, et vulgo notum supponit.* Verum, quidquid sit de hac controversia, certum esse videtur, nunquam Episcopos potuisse veras peragere Canonizationes. Praecipere enim, ut aliquis tamquam Sanctus publico cultu colatur in universa Ecclesia, nec potest, nec potuit unquam ad eum pertinere, qui limitatam obtinet iurisdictionem in una Dioecesi aut Provincia, sed ad eum tantummodo, qui ius obtinet in universa Ecclesia.

II. A primis itaque Ecclesiae saeculis factae fuerunt, tacita vel expressa intercedente Pontificia auctoritate, SS. Canonizationes. Et re quidem vera saeculo IV. Acta S. Vigilii Episcopi Tridentini et Martyris ad Summum Pontificem transmissa sunt, pro cultu erga eumdem statuendo. S. Maurus Abbas, in Gallias a S. Benedicto mis-

sus, constructo ibi celebri Monasterio, cui quadraginta praefuit annis, miraculorum gloria clarus in pace quievit; et eius vita conscripta fuit a Fausto Monacho, uti meminit Petrus Diaconus. Leo Ostiensis *in Chronico Cassinensi* Lib. 1. cap. 3. tom. 4. *Scriptor. Rerum Italicarum Muratorii* refert, Faustum ex Galliis Romam reducem, vitam S. Mauri a se compositam Bonifacio III. Pontifici obtulisse, ut eam sua auctoritate roboraret. Kilianus Episcopus cum Colomanno Presbytero, et Totmanno, seu Totnanno Diacono Christi Fidem in civitate Herbipolensi annuntiavit, et interfectus est una cum sociis. Eorum subinde Corpora in summa fuerunt veneratione, et ad eorum sepulchra multa facta sunt miracula, solemnisque Corporum translatio contigit anno 752. uti refert Anonymus Auctor vitae S. Burkardi apud Mabillonium *Saec. 3. Benedictinum.* part. 1. Porro contendit Castellinus *in suo Tractatu de certitudine gloriae Sanctorum* pag. 424. §. 3. eos auctoritate Zachariae Summi Pontificis fuisse in Sanctorum album relatos. Sed in ea corporum elevatione interventus adfuit auctoritatis Summi Pontificis: sic enim legitur in Actis praedictorum Sanctorum apud Mabillonium Saec. 2. part. 2. *Actorum SS. Ordinis S. Benedicti* pag. 993. num. 12. *Illustrante autem Domino merita eorum* (hoc est S. Kiliani ac sociorum) *cum consilio et praecepto Zachariae Papae, mediante Bonifacio Archiepiscopo* (Moguntino) *de tumulo honorifice sublevati sunt, regnante Pipino I. Orientalium Francorum Rege.* De S. Burckardo haec leguntur apud Mabillonium Saec. 3. *Acta SS. Ord. S. Benedicti* part. 1. pag. 700. *Burckardus corpus circa annum 984. ab Hugone Episcopo e tumulo levatum est permissu Benedicti Papae VI. testante Egilwardo in fine libri tertii.* Scriptor Gundensis Monachus contemporaneus tom. 3. Martii Bollandiani pag. 43. narrat Corpora SS. Landoaldi, ac Sociorum fuisse more veteri elevata auctoritate Episcopali, atque sigillis cautissime munita; sed Abbatem Vomarum, ut ampliorem et tutiorem eis cultum impenderet ad Summum Pontificem confugisse, eiusque auctoritatem implorasse, qui tunc erat

Joannes XIII. quem Scriptor vocat *dignae memoriae*, cum paulo ante defunctus esset. Alii fortasse plures actus facti sunt, quos ignoramus, et quorum probationes non extant, quia harum causarum definitio a Romanis Pontificibus fiebat in Synodis, quae quolibet saltem anno cogebantur; uti coniiciunt continuatores Bollandiani *in Propylaeo Diss. 20. num. 4.* ubi sic legitur: *Eiusmodi causarum definitio fiebat in Synodis, quas annue unam, aut plures Romani Pontifices celebrari coram se faciebant etc. Et, quia eiusmodi Synodorum Acta vix scribebantur, sed, ut in iis sola voce decernebantur multa, sic etiam approbatur populorum religio erga eos, quorum annuntiata Synodo Sanctitas, et miracula fuerant.*

III. Hodie ita pertinet ad summum Pontificem Dei Servos in Beatorum, et Sanctorum numerum referre, ut interdictum sit Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis. Ita Contelorius, *de Canonizatione Sanctorum cap. 4. per totum, et praesertim num. 14.*; Matta, *de Canonizatione* SS. part. 4. cap. 4. num. 3. et 4.; Castellanus, *de Canonizatione Sanctorum qu. 3. principali*; Barbosa, in cap. 1. num. 6. *de Reliquiis et veneratione Sanctorum*; Dartis, *de beneficiis*, sect. 1. cap. 3. pag. 12. litt. C. Quoad rationes huius privativi iuris celebris est doctrina Glossae in cap. *Gloriosus de Reliquiis et veneratione Sanctorum in 6.* in qua sic legitur: *Solus Papa habet non solum certos de Sanctis prae aliis extollere, sed etiam eos canonizare multiplici ratione: primo, quia ista est una de maioribus causis, quae inter Christianos proponi possit, et sic est ad Sedem Apostolicam referenda: secundo quia miracula attribuuntur Fidei; haec igitur quaestio, cum sit de Fide, praecipue est ad Sedem Apostolicam referenda* (24. Quaest. 1. Quoties): *tertio, quia ad Papam spectat declarare dubia Scripturarum: Et multo fortius dubia Sanctitatis, quia circa maiora maius periculum vertitur.* Et hasce rationes primum quidem communiter juris Canonici Doctores atque Theologi sequuti sunt, Turrecremata, *in can. Pronuntiandum, quaest. 5. num. 22. de Consecrat. dist. 3.*; Ostiensis, *in cap. Audivimus, num. 10.*; An-

tonius a Butrio num. 7.; Ancaranus, num. 5. v. *Quaero*; Fagnanus, n. 22. et n. 27.; Pirhing, ad Librum 3. *Decretalium tit. de Reliquiis et veneratione Sanctorum* §. 1.; Dominicus a SS. Trinitate *in Bibliotheca Maxima Pontificia* tom. 10. pag. 492.; Gravina, *de Catholicis praescriptionibus* 2. part. tom. 4. pag. 316. Deinde etiam eruditiores et in Ecclesiasticis Historiis peritiores adhaeserunt. Cardinalis Bellarminus *de SS. Beatitudine Lib. I. cap. 8. n. 3. Communis* inquit, *sententia est, pertinere ad Summum Pontificem; nam id habetur cap. Audivimus, et cum ex eo de Reliquiis et veneratione Sanctorum..... et patet etiam ratione; nam ad eum spectat proponere toti Ecclesiae quid sit credendum, et quid agendum in iis, quae sunt Religionis, qui toti Ecclesiae praeest.* Hanc eamdem rationem amplectuntur continuatores Bollandiani in Propylaeo diss. 20. n. 5. *Ad quam denique solum* (nempe Sedem Romanam) *huiusmodi declarationes, vel assensum pertinere, iure optimo sancitum est; eo quod iubere, ut quis a tota Ecclesia pro Sancto habeatur, ad eum tantummodo spectat, qui ius habet proponendi toti Ecclesiae quid credendum, agendumque sit in iis, quae sunt Religionis, uti procul dubio est Sanctorum Canonizatio.* Deceptiones enim aliquando irrepserunt, cum privato Episcoporum iudicio cultus in honorem alicuius in unaquaque dioecesi, aut provincia decernebatur. Interea vero fas sit adnotare pretium rationis a Doctoribus ponderatae de iudicio maiorum causarum ad Sedem Apostolicam deferendo. S. Hilarus *Conc. tom. 4. Collectionis Labbei* Col. 1043. *Epistola 8.* cap. 2. sic loquitur: *In dirimendis sane gravioribus causis, et quae illic non potuerint terminari, Apostolicae Sedis sententia consulatur.* Vigilius quoque ad Auxanium Arelatensem sic *Epistola septima tom. 5. Conciliorum Labbei* col. 320. scribit: *Si qua vero certamina aut de Religione Fidei, quod Deus auferat, aut de quolibet negotio, quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit, evenerint; totius veritatis indagine diligenti ratione discussa, relationis ad nos seriem destinantes, Apostolicae Sedi terminanda servate.* Cumque causae maiores censeantur vel a rerum gravi-

tate, veluti si de Fide, aut capite quodam disciplinae ad cunctas, seu plures Ecclesias pertinente agatur, vel a dignitate personarum, veluti de depositione Episcoporum; nemo est qui non videat, Sanctorum Canonizationes, utpote universam Ecclesiam respicientes, inter causas maiores esse recensendas, adeoque solius Romani Pontificis iudicio reservatas. Quod si iuxta Lelium Jordanem *in Tractatu de maioribus causis,* causa aliquando dicitur maior ob multiplices et graves difficultates, quae in ea discutienda occurrunt: difficultates occurrentes in examine causarum Canonizationis, facile suadent res in classem causarum maiorum esse adscribendas. Porro si causa criminalis contra Episcopum, quae depositione, aut privatione digna sit, causa est maior, a solo Summo Pontifice definienda iuxta Ecclesiae disciplinam a sacro Concilio Tridentino innovatam sess. 24. cap. 5. *de Reformatione*; ecquis erit, qui Canonizationis causam, per quam Dei servus inter Sanctos adscribitur, inter causas maiores a solo Pontifice definiendas dubitet recenseri?

IV. Nonnullae a Theologis congruentissimae excogitatae sunt rationes, ut relictam Ecclesiae potestatem Sanctos canonizandi suadeant, quas in unum congerit Dominicus a SS. Trinitate cap. 18. *in Bibliotheca Maxima Pontificia* pag. 491 tom. 10. ut ex sequentibus eiusdem verbis desumitur: *Cur autem Christus hanc auctoritatem canonizandi Sanctos Ecclesiae suae relinquere voluerit, plures non desunt congruentissimae rationes; praecipuae sunt sequentes. Prima, ut etiam in terris ubi locus agonis legitimique certaminis eorum fuit, hanc laborum suorum mercedem triumphique coronam utcumque reportent. Secunda, ut gloriae essentiali, qua gaudent in caelis, haec accidentalis gloria respondeat ex parte Ecclesiae militantis. Tertia, ut coniungamur nos viatores cum illis per effectum ac venerationem. Quarta, ut nos eorum exemplo provocemur ad earum praesertim virtutum imitationem, in quibus insignes fuerunt. Quinta, ut probetur, Ecclesiam Catholicam non solum quoad legem, sed quoad personas etiam esse sanctam, dum tot iustos, et Sanctos parit, ac beat. Sexta, ut inde gentiles, et*

haeretici confundantur qui non habent personas sanctas et iustas, quas consecrent; quatenus cum sola vera fide, et ubi illa reperitur, vera etiam Sanctitas coniungitur. Septima, ut ita servetur, quae in Symbolo Fidei docetur Sanctorum communio. Ab iisdem rationum momentis, ex quibus Theologi comprobant, esse in Ecclesia, et in Summo Pontifice, tamquam eius visibili Capite, potestatem canonizandi, desumitur quoque, congruere, expedire, et utile esse Sanctorum Canonizationes aliquando peragere. Et primo, quia in Sanctis suis Deus laudatur, et dum Servos honoramus, honor redundat in Dominum; uti legitur in Bullis Canonizationum SS. Udalrici, Antonii Lusitani, Bonaventurae, Hyacinthi, et Joannis Gualberti. Secundo, quia maximopere decet, ut, qui Sanctus est apud Deum, Sanctus etiam ab hominibus habeatur; quemadmodum habetur in Bullis SS. Homoboni, Clarae, Ludovici, et Thomae de Aquino. Tertio quia in Canonizationibus non modo Sancta Mater Ecclesia exaltatur, sed etiam confunduntur Haeretici et ceteri quotquot a Catholica aberrant veritate, siculi legitur in Bulla Canonizationis S. Homoboni. Quarto quia expedit, ut apud Dominum nostri multiplicentur intercessores, quemadmodum habetur in Bulla Canonizationis S. Francisci. Quinto non parum prodest Christifidelibus nova semper habere exempla virtutum, quae imitentur. Facit ad rem illud Sancti Bernardi in *Praefatione ad Vitam S. Malachiae* col. 663. tom. 2. ubi sic inquit: *Semper quidem operae pretium fuit illustres Sanctorum describere vitas, ut sint in speculum et exemplum, ac quoddam veluti condimentum vitae hominum super terram.* Et ante ipsum scripsit S. Eucherius Lugdunensis sive Eusebius Gallicanus *Homilia de SS. Petro et Paulo tom. 6. Biblioth.* PP. pag. 652. *Armantur filiorum animi, dum Patrum recensentur triumphi.* Passim id ipsum in Bullis legitur Canonizationum. Ultimo, quia magna in Beatificationibus et Canonizationibus adest materia spiritualis laetitiae, ut habetur in Bulla Canonizationis S. Hyacinthi.

V. Maior solemnium Canonizationum numerus Ro-

mae, in qua urbe Summi Pontifices residere consueverunt, habitus est. Attamen multa non desunt exempla Canonizationum factarum extra Romam, atque in eo loco, vel civitate, in qua Summi Pontifices morabantur. Gregorius IX. fecit Canonizationem BB. Francisci de Assisio, et Elisabeth in civitate Perusiana, B. Antonii Lusitani in civitate Spoletina, B. Dominici in civitate Reatina. Solemnis Canonizationis decretum in aula Concilii, quando in Conciliis fiebant Canonizationes, publicabatur: ideoque, conventu facto in palatio Lateranensi, Joannes XV. in ipsa aula Concilii, et coram Patribus decretum protulit de Canonizatione B. Udalrici Episcopi Augustae Vindelicorum. Innocentius autem IV. qui in civitate Perusina, solemni ritu inter Sanctos retulit B. Petrum Martyrem, decretum Canonizationis evulgavit in platea Templi PP. Ordinis Praedicatorum, astante Cleri et populi multitudine. Sequioribus saeculis in Basilica Vaticana peragi consueverunt Canonizationes Sanctorum. Et Panvinius in suo *Tractatu de praestantia Basilicae Vaticanae*, qui manuscriptus asservatur in Archivio Capituli, affirmat Sanctorum Canonizationes factas fuisse in Basilica Vaticana eo etiam tempore, quo Summi Pontifices habitabant in Laterano. Occasione solemnis Canonizationis solemnis item instituitur processio. Cardinalis Ostiensis in *Comment. ad Cap. Audivimus de Reliquiis, et veneratione Sanctorum* sub num. 3. meminit conventus Cleri, et populi una cum Summo Pontifice, et Cardinalibus: *Conveniunt Papa, et Fratres, et totus Clerus et Populus.* Cardinalis Jacobus Caietanus in suo Ordine Romano typis impresso apud Mabillonium *Musei Italici* tom. 2. sermonem habens de accessu Papae ad Templum in quo fit Canonizatio, ait Capite 115. pag. 442. *Occurrit ei processio Cleri illius Ecclesiae.* Processionis tamen institutae ante Canonizationem verba facit Volaterranus in Canonizatione S. Bonaventurae sub Sixto IV. apud Raynaldum ad annum 1482. Solet plane ex antiquo ritu in Processione, quae fit in Canonizatione Sanctorum deferri Vexillum cum Imagine eius Beati,

qui est canonizandus, et plura utique feruntur Vexilla, si plures Beati sint illi, qui debent unico actu canonizari, uti sapientissime notat Benedictus XIV. in Opere *de Servorum Dei Beatificatione etc.* Lib. I. cap. XXXVI. ubi etiam docet, eam Vexillum ipsum deferendi consuetudinem initium habuisse a canonizatione S. Stanislai Cracoviensis Episcopi, de qua sic inquit Joannes Longinus apud Bollandianos ad diem 11. Mai tom. 2. pag. 260. *In ipso Canonizationis* (B. Stanislai Episcopi Cracoviensis et Martyris) *et pronuntiationis suae articulo, Innocentio Papa*, eius scilicet nominis IV. qui eum canonizavit anno MCCLIII. *consistente adhuc in Cathedra, Vexillum de rubro colore et puniceo contextum, Pontificalem personam habens pro insigni, in alto pendens, Angelico gestatum ministerio apparuit, a pluribus Christifidelibus, quibus id clementia Divina revelare voluit, non sine admiratione conspectum; rubro colore sanguinis effusionem significans; et Pontificali persona Beatissimum Stanislaum apertissime figurans.* Ad quae verba ita ad rem nostram Papebrochius notavit: *Eo miraculo praebitum exemplum eiusmodi Vexillum exponendi in Canonizatione novorum Sanctorum.* Docet autem inter alia Beatissimus Pontifex Benedictus XIV. in suo laudatissimo Opere, iam non unum, sed plura consuevisse fieri Vexilla pro unoquoque Sancto Canonizando, quorum alterum e Templi Vaticani fornice pensile manet; alterum vero, Canonizatione expleta, quando primum Festum Sancti recens canonizati fit in Ecclesia Ordinis, quem Sanctus, si fuerit Regularis, professus est, vel nationis, ex qua ortum habuit, ad eamdem defertur Ecclesiam. Processio demum, quae instituitur in hac Vexilli delatione, luculenter descripta est a Chiappono in Actis Canonizationis quatuor Sanctorum peractae a Clemente Papa XI.

VI. De Sermone, quem olim Summi Pontifices habere ad populum soliti erant, cum Sanctos canonizabant, loquitur inter alios Petrus Amelius in Ordine Romano XV. *Completo Sermone, et facta admonitione, ut omnes deberent Deum orare.* Aliquando etiam publice recitata fuerunt

miracula a Deo patrata intercessione Beati, qui inter Sanctos referebatur; ut colligitur ex monumento Canonizationis S. Laurentii Archiepiscopi Dublinensis factae ab Honorio III. apud Bessin *in Collect. Conciliorum provinciae Rothomagensis* part. 2. pag. 47. Item in Canonizatione S. Antonii Lusitani, testatur Wadingus, *in Annalibus Minorum* tom. 2. pag. 280. lecta fuisse ex pulpito miracula eius intercessione patrata. Insuper ex praescripto Caeremonialis Sanctae Romanae Ecclesiae cantatur Litania a Cantoribus, et deinde Summus Pontifex stans sine Mitra incipit in voce *Veni Creator Spiritus.* Cuius ritus mentionem facit Romanus Ordo XIV. cap. CXV. *Flexis genibus*, inquit, *fit devota oratio, et Papa debet incipere cantando Hymnum Veni Creator Spiritus.* Idem ritus servatus olim iam fuit in Canonizatione S. Petri Caelestini. Mentionem facit eius ritus et Cardinalis Ostiensis in Capite *Audivimus.* Formula quae a Summo Pontifice pronunciatur in actu Canonizationis, hisce verbis expressa est: *Ad honorem Sanctae, et individuae Trinitatis, et exaltationem Fidei Catholicae, ac Christianae Religionis augmentum, auctoritate eiusdem Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, matura deliberatione praehabita, et Divina ope saepius implorata, ac de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, in urbe existentium consilio,* Beatos NN. *sanctos et sanctas esse decernimus et definimus, ac Sanctorum catalogo adscribimus: statuentes, ab Ecclesia universali illorum memoriam quolibet anno die eorum natali pia devotione recoli debere. In nomine Patris etc.*

VII. Sanctis Canonizatis septem deberi honores, notavit iam post Bellarminum eruditus Rocca in suo Commentario *de Canonizatione Sanctorum*, cap. XXXVIII. sunt autem sequentes I. Canonizati Catalogo Sanctorum adscribuntur, hoc est, iubetur, ac statuitur, ut ab omnibus publice colantur, ac dicantur Sancti. II. Canonizati in publicis Ecclesiae precibus invocantur. III. Templa,

et Arae Deo in eorum memoriam, et honorem erigun-tur. IV. Sacrificia tam Sacrosanctae Eucharistiae, quam laudum, et precum, quod passim Officium, sive Horae Canonicae nuncupatur, Deo in honorem eorumdem publice offeruntur. V. Dies festi in eorumdem honorem celebrantur. VI. Imagines eorumdem pinguntur, addito certo quodam lumine, in signum gloriae quam habent in caelo. VII. Eorumdem Canonizatorum Reliquiae pretiosis thecis inclusae publice in Ecclesia honorantur. Legendus laudatus Bellarminus Lib. I. *De Beatitudine Sanctorum*, sed prae ceteris Benedictus XIV. Lib. I. *De Servorum Dei Beatificatione etc.* cap. XXXVII. quod inscriptum est: *De actibus cultus Servis Dei post Beatificationem deferendis*, ubi rem ipsam fuse, ac solide, doctissimeque pro more suo dilucidavit. Si antiquiora Canonizationum monumenta consulamus, pleraeque procul dubio occurrent Canonizationes Sanctorum, in quibus nulla fit mentio Missae a Summo Pontifice ea occasione celebratae. In Canonizatione enim S. Udalrici Episcopi Augustani facta a Joanne XV. in Synodo Romana, de Missa nullum habetur vestigium. Eiusmodi pariter sunt exempla Canonizationum factarum S. Francisci a Gregorio IX. et S. Petri Martyris ab Innocentio IV. Esse autem antiquum ritum, ut in Canonizatione Sanctorum Missarum solemnia a Summo Pontifice celebrentur, docet nos exemplum Alexandri Papae III. qui in Canonizatione S. Thomae Cantuariensis facta ab ipso post medium saeculum XII. Missam celebravit, ut colligitur ex manuscripto Codice Vaticano de vita eiusdem Alexandri. Meminit et eius ritus Cardinalis Ostiensis in Capite, *Audivimus de Reliquiis etc.* ubi verba faciens de ritibus in Canonizatione servari solitis, sic inter alia inquit: *Cantatur Te Deum Laudamus, et celebrat Missam idem Papa in honorem eiusdem Sancti*. Servatum fuisse hunc ritum in Canonizatione S. Petri Coelestini, in qua Missam Clemens V. celebravit, testis est Auctor, qui dictam Canonizationem carmine exposuit apud Bollandianos die XIX. mensis Maii. Insuper eruditus Phoebeus in sua Disser-

tatione typis impressa post Acta Canonizationis Sanctorum Petri de Alcantara, et Mariae Magdalenae de Pazzis, solide ostendit ex vetustioribus Canonizationum Actis, non esse de essentia Canonizationis, ut Missa a Summo Pontifice tunc celebretur, licet in magnum decus tantae rei cedat, si eam ipse celebret, vel alius eo impedito. Sed de hoc ritu, sicuti et de aliis Canonizationem spectantibus, legi possunt quae Magister omnium docet Benedictus XIV. in opere: *de Servorum Dei beatificatione etc.* Lib. I. cap. XXXVI. §. 1.

VIII. Restat nunc, ut aliquid de Indulgentiis dicamus. Saeculo XIII. coepit primum, sed parce tamen, dari Indulgentias in Canonizatione Sanctorum. Primus, qui eas concessisse legitur, fuit Honorius III. in Canonizatione S. Laurentii Archiepiscopi Dublinensis; uti legitur in Bulla laudati Pontificis, quae incipit, *Ineffabilis*. Gregorius IX. in Canonizatione S. Antonii de Padua, omnibus vere poenitentibus et confessis sepulchrum huius Sancti in Festivitate ipsius usque ad octavam diem cum reverentia visitantibus unum annum de iniuncta poenitentia relaxavit: Itaque sensim crevit Indulgentiarum liberalitas, quas in Canonizatione Sanctorum soliti erant Romani Pontifices largiri; id quod multo luculentius ostendi potest ex saeculis posterioribus. Esse plane antiquum ritum offerendi in Missa Canonizationis Pontifici cereos, panem, vinum, turtures, columbas, aliasque aviculas, testis est Ordo Romanus XV. cap. CLIII. ubi enarrat ritum Canonizationis S. Birgittae celebratae anno MCCCXCI. a Bonifacio Papa IX. Sed de ista Oblationum significatione, specialiter egerunt Angelus Rocca, in suo Commentario *de Canonizatione Sanctorum*; Joannes Baptista Marus, in sua Diatriba *de mystica rerum significatione, quae in Sanctorum ad Missarum solemnia Summi Pontifici offerri solent*; Petrus Ruisius, Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula in suo discursu hac de re edito; Franciscus Victonus, eiusdem Ordinis in Tractatu *de Canonizatione Sanctorum*; Penia, *in notis ad vitam* S. Raymundi Lib. III. cap. XLII. Observatione II. et Justinia-

nus Chiapponus, in Dissertatione typis excusa post Acta Canonizationis Sanctorum Pii V. Andreae Avellini, Felicis a Cantalicio, et Catharinae de Bononia. In memoriam itaque antiquae consuetudinis, iuxta quam post examen Auditorum Rotae tres eligebantur pro caussae discussione Cardinales, tres hodie etiam pro faciendis oblationibus eliguntur sacrorum Rituum Congregationis Cardinales. Jure merito itaque offeruntur Cerei humanitatem Jesu Christi significantes ad designandum eos, qui in Sanctorum album referuntur prae oculis semper Christum in gestis suis habuisse, fide vero, actione bona, intentione recta. In cereis oblatis lux etiam designatur, quae in operibus Sanctorum, dum inter mortales agunt, coruscare debet. S. Hieronymus in *Epistola 46.* ad *Marcellam* tom. 4. pag. 554. Edit. Paris, docuit per cereos, vigilantiam, et solicitudinem in bonis, et sanctis operibus repraesentari. Offertur praeterea panis, vinum, et aqua ad instar antiquae oblationis, quae in Missa a fidelibus fiebat pro Sacrificio. Proxime sequitur alia turturum, quae columbis praeferuntur, et quia in Lege Veteri etiam Turtures primo nominantur, et quia symbolum praeseferunt Fidei primo requisitae inter virtutes ad Sanctorum Canonizationem. Insuper adumbrant gemitum Christi, peccata nostra deflentis, et pro his Crucis ludibria ferentis, adeoque per hanc oblationem designatur tum dolor ille, quo Sancti, vel propria, vel aliena peccata planxere, tum patientia, qua facti imitatores Christi, Crucem tulere, et sequuti sunt ipsum. Offeruntur in Canonizatione Sanctorum Columbae ad designandum eosdem Sanctos septiformis Spiritus Sancti donis plene insignitos fuisse. Per aviculas, quae in dicta Missa Canonizationis offeruntur, significari Sanctos ipsos, quorum sublimi contemplationis volatu conversatio fuit in coelis; adstipulante etiam Riccardo a S. Victore Lib. 2. cap. 44. qui ait: *Nonne aves Caeli videntur esse, qui veraciter possunt dicere, nostra conversatio in coelis est? Nonne Coeli aves dicendi sunt, qui se in alta contemplationis penna suspenduntur?* Haud dissimiliter censuit Beda in *Job* Lib.

1. cap. 12. tom. 4. pag. 643. *Volucres sunt, qui sursum cor habent, et coelestia concupiscunt.*

CAPUT III.

De promissis seu votis alicui Sancto factis et de sacris peregrinationibus.

I. Vetustissima ea est consuetudo (1), quam nunc Catholici etiam retinent, ut promissiones aliquas Sanctis faciant; veluti si sanitatem, quam optant, receperint, eleemosynam largiorem pauperibus se largituros, iter ad sacram aedem aliquam suscepturos, et alia his affinia. Et re quidem vera consuevere Christiani tum Orientalis, tum Occidentalis Ecclesiae promissa facere Sanctis, adeo ut Eusebius *Praepar*. cap. 7. communem veluti, et ab omnibus frequentatam consuetudinem eam esse innuat: *Quae quidem* inquit, *in hominum Deo carissimorum obitus egregie conveniunt, quos verae pietatis milites iure appellabis: Nam et eorum sepulchra celebrare, et preces ibi votaque nuncupare, et beatas illorum animas venerari consuevimus, idque a nobis merito fieri statuimus*. S. Ambrosius in oratione de *Excessu Satyri* fratris sui, numero 17. testatur, voto facto S. Laurentio, ex remotissimis regionibus illum incolumem rediisse. Et in Libro quem idem Ambrosius inscripsit: *Exhortatio Virginitatis* cap. 15. sic Julianum filium suum alloquentem inducit: *Considera quid te, ut nascereris, iuverit; filius es votorum magis, quem dolorum meorum. Considera cui te muneri pater tali nomine designaverit, qui vocavit Laurentium. Ibi vota deposuimus, unde nomen adsumpsimus. Vota effectus sequutus est, redde Martyri quod debes Martyri*. Paulinus Nolanus Episcopus perspicua, et plura subministrat huiusce consuetudinis testimonia. Quam crebra fuerint huiusmodi vota indicat ille apertissime in Natali octavo v. 382. et seqq. Eamdem

(1) Trombelli, *De Cultu Sanctorum*. Dissert. VI. Caput XXXV. et seqq.

consuetudinem iterat, et inculcat, quum in Epistola 17. ad Severum haec scribit: *Praesumimus te videndum, amplectendumque nobis, dono Domini, in sede, ac sinu Domini mei communis patroni Felicis, cui vota tua toties contestatus sum et promissa recitavi.* Gregorius Turonensis Libro secundo *Historiae Francorum* cap. 37. meminit voti quod milites Regis Clodovei (Regis ipsius fortasse nomine) B. Martino nuncupaverunt.

II. Cum pluribus modis ea, quae ab aliquibus consecuti fuimus beneficia, possimus testata facere, pluribus etiam modis comperta fecere Fideles beneficia, quae Sanctorum interventu se recepisse haud temere putaverunt. Potissima, aut certe crebriora fuere vel descriptio recepti beneficii versibus, aut prosa etiam oratione, facta relictaque, velut perpetuum apud posteros monumentum, ad tumulum Sancti, aut saltem in aede sacra, aut apud Episcopum, et Templi praesidem: vel etiam tabellae, quibus id coloribus exprimerent, quod Sanctorum ope assecutos fuisse testabantur. Et certissima quidem Augustini testimonia sunt, unde apparet quam vetusta, et praestantissimorum Patrum auctoritate fundata sit ea, de qua agimus, consuetudo. Consulant, si qui dubitant, S. Augustini Sermones de Diversis 320. 321. 322. 323. Damasus Epigramma in S. Felicem iis versibus claudit, quibus constet votivum fuisse, et receptae ex periculosissimo morbo sanitatis perenne positum monumentum: sic enim epigramma illud concluditur:

Te duce servatus, mortis quod vincula rupi,
Versibus his Damasus supplex tibi vota rependo

Adde quod positum fuit in erecta Sacra aede a Galla Placidia S. Joanni Evangelistae, soluti voti monumentum. En illud *Sancto* (legitur apud Agnellum Raven. cap. 6. Vitae S. Johannis pag. 67. p. 1. tom. 2. Rerum Italicarum Scriptores) *ac Beatissimo Apostolo Joanni Evangelistae Galla Placidia Augusta cum filio suo Placido Valentiniano Augusto, et filia sua Justa Grata Augusta, liberationis pe-*

riculum maris votum solventes. Quid clarius fingi potest verbis illis, quibus eum morem significat Theodoretus? cuius oratio octava cum alia multa ad Sanctorum cultum approbandum, ac promovendum aptissima habeat, haec sane de iis monumentis, de quibus quaestionem instituimus, tradit: *Pie vero fideliterque precatos ea maxime consequi quae desiderant, testantur illa, quae votorum rei dona persolvunt; manifesta nimirum adeptae sanitatis indicia. Nam alii quidem oculorum, alii vero pedum, alii porro manuum simulacra suspendunt ex argento, auroque confecta.*

III. Loca sacra adire, ac longam quandoque suscipere ad illa peregrinationem, frequens fuit inter Christianos. Et quidem a primis Ecclesiae saeculis in more positum fuit, ut fideles proficiscerentur ad sepulchra Martyrum, et ad loca praecipuorum Mysteriorum operatione consecrata. Apud Eusebium *Historia Ecclesiastica* Lib. 6. cap. 11. haec habentur: *Hac igitur visione, tanquam Divino admonitus oraculo, Alexander cum ex Cappadocia, in qua primum Episcopus fuerat ordinatus, Hierosolymam profectus fuisset, tum orandi tum locorum visendorum gratia.* S. Joannes Chrysostomus *Homilia Octava in Epistola ad Ephesios* n. 1. et 2. expressissime tradit se ab episcopalibus curis, et corporis aegritudine detineri, quo minus ad venerandas Apostolorum Reliquias sese conferret: *Nihil est illa catena beatius: vellem nunc esse in illis locis, in quibus dicuntur manere illa vincula et videre, virosque illos* (Petrum et Paulum) *admirari propter Christi desiderium. Vellem videre catenas, quas pertimescunt quidem, et horrent Daemones, reverentur autem Angeli.... Si ab ecclesiasticis curis essem remotus, et esset mihi corpus sanum, ac validum, non recusarem hanc suscipere peregrinationem.* Nec minus illustre est, quod hoc super argumento praebet Paulinus Nolanus: quippe singulis quibusque annis Romam pergebat ad venerandas Apostolorum, et Martyrum Reliquias, sicut multis veterum productis monumentis ostendunt, qui vitam Sanctissimi Episcopi, ex eius praesertim Libris, adornarunt, praeposueruntque eisdem libris. S. Hieronymus in *Epistola 52.* ad Nepo-

tianum mandat, ut peregrinos sobria mensa suscipiat: *Mensulam tuam*, inquit, *pauperes et peregrini, et cum illis Christus conviva noverit.* At nonne etiam eumdem morem innuit Prudentius Hymno primo Libri quem de Martyrum coronis scripsit? Hanc consuetudinem confirmat Sulpitius Severus: *de Virtutibus Monachorum Orientalium* capite secundo. Leo vero meritis, et sanctitate vere Magnus, varia charitatis officia recensens, et ad illa populum exhortans, peregrinorum susceptionem etiam recenset: *Suscipiatur peregrinus etc. uti Sermone secundo de Jeiunio* X. *Mensis.* Insuper non modo Sanctus Gregorius Magnus peregrinos ad sacra Apostolorum limina venientes benignissime suscipere solebat, iisque ministrare, summaeque charitatis, humanitatisque officia exhibere (quae quidem Domino fuisse acceptissima ex ingenti miraculo agnovit); sed etiam Gregorius Turonensis capite quinto Libro primo de *Gloria Martyrum* morem hunc subsequentibus etiam temporibus perstitisse, compertum fecit. Etenim se devotionis causa visitasse sepulchrum S. Hilarii ait, et saepissime de suscepto itinere ab aliis ad Sanctorum sepulchra devotionis causa loquitur. Id etiam discimus ex Joanne Bollando ad Acta Sanctorum Cyri, et Joannis Martyrum, quippe num. 18. tom. 2. Mensis Januarii idem Bollandus ostendit, ad eorum Sepulchrum undique confluere consuevisse fideles. Alia ex sacro Textu pro sacris peregrinationibus argumenta colligi possunt. Scimus ex Ecclesiastico cap. 49. v. 18. visitata fuisse Josephi ossa, et ea post mortem prophetasse: *Ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt.* Absalon quoque Lib. 2. Regum cap. 15. v. 7 ait David patri suo: *Vadam, et reddam vota mea, quae vovi Domino in Hebron.* Et in Lucae cap. 2. legimus, Beatissimam Virginem, et Sanctum Joseph iuxta consuetudinem, et Legem Mosaicam, singulis annis ad Templum Hierosolymitanum accessisse, ad quod etiam accedebant Gentiles, ut in eo Hebraeorum Deum colerent; quemadmodum colligitur ex Evangelio S. Joannis cap. 12. inter quos fuit ille Eunuchus Reginae Candacis, de quo in Actis Apostolorum cap. 8.

IV. Ut autem ordine progrediamur, prius agemus de peregrinationibus ad Templa et loca Jesu Christi Redemptoris nostri mirandis operibus, vestigiis et beneficiis consecrata; postea de illis, quae ad Sanctorum Templa, sepulchra, reliquias et imagines. Peregrinatio in Terram Sanctam primas inter omnes obtinet. Quam omnibus saeculis statim a Jesu Christi morte celeberrima ac frequentissima huiusmodi peregrinatio fuerit, monet testis locupletissimus, et terrae sanctae non exigui temporis incola, S. Hieronymus, inter peregrinos huius generis non postremus. Ita ergo ille in Epistola in caput 19 Isaiae: *Haereditas Christi Israel est: hoc est nativitatis et crucis, et resurrectionis ascensionisque eius loca, ad quae de toto orbe concurritur.* Plures peregrinationes, quarum Itineraria in publicum prodierunt, commemorat Adrichomius *in Descriptione Urbis Hierosolymitanae.* Inter alias Peregrinationes occurrit mons Sinai, multis prodigiis in egressu filiorum Israel ex Aegypto insignitus; ad quem et olim fuit frequens peregrinorum concursus, quam peregrinationem suscepit tempore S. Gregorii Magni Rusticia seu Rusticiana Patricia; ut apparet ex epistola S. Gregorii ad hanc Patriciam scripta. Inter loca, quae Postumianus apud Sulpicium se adiisse refert, ponit etiam montem Sinai. Valde frequens erat Anachoretis et eremi incolis, pietatis et precationis causa, montem Sinai petere. In hoc monte exstruxit insigne Templum Justinianus Imperator, de quo Procopius Lib. 5. *de Aedificiis Justiniani.*

V. Florentissimum est in Piceno agro domicilium, et Templum, in quo Verbum caro factum est, Sacrosanctae Virgini dedicatum, quod Lauretanum nomen accepit. *Admiranda sunt beneficia,* inquit Rutilius Benzonius Episcopus Lauretanus Lib. 6. *de Jubilaeo, quae ibi homines consequuntur, concursus populorum est omnino innumerabilis: eo Principes, Duces ac Reges pro gratiis obtinendis.... ex omni orbis parte per totum annum perpetua celebritate accedunt: illic testimonia gratiarum tabellis, cereis, aliisque donariis expositis, a columnis, et parietibus Ecclesiae innumera, ut propterea pluribus peregrinatio ad Sanctam Lau-

retanam aedem extollenda non sit, cum toti orbi celebratissima sit, et perspectissima. Multa, et quidem magnificentissima, et miraculis decantatissima Templa possidebat olim Constantinopoli Beatissima Virgo, ad quae incolarum et exterorum quoque ingens erat accursus. Nulla est gens aut natio in Christiano Orbe, cui non sit miraculis et concurrentium multitudine frequensdecantatumque aliquod Templum aut Sacellum Deiparae honori et cultui consecratum. In Hispania clarissimus habetur Sanctissimae Virginis patrocinio mons *Serratus*. De hoc monte sic scribit Lucius Marinaeus Lib. 5 *de rebus Hispaniae*: *In monte quem Serratum vocant apud Barcinonem, Beatae Mariae Virginis assidue miracula multa, divinaque mysteria summa cum veneratione cantat Ecclesia Domus est in altissimo monte sita, et ab externis gentibus, et peregrinis frequentata.* Multa templa in honorem S. Michaelis Archangeli condita sunt, de quibus Sozomenus, Nicephorus, et Procopius in Libris *de Aedificiis Justiniani*. Notissima est et nominatissima S. Archangeli Michaelis in monte Apuliae Gargano apparitio, et ab eodem tempore numerosissima variarum gentium eum in montem peregrinatio. Quam apparitionem refert Annalium Ecclesiasticorum instaurator ad annum Jesu Christi 493. Prophetarum monumenta, quae sunt in Palestina, a peregrinis, causa Religionis et venerationis, jam olim adita et lustrata fuisse, docent nos veterum Itineraria.

VI. Attigimus peregrinationes ad Apostolorum memorias institui solitas, inter quas jure suo primas tenet, quae est Romam ad limina Apostolorum, hoc est, ad sepulchra Principum Apostolici chori, Petri et Pauli. Peregrinationes ad Memorias et Basilicas Sanctorum cum ipsa Religione Christiana coepisse certum est, nominatim illam Romanam ad Limina Apostolorum. Ipsas enim Basilicas appellare *Limina* antiqui est moris, praesertim Basilicas Apostolorum, idque reverentiae et observantiae causa. In Actis S. Alexandri Pontificis legitur: *Tu si ad limina Sancti Petri duxisses eum.* Limina enim prostrati in terram venerabantur et exosculabantur. Petrus Clu-

niacensis de liminibus Apostolorum: *Ab iisdem* ait *fidelibus dulcissime ac devotissime deosculantur.* Evodius de Miraculis cap. 2. *Ante limina*, inquit, *gloriosi Martyris prostrata*, *effusos sui cordis dolores expressit.* S. Paulinus Natali tertio D. Felicis:

Cernere tunc passim est sacra purgata medela,
Pectora liminibus sterni etc.

Caeterum peregrinatio ad limina Apostolorum vetustissima est, et longe ante Constantinum Magnum usitata. Frequentissimam fuisse hanc peregrinationem, ne ipsi quidem adversarii diffitentur. Quamquam autem magnus concursus ad Limina Apostolorum fieret; nunquam tamen maior erat, quam anno Jubilaei, ipsoque Apostolorum Natali; quo innumerabilis multitudo Romam confluere solebat. Episcopos etiam ad eamdem solemnitatem Romam se contulisse, palam est ex S. Paulino *Epistola* 13. et 16. Extant decreta Summorum Pontificum quae praecipiunt, ut omnes Episcopi, Romanae urbi propinqui, quotannis semel Apostolorum limina adeant. In Hispania celebris fuit Peregrinatio Compostellam ad S. Jacobi Apostoli sepulchrum, et adhuc quotidie eo gens confluit.

VII. Ad loca Martyrum vel miraculis, vel passione, vel reliquiis, vel sepulchris et Basilicis consecrata et illustrata, libenter commeabant olim fideles, et hoc etiam nostro aevo in usu habent Christiani, apud quos antiquae pietatis amor ardorque adhuc durat.

Caeterum inter omnes ad Monumenta Martyrum peregrinationes, vix videtur fuisse celebrior, quam illa Nolam ad sepulchum et Basilicam S. Felicis Presbyteri, et Martyris, cuius Festum XIV. die Januarii colit Ecclesia. Quanta fidelium multitudo ad S. Felicem Presbyterum Nolanum conflueret, praesertim ipso Martyris Natali, clare nos docet S. Paulinus oculatus testis, inspectorque omnium, quae accidebant, mirabilium, summus-

que S. Felicis amator et cultor, qui tertio S. Felicis Natali hunc in modum canit:

Nec modus est populis coëuntibus agmine denso,
Nec requies; properant in lucem a nocte, diemque
Exspectare piget: votis avidis mora noctis
Rumpitur; et noctem flammis funalia vincunt.
Stipatum multis unam juvat urbibus urbem
Cernere; totque uno compulsa examina voto.

Et quamvis toto anno ad Reliquias S. Felicis plurima miracula ederentur, maxime tamen Natali illius increbrescebant, ut testatur S. Paulinus Natal. 7. Offerebant peregrini S. Felici munera, vela nimirum tegendis Ostiis; laminas argenteas ornandis liminibus, et tabulas, quibus beneficia accepta inscribebantur; cereos pictos, resque odoriferas, et liquores perfundendo Martyris tumulo, et id genus alia, de quibus S. Paulinus Natali VI. Notum etiam est ex remotis undique urbibus frequenti coetu populos ad venerandum S. Januari Martyris sepulchrum Neapolim convenisse. Peregrinatio ad S. Nicolaum apud Barium in Apulia frequentissima fuit, propter ingentia miracula, quae in dies edebantur. Petrus Damiani Sermone de S. Nicolao: *In testimonium*, inquit, *sunt peregrinationes ad Sanctum illius Corpus a finibus terrae susceptae, ut videantur, quae per eum fiunt mirabilia.* Peregrinatio ad S. Martinum Turonensem celeberrima fuit, ut ex Scriptoribus Rerum Francicarum, praesertim Gregorio Turonensi liquet, qui de miraculis ad S. Martini Sepulchrum editis, quatuor libros edidit, praeter ea, quae de eodem argumento in Historia de rebus Francorum, et libris de gloria Martyrum passim plena manu inspergit. Ad hujus Sancti Basilicam Clotarius Imperator precandi gratia venit. Pipinus quoque infirmus eodem delatus est. Clodoveus in Alaricum Gothorum Regem moturus, multis donariis missis ad Ecclesiam S. Martini, intercessione eius, victoriam obtinuit. Denique Peregrinationes sacrae faciunt ad laudem, gloriam et honorem Dei ac Sanctorum; recte igitur ac licite suscipiuntur. Est

enim manifestum signum, Deum, et Sanctos a nobis magni fieri, cum laborem, et pericula itinerum sponte suscipiamus, ut Sanctorum Reliquias invisamus. Est opus poenitentiae, et satisfactionis, quia laboriosum, et poenale. Insuper auget devotionem: nam praesentia loci sancti vix dici potest quantum incutiat horrorem, quantam excitet reverentiam, saepe etiam peculiari amore ferimur erga Sancti alicuius memoriam, quae procul abest a nobis, et eo accedere non parum juvat. Pietatem et religiositatem peregrinationum validissime propugnarunt Thomas Waldensis, Tom. 3. tit. 15.; Cardinalis Bellarminus, *De cultu Sanctorum* Lib. 3. cap. 8., Gretserus, *in quatuor Libris de peregrinationibus*, ubi multa scita et utilia reperiuntur; Theophylus Raynaudus, tom. 15. *in opere cui titulus: Heteroclita Spiritualia* pag. 213. et seqq.

Caput IV.

De Sanctorum Reliquiis, earumque veneratione.

I. Ut ab ipso (1) nomine exordiamur, illud est notandum, nomen ipsum *Reliquias*, graece λειψανον, duplicem apud veteres significationem habere. Modo enim λειψανα *Reliquiae* integrum corpus Martyris notant, modo quamvis eius partem. Hinc Gregorius Nazianzenus *Oratione* XVIII. *de Laudibus Cypriani*, quod paullo ante σωμα *corpus* dixerat, mox eodem loco αγια λειψανα *sacras reliquias* appellat. Sic rursus λειψανα pro Martyrum Corporum vel minutissimis particulis accipiuntur, uti Constitutiones Apostolicae Lib. VI. capite ultimo: Των παρα Θεῳ ζωντων ουδε τα λειψανα ατιμα, *eorum qui apud Deum vivunt, ne Reliquiae quidem sunt inhonoratae.* Id ipsum statuas de latino *Reliquiarum* vocabulo. Reliquiarum ergo nomine primum quidem significare consuevimus mortales Sanctorum exuvias, idest sacra ipsa Corpora et partes eorum aliquas.

(1) Trombelli, *De cultu Sanctorum.* Dissertatio VII. Caput I. et seqq.

Atque in hac quidem significatione S. Ambrosius Epistola 22. *Adspicite*, inquit, *ad dexteram, adspicite ad sinistram, Reliquias Sacrosanctas* (idest Sanctorum Martyrum corpora). Illud semel admonuisse sat est, et validissimis argumentis ostendi posse in Sacrarum Reliquiarum numero locum semper habuisse Sanctorum Corpora, horumque particulas. Hunc ipsum honorem delatum fuisse Martyrum Sanguini, declarat diligens Christianorum studium, ut fluentem e Martyrum vulneribus Sanguinem colligerent, praesidium scilicet sibi, posterisque haud leve futurum. Illustris est, cunctisque notissimus Prudentii locus in hymno 5. libri Περι στεφανων; in quo quidem hymno S. Vincentii Martyrium describitur, v. 541. quo Theologi merito utuntur, quum de cura, ac sollicitudine a Christianis adhibita in colligendis, servandisque apud se reliquiis agunt. En illum:

Plerique vestem lineam
Stillante tingunt Sanguine,
Tutamen ut sacrum, suis
Domi reservent posteris.

Sanctus Ambrosius in Epistola 22. aliud praebet nobis argumentum, quo intelligamus triumphalem Martyrum Sanguinem inter sacras Reliquias enumeratam fuisse a fidelibus, dum haec ait: *Et hic Sanguis* (Sanctorum Martyrum Gervasii, et Protasii) *clamat coloris indicio: Sanguis clamat operationis praeconio: Sanguis clamat passionis triumpho.* Monuit quoque Aringhus *Romae Subterraneæ* cap. 20. plurima etiam reperiri in veteribus Coemeteriis vitrea, et figulina vascula, quibus Martyrum Sanguis exceptus est. Hic tantum addere libet non modo eum Sanguinem, qui e viventis Sancti corpore quomodocumque effluxit, verum etiam dum, qui e dudum mortui corpore per miraculum effluxit, inter Reliquias fuisse ab omnibus habitum. Porro Sanguinem e corporibus Sanctorum iam pridem mortuorum per miraculum quandoque emanasse, variis exemplis comprobat Beatissimus Pontifex Benedictus XIV. in praeclarissimo illo opere, quod *de*

Beatificatione, et Canonizatione scripsit. His addendi sunt dentes, ungues, crines, aliaque huius generis, quae partes humani Corporis integrales appellari solent. Haec quippe omnia si Sancti alicuius corporis partes fuerunt, iure meritoque inter sacras Reliquias enumerantur.

II. Est autem et aliud Reliquiarum genus Sanctis aliquibus peculiare, quod affine his videtur esse; quamvis enim pars corporis vera non sit, ad corpus tamen utcumque pertinet, quod ab eo scaturiat, et effluat. De liquore illo intelligo, qui ex aliquorum Sanctorum corporibus per summum, maximumque miraculum post multa etiam saecula effluit, emanatque. Varias toti Orbi notissimos Sanctos sacra manna scaturientes memorant eruditi, et inter alios celebris est S. Nicolai manna, cuius quidem sacra ossa postquam etiam Barium in Apuliam translata sunt, mirabilem illum liquorem emittere minime desierunt. Historiam mannae S. Nicolai de Bario luculenter descripsit Antonius Beatillus. Vide Licetum, *de quaesitis per Epistolas* cap. 44.; Petram Sanctam *de Miraculis perpetuis Ecclesiae Catholicae* pag. 137.; Bordonum, *de Miraculis Medit.* 28.; ita ut Ferrandus Aniciensis *in sua disquisitione Reliquiaria* Lib. 2. primae partis cap. 2. art. 4. haec de hoc continuato miraculo verba protulit: *Celeberrima est toto orbe Christiano iactata salutiferae illius mannae fama, quae a sacrosanctis Beati Nicolai Myrensis Episcopi pignoribus continenti scaturigine dimanat.* S. Gregorius Turonensis Lib. 1. *de Gloria Martyrum* cap. 50. testatur, suo tempore profluvium mannae salutaris e Sepulchro S. Joannis Evangelistae dimanasse. Et eodem Libro *de Gloria Martyrum* cap. 31. narrat mirabile mannae et olei profluvium e sepulchro S. Andreae. Apud Nicephorum *Histor.* Lib. 18. cap. 28. et 32. narratur corpus Sanctae Glyceriae in celebri Templo Heracleae positum pluribus miraculis fuisse illustratum, cum ex eius ossibus iugiter unguentum curandi morbos virtute praeditum emanare soleat. In Martyrologio Romano ad diem 30. Aprilis commemoratio fit S. Laurentii Presbyteri, et Puerorum Martyrum, quos ille susceperat educandos; et

ex eorum ossibus medicum liquorem manasse, Cardinalis Baronius in notis comprobavit.

III. Vestes quoque, quasi pretiosae, sacraeque Reliquiae habitae sunt, et per eas miracula saepe acta. At vero memoria profecto dignissima ea sunt, quae *de sudariis, quae super languidos deferebantur a corpore Pauli*, scripto tradidit S. Lucas *Act. Apost.* c. 19. v. 12. Nec obscurum id est, quod de Epipodii calceamento discimus ex Actis Sanctorum Epipodii, et Alexandri apud Ruinart n. 3. et 14. idest repertum illud a *fideli muliere, tanquam thesaurum fuisse occupatum.* De raptis certatim a populo Troiani Sanctissimi Episcopi vestibus, tradit Gregorius Turonensis in Libro *de Gloria Confessorum* cap. 59. Sed ante Gregorium Turonensem in eamdem sententiam haec tradiderat praeclarissimus Chrysostomus *Homilia octava ad populum Antiochenum: O quanta Sanctorum virtus! Non sola ipsorum verba, et corpora, sed et ipsa indumenta creaturae omni perpetuo sunt venerabilia.* Quibus ea adiunge probatissima exempla, quae suppeditant Paulinus Nolanus, in Epistola 29. ad Severum; Paulus Diaconus, Hist. Miscell. Lib. 14. de Theodosio Imperatore prope finem. Instrumenta Martyrii inter reliquias sunt numerata. Ex Libro S. Ambrosii de Virginibus clarissime patet non modo *Sanguinem triumphalem* Sanctorum Vitalis, et Agricolae ab Ambrosio fuisse collectum, adhibitumque in Altaris dedicatione, verum etiam illud ipsum Crucis lignum, cui Sancti illi fuere affixi, et clavos, quibus ea affixio peracta est. Ad eamdem consuetudinem respexit, eamque approbavit S. Gregorius Magnus, dum sacras Reliquias optantibus, fragmenta ferrearum catenarum, quibus vinctus fuerat Petrus, dono misit. Quid expressius legi potest iis, quae Epistola quinta et vigesima sexta Libri primi ad Anastasium Patriarcham Antiochenum his verbis tradit? *Amatoris autem vestri Beati Petri Apostoli vobis claves transmisi, quae super aegros positae multis solent miraculis coruscare.* Et rursus Epistola nona et trigesima eiusdem Libri ad Andream de Dibiria scribens, eumdem morem appro-

bat, inculcatque, haec elocutus: *Praeterea sanctissimam clavem a S. Petri corpore vobis transmisi, quae super aegros multis solet miraculis coruscare. Eaedem igitur catenae quae illa sancta colla tenuerunt, suspensae colla vestra sanctificent.* Consueverunt etiam fideles venerationem deferre locis omnibus, in quibus Sancti habitarunt, sed illis praesertim in quibus aut diutius permanserunt, aut quae praeclariori quodam opere, aut miraculo aliquo n tiora reddiderunt. Hoc modo ut locus ille celebrior redderetur, erecta est Basilica S. Martini, ubi pauperem vestivit, quod novimus ex quinto epigrammate Lib. 1. Venantii Fortunati. Erectas etiam esse sacras aedes, ubi idem Martinus miracula edidit, significare videntur priora epigrammata Libri noni eiusdem Venantii Fortunati. Praecipue tamen ea loca honorare solebant fideles, quae gloriosa Sanctorum mors illustriora reddiderat. Erectas Romae fuisse sacras Basilicas in locis, in quibus Martyres passi sunt, testatur Laderchius in opere cui titulus: *De sacris Basilicis SS. Petri et Marcellini.* Huc etiam pertinet caput 40. Libri illius, quem de Miraculis S. Iuliani Gregorius Turonensis inscripsit. Ex eo scilicet constat in honore fuisse fontem, in quo B. Martyris sanguis effusus est.

IV. Sanctorum corporum propinquitate adeo iuvari, et veluti sanctificari putavere Christiani res super eisdem corporibus aut etiam prope ea positas, ut quoniam difficillimum plerumque erat sacris ipsis Corporibus easdem res admovere, propterea vascula oleo plena super aut prope Sanctorum tumulos eorum corpora contegentes ponerent. Hoc de more agit Fontaninus in opere de *S. Augustini Corpore,* multosque testes ad eum comprobandum aptissimos adducit. Quos tamen omnes S. Joannes Chrysostomus praeit, cum suos Auditores hortatur *Homilia in S. Martyres: Ut oleum sumant, totumque suum corpus inungant; linguam, labia, cervicem, osculos: tum enim in ebrietatis naufragium minime incident: siquidem oleum odoris suavitate Martyrum certamina in memoriam revocat, et omnem lasciviam refraenat, atque in multa de-*

tinet patientia, animique morbos expugnat. Copiosissime autem de hoc more loquitur Gregorius Turonensis capite 2. libri 1. Miraculorum S. Martini, et miracula describit peracta per oleum ad tumulum S. Martini positum, *et iusti virtute infusa Sanctificatum.* Rursus ex sacrorum sepulchrorum contactu aliud Reliquiarum genus emersit, nempe *Brandea* (uti veteres appellabant) seu linteola Sanctorum Sepulchris applicata. Id porro non modo auctoritate S. Gregorii Magni fundatum est, verum etiam Gregorii Turonensis Libro *de Gloria Martyrum* capite 29. et Hormisdae Pontificis diu ante Gregorium Magnum tom. 5. Conciliorum pag. 548. Adeo vero insita fidelibus erat persuasio, qua putarent, quidquid Sanctorum tumulos contingit, veneratione quadam dignum esse, ut inter Reliquias interdum recensuerint pulverem ipsum, quo respergi solent sacri loculi, et memoriae in quibus Sanctorum corpora, et Reliquiae conditae sunt. S. Gregorius Nissenus Oratione in S. Theodorum ita loquitur: *pro magno munere acceptum fuisse a populis pulverem quo conditorium, ubi Martyris corpus quiescit, obsitum est.* Quis etiam non stupeat ad ea, quae de pulvere desumpto ex Sanctorum sepulchro scriptis prodidit Gregorius Turonensis Lib. 8. *Hist. Francorum* cap. 15.; *et de Gloria Martyrum* cap. 50?

V. Nunc ad illam disputationum nostrarum partem convertendus est animus, quae praestantior est, ostendendumque a primis usque Ecclesiae saeculis sacrum honorem Sanctorum Reliquiis fuisse adhibitum. Non levem curam, diligentiamque adhibebant Christiani perquirendis, servandisque Sanctorum Reliquiis, ut in servatis, honoratisque Reliquiis venerarentur Sanctos. Primi Christiani Hierosolymitanae Ecclesiae, Cathedram Sancti Jacobi Apostoli venerati sunt, longe ante quartum Saeculum: de qua Eusebius Libro septimo *Historiae Ecclesiasticae* capite 19. Valesianae versionis: *Sane,* inquit, *et Jacobi illius Cathedram, qui primus Hierosolymorum Episcopus ab ipso Servatore, et ab Apostolis est constitutus, et quem fratrem Domini cognominatum fuisse divina testan-*

tur volumina; ad nostra usque tempora conservatam, Fratres illius Ecclesiae, iam inde a maioribus, magna prosequuntur reverentia: satis perspicue declarantes, qualiter tum antiquiores, tum nostri temporis Christiani viros sanctos ob ipsorum erga Deum amorem, debito semper honore venerati sunt, et hactenus venerantur. Huc etiam spectare arbitror communem illam Christianis insitam persuasionem, qua putabant Sanctorum reliquias *thesauro quovis esse pretiosiores: thesauros esse inaestimabiles,* cuius quidem persuasionis manifesta habemus monumenta in Actis SS. Ignatii, Polycarpi, Theodoti, et septem Virginum, aliisque multis apud Ruinartium *Acta SS. Martyrum.* Porro ad hanc tum persuasionem, tum venerationem testificandam caro pretio emebant, amplectebantur, osculabantur, splendidis, ac pretiosis vestibus obtegebant Sanctorum Martyrum corpora, aromatibus pretiosissimis condiebant, nullum denique omittebant honoris argumentum erga sacra Martyrum corpora. Quod vero sacer fuerit hic honor, dignosce ex eo, quod in loco sacro (si fieri id poterat), immo sub Altari ipso, conderentur, veluti idoneo, atque aptissimo loco. Sed alia offerenda sunt expressissima venerationis delatae Sanctorum Reliquiis, argumenta. Id indicatur in Actis vetustissimorum Martyrum Symphorosae, et septem filiorum eius: quippe in iis haec leguntur apud Ruinart num. 4. *Post haec quievit persecutio anno uno, et mensibus sex; in quo spatio omnium honorata sunt corpora, et constructis tumulis condita cum omni diligentia, quorum nomina descripta sunt in libro vitae.* Basilius in Homilia vigesima de quadraginta Martyribus dicit, illorum Reliquias per varia loca dispersas fuisse, quibus et ornamento sint, et praesidio. Et in Epistola CCXLI. Martyrum Reliquias mitti ad se rogat, et in CCCCVIII. Arcadio Episcopo gratulatur, quod Basilicam conderet, ac promittit SS. Martyrum Reliquias, sicubi reperire poterit, ad eum destinaturum. Sed nihil illustrius est, et ad hoc argumentum expressius, in quo modo versamur, Oratione in S. Theodorum Martyrem S. Gregorii Nysseni: in quam omnium, quae ad Sancto-

rum cultum attinent, de quibus controversiam movent nobis Protestantes, diserta et luculenta testimonia concessit. Primum in ipso Orationis aditu beneficium hoc refert acceptum, quod anno antecedente ingruentes Scytas intento signo Crucis averterat. Tum vero Martyris gloriam decusque praedicat, non solum animae ipsius, sed etiam corporis; de quo ita scribit: *Quod cum multo honore, cultuque compositum, et ornatum honeste in sacro loco collocatum est, rei instar pretiosissimae ad regenerationis tempus reservatum.* Excitandum nunc est ingens illud Orientalis, immo totius, quam late diffunditur, Ecclesiae lumen S. Joannes Chrysostomus. Is in calce Homiliae LXXVI. de Sanctis Juventino, et Maximino, quorum Reliquias in unum loculum impositas fuisse dicit, eos vocat columnas, et turres, et luminaria Ecclesiae, tum populum sic hortatur: *Assidue itaque ad illos veniamus, et loculum contingamus, et cum fide Reliquias eorum circumplectamur.* In Oratione vero de Sancto Ignatio Martyre Antiochensis fideles exhortatur, ut quocumque in vitae statu fortunaeque versantur, ad Sancti illius Reliquias Martyris, et ad eius sepulchrum frequenter accurrant; ut vel bona, quibus carent, per illum impetrent, vel quae iam adepti sunt, perpetua sibi faciant. Et in Homilia XCII. de S. Juliano Martyre, ad eius sepulchrum, et sacras Reliquias ait daemones contremiscere. Tum in Homilia XCIV., divinam quandam vim assistere ad Sanctorum Corporibus, quae daemones perterrefacit, et in fugam coniicit. In Homilia demum XLV. de Sanctis Berenice, Prosdoce, et Domnina. *Forte* inquit, *ingens in vobis concitatum est desiderium Martyrum istorum. Cum hoc igitur ardore accedamus ad reliquias ipsorum, amplectamur eorum loculos.*

VI. Quantum operae S. Hieronymus contulerit, ad Reliquiarum cultum contra Vigilantii conatus tuendum, ignorat nemo. Lege quaeso, quae in laudatissima Epistola ad Riparium, et in peculiari libello contra Vigilantium edito, ea de re disputat. S. Augustinus in Libro XXII. *de Civitate Dei* capite VIII. longissimam narratio-

nem explicat miraculorum, quae in Africa suo tempore gesta certissimis testibus compererat; praesertim per Sancti Stephani Reliquias nuper inventas, et in loca varia dispersas, nec non Sanctorum Gervasii et Protasii. Idem quoque in Epistola centesima tertia, de honorandis Reliquiis memorabilem sententiam his verbis edidit: *Portant sane Reliquias Beatissimi et gloriosissimi Martyris Stephani; quas non ignorat Sanctitas vestra, sicut et nos fecimus, quam convenienter honorare debeatis.* Jam Paulinus Nolanus Episcopus creberrimam religiosi eiusdem ritus mentionem inculcat, ut in Natali Sexto S. Felicis testatur. Prudentius in triumphis Martyrum eleganti carmine describendis, saepius eorumdem Reliquias, ac tam his cultum, et honorem tributum, quam identidem relata beneficia commemorat, ut in Hymno primo de SS. Hemiterio, et Chelidonio. Gaudentius Brixianus in Tractatu XVII. *de Dedicatione Basilicae* SS. Quadraginta Martyrum, praedicat se multas Sanctorum collegisse Reliquias, et in ea collocasse Basilica, cuius se dedicationem conventu Praesulum, et festivo apparatu reliquo, tum vero Sermone illo celebrasse profitetur: *Nam ut venerandas Sanctorum Reliquias haberemus, Deus noster tribuit. Deinde ut hanc honori eorum fundare Basilicam valeremus, ipse largitus est: et hodie, ut adepti summorum sacerdotum praesentiam, Dedicationem celebrare mereamur, ipse concessit.* Religiosum sacrarum Reliquiarum cultum ex Ecclesiae fide ac disciplina, pariter adstruunt ac docent S. Maximus Taurinensis, *in Homilia de Natali Tauricorum Martyrum;* S. Leo, *Sermone II. de Natali Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli*; Auctor Homiliarum, quae sub Eusebii Emisseni nomine circumferuntur, in Homilia de S. Stephano; Gregorius Turonensis, passim cum in *Historia Francorum*; tum in Libro *de Gloria Confessorum*, tum etiam in Libro *de Miraculis*; Fortunatus Pictaviensis, *Libro sexto ad Jovinum;* S. Gregorius Magnus, *Epistola 50*. Praeterea crebra mentio est apud rerum Ecclesiasticarum Scriptores inventarum identidem sacrarum Reliquiarum, et magno cum honore ab Ecclesiis

exceptarum, et per Christianas omnes provincias distributarum. Memorabilis est imprimis, et gravissimorum auctoritate Patrum testatissima S. Stephani protomartyris Reliquiarum inventio, quando Luciano viro Sancto *revelavit Deus locum sepulchri, et reliquiarum corporis Sancti Stephani primi Martyris*, ut scribit Marcellinus Comes in Chronico: nec non Alexandrinum Chronicon. Ac Lucianus ipse totam hanc historiam graeco sermone ad omnes Ecclesias perscripsit, ut auctor est Marcellinus. De hoc etiam fidem facit Augustinus. Sic reliquias Sancti Joannis Chrysostomi Constantinopolim revectas, et ab Teodosio juniore magno cum honore susceptas proditum est memoriae: idque refert Marcellinus idem, et Socrates Lib. 7. cap. 45. Idem Sancti Eustachii Antiocheni Episcopi Reliquiae, Zenone imperante, Philippis Thraciae Antiochiam reportatae sunt, easque magna cum veneratione cives exceperunt, ut est in Collectaneis Theodori Lectoris. S. Germanus, Parisiensis Episcopus, Hierosolymam ad invisenda loca sancta profectus, in reditu Justinianum adiit: et ab eo humanissime susceptus, multis ab eodem oblatis muneribus spretis, *Reliquias tantummodo Sanctorum expetiit* (ait Aimonius) ac tum particulam spineae coronae Domini Jesu Christi, tum Reliquias Innocentium, unaque brachium S. Georgii Martyris accepit. *Quae vir Dei*, inquit, Gregorius Turonensis Lib. 3. c. 20. *Lutetiam reversus, in Ecclesia sanctae Crucis, sanctique Vincentii condidit*. Ex Pelagii Papae primi Epistola VIII. et XII. discimus Childebertum Regem ab Romano Pontifice Reliquias Apostolorum, aliorumque Sanctorum Martyrum impetrasse. S. Gregorius Papa reipsa, et appellatione Magnus, in variis suis Epistolis variorum Sanctorum Reliquias mittere se scribit, et ut honore debito suscipiantur; ac deinceps habeantur, admonet.

Caput V.

De cura a Christianis adhibita in comparandis Reliquiis, et de honorifica earum custodia.

I. Ab Apostolicis usque (1) temporibus cura, et diligentia a fidelibus adhibita fuit in comparandis sacris Reliquiis. Ex Epistola Smyrnensis Ecclesiae apud Cotelerium num. 18. discimus non levem operam impendisse Judaeos, ne Christiani sacrum Polycarpi Corpus obtinerent: adeo ut *videns Centurio a Judaeis ortam contentionem, corpus in medio ignis positum excusserit. Atque ita Christiani postea ossa illius* (Polycarpi) *gemmis pretiosissimis exquisitiora*, *et super aurum probatiora tollentes, ubi decebat, deposuerunt*. Haud absimilem probationem ad eamdem Christianorum curam testificandam praebent Acta S. Fructuosi apud Ruinartium, qui Valeriano et Gallieno imperantibus, martyrium subiit. Ut eadem sacra Corpora, *auro* scilicet, gemmisque *pretiosiora*, obtinerent, quandoque non levem pecuniam impenderunt fideles. In actis SS. Firmi et Rustici a Clarissimo Maffeio editis, ad rem praesentem haec pertinent: *Propterea* pag. 548. col. 2. *edit. Veronae Terentius cum Gaudentio filio data pretiorum multitudine, emerunt Beatorum Corpora Martyrum Firmi et Rustici, ut thesauros sibi conderent in aeternum*. His subiiciendus est Paulus Diaconus, Lib. 6. *de gestis Longobardorum* cap. 48. part. 1. tom. 1. *Rerum Italicarum* pag. 506.; quippe qui narrat a Luitprando Longobardorum Rege ingens pretium fuisse persolutum, ut Corpus Beatissimi Augustini a Barbarorum manibus redimeret. Sed cur in his describendis immoror, quando quidem creberrima horum exempla extant? Sane egregius Baronius haec generatim tradit *in Annotationibus ad Martyrologium Romanum* ad diem 7. Aprilis Litt. D. in fine :

(1) Trombelli, *De Cultu Sanctorum*. Dissertatio VII. Caput VI. et seqq.

Porro Christianos consuevisse redimere Corpora Sanctorum ad sepeliendum ea, Acta diversorum Martyrum saepe testantur. Quanto studio et animositate Sancti Joannis Baptistae Reliquias ex furentium paganorum potestate subtraxerint nonnulli viri probi, testatur Rufinus *Hist. Eccles.* Lib. 2. cap. 28. Pauca haec exempla exhibere iudicavi: ceterum plurima afferre possem, tum ex aliis quidem monumentis, tum certe ex Martyrologiis. Haec indico ex Martyrologio Romano, quo utimur: Asterius martyrio affectus est, quod Marinii nuper pro Religione Christiana occisi corpus subiectis humeris, et substrata veste qua induebatur, exceperit. Vitalis propterea a Paulino consulari detentus est, quod B. Ursicini Corpus sublatum, honestate debita sepelisset. His adde quae de S. Paterno, de Sanctis Irenaeo, et Abundio, de S. Eusebio, de S. Hilaria, et de S. Agathone in eodem Martyrologio traduntur.

II. Quod porro studium ut animadvertere Gentiles, videruntque frustra se eniti, ne Christiani optatissimis Sanctorum Corporibus potirentur; ut hoc illis solamen ac gloriam eriperent, Corpora ipsa disperdere variis modis studuerunt. Aquis saepe mergi iusserunt, ne amplius invenirentur. Fuisse immixtas sacras Martyrum Reliquias scelestorum hominum cadaveribus ea exempla comprobant, quae Clarissimus Boldettus *de' Cemeterii* disserens adducit cap. 21. Lib. 1. pag. 90. Feris viventes, avibus vero aut canibus mortuos discerpendos tradiderunt, adhibita etiam custodia, ne superstites Reliquias Christiani raperent. De militibus ad sacrorum Corporum custodiam positis, vide quae tradunt Acta SS. Theodoti etc. Et quoniam irritos saepe viderunt conatus suos, et a Christianorum solertia illusos: reliqua ex incendio ossa ossibus miscuerunt, aut prorsus cremata, et in cinerem redacta corpora in ventos spargere, aut aquis tradere in more habuerunt. Quod si inter persecutionum pericula a perquirendis comparandisque Sanctorum Corporibus absterriti non sunt fideles; quid fecisse dices, quum persecutiones desiere, et Ecclesiae pax data est? Summum,

ac vehementissimum Martyrum Corpora habendi studium tum sane maxime apparuit, cum liberius, ac manifestius id fieri potuit. Id sane declarant translationes, ac divisiones eorumdem Corporum. At minime omiserim adeo cupiisse populos Sanctorum Corporibus, eorumque lipsanis ditari, ut ob eam rem contentiones summas habuerint. Contentionem sane non levem Pictavos inter, et Turonicos, mortuo S. Martino, exortam, quod utrique Sacrum Antistitis Corpus habere cuperent, describit Gregorius Turonensis Lib. 1. *Hist. Francorum* cap. 43. Lis etiam gravis acta est cives inter, et Monachos Leonenses in Armonica, quod vellent tam Monachi, quam cives S. Pauli Leonensis Episcopi, nuper vita functi, Corpus possidere, uti patet ex vita S. Pauli Leonensis §. 7. Proditum etiam memoriae est in Francorum Annalibus apud Gregorium Turonensem Lib. 3. c. 29., cum Childebertus, et Chlotarius Francorum Reges, in Hispaniam expeditione facta, Caesaraugustanam urbem obsidione vallassent, oppidanos, desperata salute, ad exorandum Deum conversos, tunicam S. Vincentii Martyris sollemni pompa circum tulisse, cilicio indutos, ac psalmos concinentes. Qua re conspecta, Childebertum pactionem cum illis fecisse, ut accepta tunica illa S. Vincentii, obsidionem solveret: eamque in Gallias perlatam, in Basilica collocasse Martyris eiusdem, quae postea S. Germani nomen obtinuit.

III. Adeo sane in honorifice custodiendis servandisque Sanctorum Corporibus, et Reliquiis studiosi erant Christiani, ut cum non aliud possent, eum locum, in quo tumulati erant Martyres, diligenter ac sollicite custodirent, nec ab eo prorsus avelli paterentur; magnum thesaurum in Sanctorum Reliquiis se possidere testantes, quas proinde deserere omnino nollent. At non custodierunt tantummodo diligenter, sed honorificentiae argumentis Sanctorum Corpora, et Reliquias affecerunt, ita quidem, ut eadem exquisitis condirent aromatibus vestibusque pretiosissimis obtegerent, quarum quidem rerum testes indubitatos habemus veteres probatissimos. Sed indubitate

id indicatur in Actis SS. Tarachi etc. apud Ruinart num. 7. Sic quippe Maximus Praeses Tarachum in ferendis pro Christo suppliciis constantissimum Martyrem alloquitur: *Noli putare te semel damnari, sed particulatim te exterminabo.... putas, quia mulierculae aliquae corpus tuum poterunt aromatibus, vel unguentis condire, nequissime? Nam et modo cogitavi, ut Reliquias tuas exterminem.* Appellationes etiam honorificentissimae, quibus Sanctorum Corpora, et Reliquias Fideles honorarunt, haud obscure tradunt summo in honore habita fuisse eadem Corpora, et Reliquias a Christianis. Plures praebebunt veterum monumenta si ea consulas. Quasdam sane collegit Clarissimus Boldetti, *Osservazioni sopra i Cemeterii dei Santi, ed antichi Cristiani di Roma*; et Sanctissimus Pontifex Benedictus XIV., *Notificazioni tom. 3. not. 3.* pag. 49. *edit. Ven.*

IV. Insuper certo constat super sacris Martyribus, aliorumque etiam Sanctorum corporibus Templa, sacras Basilicas, atque Oratoria condere consuevisse Christianos. Quem morem adeo constanter servavit Ecclesia, ut sine Sanctorum Reliquiis etiam vetuerit Altaria erigi. Quoad consuetudinem collocandi sub Altaribus Sanctorum Corpora, horumque particulas, a primaeva inde Ecclesiae temporibus referenda ea est, cum in Oriente perinde, atque in Occidente invaluerit, neque indicari possit illius Auctor. S. Augustinus Serrone 318. num. 1. indicat ideo sub Altari poni consuevisse Sanctorum Corpora, ut iuncti sint et is qui redemit, et ii qui redempti sunt; quippe redderent vices (ut ita loquamur) Beneficentiae Christi, qui suo Sanctos redemit Sanguine, Sancti pro Christo sanguinem suum profuderunt: hinc pretiosam novimus *in conspectu Domini eorum mortem.* Et Divus Ambrosius in Epistola 22. haec eloquitur: *Ille* (Christus) *super Altare qui pro omnibus passus est: isti sub Altari, qui illius redempti sunt passione.* Utcumque sit: ad indicandam imitationem exemploi um, et mortis Christi, quem Martyres passione sua, et morte subsecuti sunt, interdum Patres huiusmodi consuetudinem retulere. Propterea Sanctos

Martyres sub ara collocatos aiunt alii, quod morte sua Sacrificium Deo obtulerint acceptissimum: sua scilicet corpora *hostias viventes, sanctas, Deo placentes.* Jungi ergo debebant Sacrificio Agni Immaculati, qui seipsum hostiam obtulerat Deo Patri.

V. Praeterea ipsas sacrorum Templorum fores, fuisse sacris Reliquiis decoratas, ex multis quidem monumentis discimus, sed certe ex iis, quae allegat Baronius, in annotationibus suis ad Martyrologium Romanum ad diem 18. Novembris. Hinc putant multi ad honorandas praesertim Reliquias in iisdem positas et oscula a fidelibus fuisse impressa liminibus sacris, et festivioribus diebus ornari ea consuevisse. At non in foribus Templorum tantum, verum et in aliis sacrarum aedium locis Sacrae Reliquiae interdum collocabantur. In Secretariis quoque, custoditas fuisse aliquando sacras Reliquias, innuit Tillemont Tom. 1. *Histor. Eccles. de S. Joanne Baptista art. 10.*, et Anastasius Bibliothecarius *in vita Sergii*. In sublimi loco ad dexteram Altaris repositas interdum fuisse Reliquias, docet Bocquillot, vir multa laude dignus, in opere cui titulus: *Traité historique de la Liturgie sacrée, au de la Messe,* Lib. 4. cap. 5. pag. 97. Privatis sane in Oratoriis retineri consuevisse Sanctorum Corpora, aut certe partes eorum aliquas, indicare videtur Prudentius, dum testatur fideles S. Fructuosi, eiusque Sociorum Reliquias summo cum studio rapuisse, ut domi retinerent. Sed et Joannes Diaconus, Lib. 3. cap. 58. Vitae S. Gregorii Magni Scriptor, manifesto testatur se privato in Oratorio Sanctorum Reliquias retinuisse.

Caput VI.

De translationibus, et processionibus Sacrarum Reliquiarum.

1. Antiquissima est transferendorum (1) sacrorum Corporum consuetudo. Ab ipsis Ecclesiae exordiis Translationem Reliquiarum exempla video. Num. 5. Actorum S. Ignatii haec habentur: *Solae enim duriores Sanctarum eius Reliquiarum partes relictae sunt, quae Antiochiam delatae sunt, et in sudario depositae. Thesaurus sane inaestimabilis ob Martyris gratiam Ecclesiae relictus.* Quanam autem solemnitate eae Reliquiae translatae sint a Christianis, et emolumenta ex ea derivata, recenset S. Joannes Chrysostomus *Homilia in S. Ignatium* Sacrum Pontiani Pontificis corpus a Sardinia, ubi propter Fidei confessionem creditur obiisse, Romam translatum est; et S. Cornelii Papae Reliquias a Centumcellis Romam fuisse translatas, probi viri testantur, uti videri potest apud Tillemont tom. 3. *Ecclesiasticae Historiae* pag. 470. De eo quod attinet ad translationes temporibus Constantini factas, celeberrima est illa in urbem ab eo aedificatam, et ab eius nomine Constantinopolim appellatam, Corporum SS. Andreae, et Timothei, de qua in Carmine XI. Paulini in Natali S. Felicis edito a Muratorio. Juliani Apostatae tempore Antiochiam delatae sunt ex Daphne Reliquiae S. Babylae Martyris; quod educent Socrates, Lib. 3. cap. 18.; Sozomenus, Lib. 5. cap. 19.; Chrysostomus quoque *Oratione in S. Babylam.* Theodosio imperante Pauli Constantinopolitani Episcopi Reliquias solemniter translatas fuisse, tradit Sozomenus Lib. 7. *Historiae* capite X. Aliorum porro Sanctorum translationes eiusdem Theodosii Magni Imperatoris temporibus factas fuisse, testatur Theodorus Lector. In Martyrologio Romano die 27. Januarii fit commemoratio Translationis Corporis S. Joan-

(1) Trombelli, *De Cultu Sanctorum.* Dissertatio VII. Caput VIII. et seqq.

nis Chrysostomi ad civitatem Constantinopolitanam. In Menaeis die 27. Septembris longum extat Officium de reportatione Reliquiarum praedicti S. Doctoris et de illius Reliquiarum reportatione extat etiam Synaxarium. Inter antiquiores de hac traslatione loquentes, legi possunt Socrates, Lib. 7. cap. 44; Theodoretus, Lib. 5 cap. 36.; Theodorus Lector, *in Collectaneis* Lib. 2. *circa finem*; Nicephorus Callistus, *Histor. Eccles*. Lib. 14. cap. 36. et ex recentioribus Cardinalis Baronius ad annum 438. num. 1. Apud Bosium de Passione S. Ceciliae extant litterae S. Paschalis Papae I. de inventione Corporis eiusdem Sanctae, in quibus legitur propriis ipsius manibus venerabile corpus fuisse pertractatum.

II. Sanctus Paulinus Nolanus multorum Sanctorum, atque in primis Apostolorum cineres in Basilica S. Felicis servatas fuisse docet, ideoque etiam docet horum Corpora fuisse ex priore in locum alterum translata, uti constat ex Carmine nono in S. Felicem v. 403. Insuper Reliquias Sancti Martini ab humiliori, in quo diu iacuerant loco, in praestantiorem a perpetuo Turonensi Episcopo fuisse traslatas, docet Gregorius Turonensis capite 14. Libri 2. *Hist. Francorum*. Etiam Eutropii Martyris corpus in locum, quem praeparaverant, transferri studuit Palladius Episcopus. An etiam nescis a Mamerto Viennensi Episcopo corpus S. Ferreoli Martyris, et caput S. Juliani in decentiorem locum fuisse translatum? Id sane habemus ex Gregorio Turonensi in opere *de Miraculis S. Juliani cap. 2*. et ex Libro septimo Epist. 1. Sidonii Apollinaris, Joannes Neapolitanus Episcopus uti refert Joannes Diaconus in *Chron. Episcop. Eccles. Neapolitanae* num. 14. pag. 295. part. 2. tom. 1. *Rerum Italicarum*, S. Januarii corpus ex eo, in quo positum fuerat loco, in praestantiorem transtulit, et manu sua condidit. Corpus Sancti Leonis Magni traditum sepulturae in Basilica Vaticana, teste Anastasio Bibliothecario in eius vita, a Sergio Papa I. in nobiliorem tumbam translatum fuit. Paschalis deinde II. Corpora SS. Leonum I. II. III. et IV. in Oratorio S. Leonis IV. recondidit, uti referunt

Canonicus Romanus, in Descriptione Basilicae Vaticanae; Masseius Vegius, *in suo Tractatu de praestantia Basilicae Vaticanae*; et Panvinius, *de septem Urbis Ecclesiis* pag. 41. Fridolinus Abbas Corpus S. Hilarii Pictaviensis Episcopi alio transtulit, uti patet apud Bollandum 6. Martii.

III. Insuper probas esse eas Sacrarum Reliquiarum translationes, quae ratione ritibusque ab Ecclesia institutis, praescriptisque peraguntur, his argumentis evinco. Enimvero quis id improbum esse dicet, ad quod Deus ipse et Sancti excitare videntur, et extimulare homines, dum per visa revelant loca, in quibus delitescunt Sanctorum Corpora, et sepulchra innotescere, et aperiri volunt, et in praestantiora atque honestiora transferri? Quae quidem translationes dum peractae sunt, a Deo, et Sanctis eas approbatas fuisse, crebra miracula compertum fecerunt: quae miracula, hic describere necesse non est. Ecclesia quoque divino Spiritu acta, non modo eas palam approbat, sed a primis usque temporibus approbavit. Eas porro commendat, et maxime laudat Ecclesia, quae convenienti praeparatione, atque obsequio, observatisque praescriptis ritibus, propterea Sanctorum Sepulchra aperit, atque ex iis eruit ossa, ut eorumdem Sanctorum augeatur cultus, utilitatemque non levem ea ratione homines assequantur. Profecto Sancti ipsi aliquando ad huiusmodi translationes pavidos excitarunt: cuius quidem rei non pauca exempla Ecclesiasticae Historiae subministrant.

IV. Magna Dei bonitate factum arbitror, ut ii Ecclesiae ritus, quos acerbius distrigunt Protestantes, defensoribus magis abundent: qui quidem repetitis a venerabili antiquitate exemplis, eosdem ritus a calumniis vindicent, atque contumeliis. Id sane manifesto intuemur in eo more, quo in publicis supplicationibus, seu, ut dici mos est, in solemnibus processionibus, Sanctorum Reliquias honorifice deferimus populo conspiciendas, venerandasque, aut easdem processiones ad locum aliquem Reliquiis insignem instituimus. Morem hunc indicat Hieronymus *Epistola 17*. Praestantissimum quoque huius

consuetudinis testem tibi cito Evodium: *Per hanc* (viam) scribit cap. 2. Lib. 2. *videt adventare innumeros populos gaudentes sane, atque psallentes, et cereos, et luminaria cum grandi celebritate gestantes.* Cereis, et accensis facibus fuisse decoratas, illustratasque eas, de quibus agimus, processiones, memoriae prodidit Gregorius Turonensis Capite 40. Libri IX. *Historiae Francorum.* Thimiamatis porro in processionibus accensi, meminit saepe laudatus Gregorius Turonensis cap. 40. Lib. IX *Historiae Francorum.* Alia etiam in veterum monumentis eiusdem ritus exempla extant. Insuper adhibiti sunt triumphales currus, et sellae magnifice ornatae, in quibus positae Reliquiae deferebantur. Sacris vero vestibus fuisse usos eosdem Ecclesiasticos viros, qui praecipuas in sacra solemnitate partes agebant; Psalmos praeterea, et divinas laudes solemnia cantu in iis, de quibus agimus, Processionibus, fuisse cantatos, vetera monumenta indicant.

Caput VII.

De ritu ostendendi Sacras Reliquias.

I Mos apud veteres viguit, ad nos cum caeteris deductus, ut monstrarentur solemniter Reliquiae statis diebus. Ita Hierosolymis exponebatur peculiari tempore pretiosissimum Crucis Lignum, quod notum fit ex Paulino, *Epistola II. ad Severum*; Andrea Cretensi, *Serm.* 2. ex versione P. Combefisii; aliisque. Constantinopoli ipsius vivificae Crucis suis pariter diebus publicae venerationi manu Antistitum proferebatur, prout scribit Curopalates. Ab Ambrosio inventa Sanctorum Martyrum corpora fuisse populo ostensa, atque eiusdem populi venerationi exposita, indubitata res est, uti constat ex Epistola 22. S. Joannes Chrysostomus hunc morem indicat in fine Homiliae de Sanctis Berenice, Prosdoce, et Domnina. Fuit praeterea idem ritus insinuatus, descriptusque in Ordine Romano XII. inter illos quos evulgavit Mabillon tom. 2. Musaei Italici pag. 200. Veronicam ostendi

statis diebus in Basilica Vaticana sanxerunt Romani Pontifices, quos inter praecipue Urbanus V. quod liquet ex eius Epistola Jacobo Episcopo Aretino transmissa, in Annalibus Bzovii descripta. Romae nemo nescit SS. Apostolorum Capita e maiorum instituto in Ecclesia Lateranensi, aliasque Reliquias in eadem, caeterisque Basilicis singulis annis decreto tempore efferri, iuxta testimonium omnium Auctorum de Rebus Romanis scribentium. Ostendebantur insuper sacra Pignora, quum solemnes acciderent Traslationes, aut inventiones eorum. Bello Persico confecto, Hierosolymis restituit Domini Crucem Imperator Heraclius, translatione vero completa, publice illam ostensam esse ab Antistite, produnt Historici. S. Eligius Noviocomensis Episcopus, quemadmodum eius vita, quae conscripta creditur a B. Audoeno clare narrat, invento Corpore S. Piatonis Martyris, populis cum eodem reperta Martyrii indicia ostendit. Consuetum pariter Reliquias ostendere, quum Praesides Ecclesiastici ad eas recognoscendas accederent, uti patet ex quamplurimis monumentis Ecclesiasticis.

II. Usus semper viguit haud infrequens easdem proferendi tum solemniter, cum privatim in gratiam peregrinorum, et advenarum, praesertim ad illarum venerationem singulariter confluentium. Hanc consuetudinem non modo Historiarum Annales, sed etiam conciliares sanctiones testantur. Concilium Budense Const. 57. apud Labbè *Concil*. Tom. XI. pag. 1073. et seqq. tale de Sanctorum pignoribus decretum evulgavit: *Concilio statutum est, ut amodo Reliquiae extra Capsam nullatenus ostendantur, nisi in praecipuis festivitatibus, vel ad hoc ex devotione concurrentibus peregrinis.* Sane hac agendi ratione servata pluries ostensam Domini Crucem Hierosolymis discimus a S. Paulino Epistola citata ad Severum. Veronica in Basilica Vaticana iussu Romanorum Pontificum, quorum catalogum videsis apud Bzovium, e remotis regionibus ad Urbem accedentibus saepissime patefacta fuit, praecipue iubente Gregorio X: Bonifacius VIII. eamdem Domini effigiem praecepit frequenter o-

stendi peregrinis ad Jubilaeum an. MCCC. convolantibus, quod testatur Villanius *Hist.* Lib. VIII. c. 36. Praeter huc usque memorata certa tempora ostensionum, aliae interdum erant monstrandarum Reliquiarum opportunitates. Ostensiones tamen extra ordinem Praesulum locorum iudicio, arbitrioque pendebant. Harum extra ordinem ostensionum tum publico ritu, cum privato celebratarum exempla non pauca obviam fiunt historias legentibus.

III. Veniunt modo commemoranda loca, e quibus Reliquiae exhibebantur. Loca quidem varia, prout Ecclesiasticis Rectoribus opportuna censebantur, commodo semper populorum indulgentibus. Eligebantur etiam exteriores Templorum partes ad has celebritates agendas. E Turri Cathedralis Aquisgranensis agebatur ostensio septennalis Reliquiarum tempore Petri Beecki, iuxta eiusdem testimonium in *Aquisg.* cap. IX. At si Basilicae reputabantur idoneae concursantibus recipiendis, loca extra illas non quaerebantur. Eminentiores utique partes designabant Antistites, ut commode quisque suspicere posset, quod volebat. Gregorius IX. Capita SS. Apostolorum cum Cruce Domini ex Ambone Vaticanae Basilicae Clero, et populo monstravit: solemnitatem descripsit prae caeteris Cardinalis Rasponus in suo *Patriarchio Lateranensi* cap. XIX. Lib. 4. Nec tacendum quod solemnes ostensiones fieri interdum consueverint ex ipsis Altaribus. In Ecclesia Vesontina monstratum olim sacrum Linteum de Altari discimus, ex vetustissimo Rituali a Chiffletio cap. X. pag. 54. perlustrato.

IV. Aliqua nunc dicenda de habitu Ministrorum ostendentium. Utebantur Sacerdotes praeter Stolam, et superpelliceum, Chirotecis. Hunc morem commemorat Cassina in Diario, et Canonicus Boldetti, qui notat purpureas, ut plurimum, Chirotecas adhiberi. Solebant praeterea nonnullis in locis ostendi Reliquiae adstantibus pluribus e Clero sacris indumentis praecinctis. Peculiaris consuetudo obtinuit apud Canonicos Vaticanae Basilicae recitandi genibus flexis Confessionem cum oratio-

ne propria ante susceptionem Venerabilis Veronicae, et aliarum Jesu Christi Reliquiarum. Priusquam ostensionum solemnia fierent, aut etiam postea, moris erat interdum habendi ad populum sermones sive ad excitandam devotionem, sive ad laudes eorum, quorum essent Reliquiae, declarandas. Auctor Historiae Translationis Corporis Sanctae Berthae apud Mabillonium Saec. VII. *Ostensum dicit Virginis caput, completo ad populum sermone*, quem peroravit Episcopus. Plausus quandoque, ecclesiastici cantus, ac signa laetitiae ostensiones comitabantur. Caput S. Berrhae monstratum ait Scriptor apud Mabillonium Saec. VII. *Benedictin. Cum hymnis et laudibus.* Hoc etiam evenisse in ostensione Reliquiarum Monasterii Parisiensis S. Dionysii, testis est Rigordius *De gestis Philippi Augusti*. Inter cantus proferebatur venerabile Linteum Vesontinum praeteritis saeculis. Quales hi fuerint, descripsit ex antiquo Codice cum ipso ritu illius Ecclesiae Joannes Chiffletius *de Linteis sepulchralibus* cap. XXI. pag. 54. et 55. Inter postremos ostensionum ritus memorabilis videtur caeremonia benedicendi populum cum ipsis sacris pignoribus. Accepto pede S. Aldegundis, populoque exhibito, Praesul cum eodem omnibus benedixit, quod melius verba ipsa Historiae Translationis anni MCLXI. indicabunt: *Omnibus* uti legitur apud Bollandum ad diem 30. Januarii, *ostendit*, *et facta benedictione, omnibus se humiliter inclinantibus in loco a quo subtulerat reposuit*. Philippus Augustus Galliarum Rex, receptis a Balduino Imperatore insignibus Reliquiis, easdem dono concessit Henrico Abbati Coenobii S. Dionysii, antequam vero in Sacrarium inferret, vertit se ad multitudinem, ac solemnitati finem fecit *data Benedictione cum Reliquiis*, ut loquitur Rigordius gestorum Augusti Scriptor, *cum hymnis et laudibus*, *pulsantibus campanis universis.*

Caput VIII.

De veris Reliquiis a falsis secernendis.

I. Non raro adstitit vel miraculis Deus, ne hac in re illuderentur Christiani, et Ecclesia etiam ipsa non levem adhibuit operam, ut fraudes omnes, dolosque malos arceret. Atque, ut a primo exordiar, an non miraculis adstitit Deus Christianis illis, uti habetur apud Ruinartium n. XI. qui Corpora Sanctorum Tarachi, et sociorum Martyrum a gladiatorum corporibus secernere, et ab infidelium manibus eripere optarunt, ut ea honorificae traderent sepulturae? Alia, si vis, huius generis miracula, facile ea subministrabunt veterum Martyrum Acta. An leve miraculum est, quod in mediis flammis corpora minime comburerentur? Id tamen interdum evenisse discimus ex Actis S. Polycarpi, rursus ex Actis S. Pionii, et etiam ex Actis S. Theodoti. Insuper peculiaris quidam, et suavissimus, vereque caelestis odor ex Reliquiis emanans, merito fideles adduxit, ut veras a falsis secernere possent. De suavissimo odore ex capite S. Joannis Baptistae emanante loquitur Theophanes in *Chronografia* pag. 392. edit. Paris. Acta S. Polycarpi apud Ruinartium n. 13. manifesto testantur suavissimum ex Sanctissimi huius Martyris corpore manasse odorem, veluti thuris, aut myrrhae, aut pretiosi alicuius unguenti. Ex S. Eligii Noviomensis Episcopi vita cap. 1. Libri 1. pag. 731. discimus *forata tumba* (S. Quintini), *tantam odoris fragantiam cum immenso lumine ex eo manasse, ut etiam ipse S. Eligius fulgore luminis odoreque inenarrabili perculsus, vix subsistere posset.* Admirabilem manasse odorem ex Reliquiis Sanctorum quadraginta Martyrum, testatur Sozomenus, capite 2. Libri 9. De odore suavissimo ex monumento Divi Stephani emanante, quum primum illius sacrum Corpus detectum est, haec intelligimus ex Epistola Luciani *de Revelatione S. Stephani Martyris* n. 8. in appendice tom. VII. operum Divi Augu-

stini: *Qui* (Episcopi) *cum aperuissent Domini Stephani thecam, statim terraemotus factus est, et tanta suavitas, et fragrantia odoris inde egressa est, quantam nullus hominum se meminit vel audivisse, vel sensisse; ita ut putaremus nos in amoenitate paradisi esse positos.* Nec omittendum id puto, quod ex Epitome Chronicorum Cassinensium discimus, restitutis scilicet Ecclesiae Cassinensi S. Benedicti, eiusque sororis Scholasticae Reliquiis, *statim terraemotum factum esse; odoris vero suavitatem, et luminis immensi tantam claritatem extitisse, ut humana infirmitas... odoris suavitatem eloqui minime posset.* An non id ipsum discimus ex S. Hieronymo in vita S. Hilarionis n. 46? Ubi nos certos facit, S. Hilarionis *cadaver tantis fragrasse odoribus, ut delibutum unguentis putares.* De Eufemiae vero sacro corpore narrat haec Evagrius *Histor. Eccles.* cap. 3. Lib. 2. *Jam vero aliud miraculum commemorabo, quod nec tempore, nec ulla ex causa interrumpitur, nec discrimen facit inter fideles, atque infideles: sed omnibus ex aequo prostat. Ubi quis ad eum locum accesserit, in quo est arca illa pretiosa, quae sacras Reliquias continet, eiusmodi odoris suavitatem sentit, quae omnes consuetos odores superat.* His ea adde, quae de suavissimo odore ex aperto sepulchro S. Raymundi, Signius, cap. 12. de *Reliquiis*; et ex reperto S. Bibianae corpore, effluente narrat Boldettus.

II. Lumina, et faces apparentes, splendorque inusitatus Sanctorum reliquias interdum indicarunt. Insuper Revelationes sunt certa argumenta veritatis authenticae Reliquiarum. Hoc pacto aperuit Deus quamplurimas Sanctorum exuvias. Ex admonitione divina cognovit Divus Ambrosius Lib. 10. *Epistola 85.* Corpora Sanctorum Gervasii, et Protasii. Numquid non eadem ratione Deus Sanctae cuidam mulieri Reliquias S. Cypriani detexit, ut didicimus a S. Gregorio Nazianzeno *Oratione in S. Cyprianum, Revelatione,* inquit, *in apertum protulit.* Monitu etiam S. Joannis Baptistae, qui apparuit, figulus quidam eiusdem Sancti Baptistae caput obtinuit, et ad Emissenam Urbem detulit, ut constat ex Marcellino Co-

mite *in Chronico ad annum* 453. tom. 14. *Biblioth. Patrum* pag. 716. Sane ad dignoscendos veros Martyres summam adhibuit curam Ecclesia: cuius quidem rei plurima in antiquis Scriptoribus argumenta extant; sed ne in re notissima aequo sim longior, paucos afferam ex Anastasio Bibliothecario *in Vitis Pontificum Sectione quarta* pag. 41. tom. 2. *edit. Romanae;* haec reperio in vita S. Clementis Romani Pontificis: *Hic fecit septem regiones dividi Notariis fidelibus Ecclesiae, qui gesta Martyrum sollicite, unusquisque per regionem suam, diligenter perquirerent.* In Anteri autem vita haec extant *sectione vigesima* pag. 186. tom. 2. *Hic gesta Martyrum diligenter a notariis exquisivit, et in Ecclesia recondidit.* Horum itaque opera agnoscebant Ecclesiarum Praesides, quinam Martyrum titulo, atque honoribus decorandi essent: quod sane sine diligenti inquisitione, atque examine non fiebat. Sicut autem ii, quos probabat Ecclesia, *verorum Martyrum titulo,* etiam dum viverent, et post mortem appositis Martyrii ad eorum tumulos argumentis, Martyrum honoribus afficiebantur: ita eos, quos non probabat, veluti Martyres coli minime sinebat. Vide Bencinum *de verorum Confessorum, et Martyrum titulo, in annotationibus ad Anastasium Bibliothecarium* sectione XVIII. idest ad vitam S. Urbani Primi tom. II. pag. 177. An non S. Martinum cultum submovit latronis illius, quem rude vulgus inconsulta Ecclesia colebat? An non Gregorius Lingoniensis sanctissimus Episcopus, uti refert Gregorius Turonensis *de Gloria Martyrum* cap. 52. nunquam adduci potuit, ut corpori S. Benigni cultum adhiberi permitteret, nisi quum certo illi innotuit eiusdem Benigni sanctitas?

III. Praeterea ne Sanctorum Reliquiae cum aliis hominis minime sancti, aut certe non approbati Reliquiis confunderentur, argumenta aliqua Ecclesia adhibuit, quibus eae dignoscerentur. Nomen, Epitaphium, titulos, et si qua sunt huius generis alia, Sanctorum tumulis apposuit. Sane Prudentius titulorum Martyrum sepulchris appositorum meminit, dum Hymnum decimum Libri

Περι στεφανων in quo passionem S. Hyppoliti describit, sic exorditur:

Innumeros cineres Sanctorum Romula in Urbe
Vidimus, o Christi, Valeriane, sacer:
Incisos tumulis titulos, et singula quaeris
Nomina, difficile est, ut replicare queam.
Tantos iustorum populus furor impius hausit,
Quum coleret patrios Troïa Roma Deos.
Plurima litterulis signata sepulchra loquuntur,
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.

Superesse etiam nunc in Romanis coemeteriis partem aliquam horum Epitaphiorum, ex viris Clarissimis, Aringhio, Boldetti, et Bottari discimus, quorum cura, studioque typis edita sunt multa ex iisdem Epitaphiis. Alia quoque apposuere Christiani veteres Martyrum tumulis argumenta, quibus eorum corpora a communium, ut ita appellem, Christianorum cadaveribus dignoscerentur. Constat ex viris praestantissimis Boldetti, *Osservazioni sopra i Cemeterii de' Santi Martiri, ed antichi Cristiani*; et Blanchinio, *ad sectionem* 28. *Anastasii* tom. 11. pag. 244.; consuevisse interdum fideles vela, lineasque vestes Martyrum sanguine imbutas, dum pro Jesu Christi nomine hi paterentur, veluti certos Martyrii indices, eorumdem Martyrum sepulchris apponere: insuper instrumenta Martyrii, veluti scorpiones, ungulas, aliaque id genus, ut his quoque argumentis a reliquis cadaveribus Martyrum corpora secernerentur. De hisce signis scribit Casalius *de veteribus sacrorum Christianorum ritibus* pag. 267. *Sicuti etiam cum Corporibus Martyrum recondebant instrumenta eorum martyrii.* Addendus Aringhius *Romae Subterraneae* Lib. 1. cap. 1. *Mos erat Christianis, ut in monumentis Martyrum ipsa quoque interdum martyriorum instrumenta reconderentur.* Concordant etiam ea, quae apud Auctores Ecclesiasticos passim leguntur. Sanctus enim Ambrosius *in exhortatione ad Virgines*, ait, se sumpsisse e sepulchro S. Agricolae crucem et clavos, quibus ille Cruci fuerat affixus. Cardinalis Baronius in Annalibus ad ann. 102. testatur, corpus S. Clementis repertum

fuisse una cum anchora, qua ad collum alligata demersus fuit in mare. Ampullas et phialas quoque sanguine a Martyribus fuso plenas ad eorum tumulos fuisse positas, ut dignoscerentur ab aliis, et virorum fide dignissimorum testimonium, et crebra experientia testatum facit. De illis loquitur Aringhius *Romae subterraneae* Lib. 4. cap. 43. *In caemeterialibus plerisque tumulis vitrea quoque ac fictilia vasa conspiciuntur, quae sacrum Martyrum cruorem in eiusdem sepulchri loco reconditum, calce obsignata, continebant.* De antiquo autem Christianorum studio pretiosum Martyrum cruorem colligendi, et in sepulchris conservandi plura legi possunt apud allegatum Auctorem Lib. 2. cap. 22. Item, haec vascula sanguine tincta esse signum indubitatum Martyrii, admittitur a Mabillonio. Concordat Marcus Antonius de Mozzis Canonicus Florentinus *in Historia SS. Cresci et Sociorum* pag. 79. et subscribit Muratorius tom. 5. *Antiquit. Italicar. medii aevi* pag. 46. *Certissimum censetur Martyrii indicium vas sanguinem continens, aut sanguineo colore infectum in Romanis aliisque Christianorum coemeteriis antiquissimis, eorum tumulis innexum aut appositum.* Post haec, ut cetera prosequamur signa, aliud consistit in Palmis. Incisae enim dicuntur ad denotandum Martyrium. Hinc scribit Cardinalis Baronius *in notis ad Martyrologium Romanum ad 1. Januarii: Certe his insignibus nobilitatos Sanctos Martyres vidit Sanctus Joannes in Apocalypsi; ut non mireris, si in Martyrologio saepius leges Sanctos Martyres palmam accepisse martyrii: est enim ea dicendi phrasis ex Divinis Scripturis comparata, atque antiquitus usurpata.* In Actis SS. Montani, et Sociorum apud Ruinart pag. 201. num. 4. *In coronis nostris ideo praemium est, quia certamen ante praecessit; nec datur palma, nisi congressione perfecta.* Et in Actis SS. Saturnini, Dativi, et Sociorum apud citatum Ruinart, instituto sermone de S. Virgine et Martyre Victoria pag. 345. num. 16. *Haec ergo ad Martyrium properans florem, pudicitiae palmam triumphali dextera praeferebat.*

IV. Nec solum cordi fuit Ecclesiae studere, ut veras

Reliquias agnosceret; verum etiam diligenter cavit, ne certis Reliquiis falsae aliquae supponerentur, et proponerentur ad adorandum. Diligentissime scilicet sigillatas custodiri voluit, sanctissimeque servari sacratissimum hoc depositum. Hunc morem indicare videtur Lucianus ille, cui revelatae fuerant Sanctorum Stephani, aliorumque Reliquiae, dum haec ait in *Epistola ad omnem Ecclesiam* capite octavo: *Et osculantes sacras Reliquias, iterum clauserunt*. Ubi ossa B. Maximiani Ravennae Episcopi in Syndone posita sunt; *eadem Syndone ligata, sigillum ex latere suo Pontifex annulo signavit*, inquit Agnellus capite septimo vitae eiusdem S. Maximiani. S. Zenonis ossa firmiter circumsepta, annuloque ab Episcopo sigillata discimus ex Historia Translationis eiusdem Sancti. Custodiendae porro tradebantur aut Episcopis, aut certe vitae sanctitate probatissimis.

DE SACRIS IMAGINIBUS.

Caput I.

De veneratione cultuque Sacris Imaginibus a Christianis adhibito.

I. Qui Imaginibus primi (1) omnium denuntiavere bellum, fuere veteres illi haeretici; quos nemo potius inter Christianos, quam inter gentiles numerandos non existimet, Marcionitae, Manichaei, ac Phantasiastae. Gravissimum sacrae Imagines subiere discrimen, quum Leo Isauricus (Conon antea dictus) imperium est assecutus. Gregorius Papa eius nominis secundus, cum Leonem ab hac insania deterrere non potuisset, de Concilii Romani sententia, tam illum, qua eadem haeresi contactos subiecit anathemati. Constantinus Copronymus, qui paternam aemulatus impietatem, et illius furorem supergressus, multa in cultores Imaginum viros sanctos immania, et nefaria decrevit. Copronymo successit Leo

(1) Trombelli, *De Cultu Sanctorum*. Dissertatio VII· cap, II. et seqq.

eius filius, paterni in Imagines odii ac furoris haeres. Post Leonem imperavit Constantinus cum Irene matre sua: his imperium administrantibus, cum Tarasius Constantinopolitanus Patriarcha esset electus, non prius ad hanc capessendam dignitatem adduci passus est, quam de Cultu Sacrarum Imaginum restituendo facultatem nanccisceretur, et tempore sui Patriarchatus habita est Synodus Oecumenica ab Hadriano Romano Pontifice, in qua constitutum fuit Imagines sacras cultu et adoratione dignas esse et damnati fuerunt qui eas respuere, aut frangere, ac demoliri audebant, quos *Iconomachos*, et *Iconoclastas* nuncuparunt. Joannes Wiclef etiam, obiter tamen attigit Imaginum repraehensionem, sed disciputi eius acrius postea Imagines oppugnaverunt. Vide Thomam Waldensem, tom. 3. tit. 19.

II. Ex omnibus antiquitatis exemplis expressissimum illud est, et ante cetera memorandum, quod Eusebius Lib. 7. c. 18. (ut alibi diximus), narrat de muliere, sanguinis profluvio laborante, et ab Christo Domino sanata, ad eius beneficii propagandam memoriam, aeream statuam erexisse in honorem Salvatoris; quae Caesareae Philippi quam Paneadem vocabant, adhuc Historici illius aetate visebatur. Cui et miraculum accessit herbae cuiusdam novae inusitatae formae: quae ad pedes statuae pullulans, morborum genera omnia curabat. Quo ex miraculo liquet, non damnandas, neque divina lege interdictas Imagines, aut in idolorum censum, numerumque relegandas; ut impie iactant Iconomachi. Non enim miraculis sancire res nefarias, et illicitas divina solet bonitas. Atque hoc verissimum esse persuadet illud, quod eamdem ex Eusebio narrans historiam addit Sozomenus Lib. 5. cap. 21.; *Cum illam Christi statuam gentiles ignominiose tractam confregissent, Christianos eius frustra collegisse, et in Ecclesia reposuisse: ubi hodieque* (ait Sozomenus) *asservantur*. Ex quo intelligimus, Christianos per illud tempus adeo ab Imaginibus non abhorruisse, ut earum fragmenta ab ethnicis dispersa in honore haberent ac pretio. Theodorus Studites sanctitate, et do-

ctrina clarissimus, sic Leonem Imperatorem, sacris Imaginibus adversantem, est allocutus pag. 34. tom. V. *Operum Sirmondi* n. 69. *Vitae Theodori Studitae*: *Nec locus ullus est, non regio, seu domus, in qua divinae Imagines affixae non sint: quippe omnibus veneranda res est, cui temporis lapsus, et auctoritas honorem conciliarunt.* Ambrosius *in Epistola quinquagesima tertia* Pauli, effigiem itidem coloribus expressam fuisse docet, ubi de SS. Gervasio et Protasio sibi per visum oblatis loquitur: *Cum quadam*, inquit, *mihi tertia apparuerunt persona, quae similis esse Beato Paulo Apostolo videbatur: cuius me vultum pictura docuerat.* Hunc locum citavit Joannes Damascenus Oratione secunda de Imaginibus. Sanctus Joannes Chrysostomus *Oratione in Sanctum Meletium*, Antiochenos Christianos laudat, quod *Sanctam eius Imaginem, et in annulorum circulis, et in Calicibus et phialis*; *et in thalamorum parietibus ubique exaraverint.* Theodoretus *in Religiosa Historia* cap. 26. ubi testatur, *Sancti Simeonis Stylitae, Romae passim in officinarum propylaeis erectas fuisse imagines, ut hanc sibi tutelam ac praesidium adiungerent.* Prudentius sexcentis fere in locis Imaginum cultum inculcat, praesertim in hymno περι στεφανων.

III. Usum, cultumque Sacrarum Imaginum, non solum ante Septimam, sed ante Sextam quoque Synodum, in Ecclesia Graeca solemnem fuisse, probatur ex Collatione Sancti Maximi Martyris, quae extat inter *Anastasii Bibliothecarii Collectanea*, in qua haec leguntur: *Et in his surrexerunt omnes cum gaudio, et lacrymis, positisque in terra genibus, oratio facta est. Et unusquisque ipsorum sancta Evangelia, pretiosamque Crucem, et Imaginem Dei, ac Salvatoris nostri Jesu Christi, atque Dominae nostrae, quae illum peperit, Sanctissimae Dei Genitricis salutaverunt.* Idem probatur ex Sophronio Hierosolymorum Patriarcha in Oratione *de Miraculis SS. Cyri et Joannis*, ab VII. Synodo laudata. Antiquae igitur traditioni, et sapientissimorum Ecclesiae Patrum vestigiis inhaesit Leontius Neapolis Cypri Episcopus dum *Sermone quinto contra Judaeos* copiosissime cultum sacris Imaginibus delatum suffragio

et auctoritate comprobavit sua, et Judaeorum vindicavit calumniis. Simeon Thessalonicensis a septima Synodo *Actione quinta* laudatus: *Nos, inquit, Imagines hominum Sanctorum facimus ad recordandum et honorandum eos... Sed et adorantes, non Imagines, sed eos qui per picturam indicantur, glorificamus: et hos non ut Deos, sed ut proprios servos, et amicos Dei, et fiduciam habentes intercedendi pro nobis.* Sancti Joannis Damasceni *Oratione de Imaginibus* praeclara sunt adversus Iconomachos monumenta. Ex Oratione III. haec tantum verba describo, quae Ecclesiae doctrinam de cultu Imaginum a calumnia vindicant: *Neque ego, inquit, tamquam Deum Imaginem adoro: sed per Imaginem, perque Sanctos, adorationem Deo atque honorem exhibeo, propter quem et amicos eius veneror et colo.* Huc etiam faciunt illa Patrum loca, ex quibus apparet, ad Imaginum conspectum tactumque vel miracula effecta, vel pietatem, animique commotiones excitatas fuisse. Ita per Edessenam Salvatoris nostri Jesu Christi Imaginem innumera miracula patrata fuisse, scribit Evagrius Lib. IV. *Historiae Ecclesiasticae.* Ita Sancta Maria Aegyptiaca ex intuitu Imaginis Sanctissimae Virginis resipuit statim, tantumque poenitentiae desiderium concepit, ut procul in deserta loca digressa, admirabile illud poenitentis animi exemplum posteris dederit; uti haec historia narratur in Actione VII. Synodi.

Caput II.

De Jesu Christi Imaginibus.

I. Inter reliquias sacras (1) Imagines, quin praestent ea, quae Jesum Christum Salvatorem nostrum referunt, nemo, ut arbitror, dubitavit. Infinitum porro foret, ac nimis operosum, si de singulis, quas vel antiquitas, vel miraculorum fama celebratissimas fecit, sermonem in-

(1) Trombelli, *De Cultu Sanctorum.* Dissertatio IX. Caput XXX. et seqq.

stiluere vellem. Ab iis exordiar, quae non per symbola Christum exprimunt, sed illius vultum, et formam sub oculos ponunt. Quoad originem Imaginis, quae ad Abgarum missa dicitur, haec tradit S Joannes Damascenus, *de Fide Orthodoxa Capite 17. Cum Abgarus Edessenorum Rex pictorem misisset, qui Domini exprimeret effigiem, neque id pictor ob splendorem ex eius vultu emicantem assequi posset: Dominus ipse admoto divinae, vivificaeque faciei suae pallio, imaginem suam in eo depinxit, quem ad Abgarum misit, ut hac ratione desiderio eius satisfaceret.* Cum Abgarus Jesu Christi Imaginem suscepisset eo honore, quo prosequi par erat munus eius, quem ut Deum colebat, auro ornatam supra Urbis suae Edessae portam exponi iussit, ut ingredientibus simul et egredientibus spectaculo esset, et venerationi, et sub ea figi auream laminam his incisam litteris jussit: *Christe Deus, qui in te sperat, a spe non excidit.* Tradit haec Constantinus Porphyrogenitus *in Narratione de non manufacta Christi Imagine Edessena.* Hinc merito in summa apud omnes existimatione ea habita est.

II. Sed Patrum, ac veterum historicorum sententias primum afferamus, quibus eorum opinio innitur, qui censent, re vera a Jesu Christo Domino per miraculum formatam fuisse eam, de qua agimus, Imaginem, atque ad Abgarum missa. Primum eius Imaginis a Christo ad Abgarum missae mentio invenitur in Actis Samonae et Guriae Martyrum Edessenorum, quae non ita multo post eorum mortem anno Christi 306. conscripta sunt, et ipsius Bailleti iudicio ex Codice probato deprompta videntur. Id quoque testatur Evagrius, qui luculenter exsequitur, quid de ea Imagine a veteribus proditum sit; quid etiam vetustae traditioni vulgi opinio adiunxerit. Evagrii verba, utpote multa, non referimus. Praeterea mentionem eius facit Nicephorus Callistus Lib. 2. extremo capite septimo. Ineunte saeculo VII. de eadem Imagine narrat Theophilactus Simocatta Lib. 2. *Historiarum* cap. 3. Asseruit quoque auctor vitae S. Stephani iunioris. His adiungendus est Theophanes Cerameus *Homilia*

20. *de Sanctis Imaginibus* pag. 129. ubi haec habet : *Ipse Dominus in Sindone formam suam sine opera manus impressit, et Abgaro Edessae toparchae misit*. Synodus Nicaena II. Oecumenica VII. quae *Act. 5*. eiusdem Imaginis testimonium protulit ad convincendos haereticos Iconoclastas. Apud Labbaeum *tom. 7. Conc. pag. 379.* et apud Harduinum tom. 4. pag. 315. His assentitur Haymo Episcopus Halberstadiensis Lib. 2. *de Christianarum rerum memoria* cap. 3. *Dominus faciem suam lineo panno impressit, et misit ad eum (Abgarum), ut qui propria forma videri non poterat, saltem per impressam imaginem videretur*. His adde Graecos Scriptores nec paucos, nec ignobiles, Georgium Cedrenum, Michaelem Glycam, Photium, Zonaram, Joannem Curopolatam, Constantinum Porphyrogenitum, aliosque a Jacobo Gretsero laudatos *in Syntagmate de Imaginibus non manu factis* cap. 5. opp. tom. XV. et ab Augustino Calcagnino *in Observationibus Historicis de Imagine Abgari*.

III. Nemo porro tot tamque praeclaris viris affirmantibus, nemo, inquam, e veteribus huic traditioni adversatus est, adeo ut universalis quodam modo, et a Doctoribus omnibus approbata ea esset; usque dum revocatis saeculo XVI. in dubium aliis traditionibus, de hac quoque dubitatum est a nonnullis audacioribus criticis. Edessae fuit imago haec usque ad medium saeculum X. et annum Jesu Christi 994. quo anno ab Edessenis Imperatori Constantino VIII. tradita, Constantinopolim translata est, et in *Phari templo*, ut ait Constantinus Porphyrogenitus, *reposita ad gloriam fidelium, et custodiam Imperatorum, et ad tutelam totius Civitatis, et status Christianorum*. Translationis dies, qui fuit sextus decimus Augusti, quotannis deinde a Graecis rite celebratus est. In eorum Menologio ad memoratum diem 16. Augusti ita legitur : *Commemoratio formae non manu factae Domini et Dei Salvatoris nostri Jesu Christi ex Urbe Edessa egressae, in hanc a Deo servatam et regiam Urbem deportatae*. In Menaeo autem ita: *Reportatio ex Edessa non manufactae Imaginis Domini nostri Jesu Christi*. Tandem singulari Dei

providentia factum est, ut Romam Christianae Religionis sedem ac domicilium perferretur, *ubi hactenus colitur in titulo S. Silvestri*, ut ait Baronius, qui tamen nec tempus translationis notat, nec occasionem.

IV. Nunc de ea Christi Imagine, quam Veronicam appellant, sermonem instituamus. Dum Salvator noster Jesus Christus, mortem in Cruce proxime subiturus, eamdem Crucem humeris deferret, spineam coronam in capite gestans, ideoque ob manantem ex vulneribus sanguinem, faciem undique foedatam haberet, illi occurrit pia mulier, et velum, quo sudorem, et fluentem sanguinem tergeret, vultui apposuit, in quo quidem velo expressa remansit eiusdem Divini Vultus species, ideoque Christum referens, qualis erat, dum *languores nostros tulit, ac dolores nostros portavit*: quod quidem velum a pia illa muliere diligenter custoditum, et obtentum deinde a fidelibus, diu servatum est: aliquot denique elapsis saeculis Romam delatum, et honorificentissime servatum est. Quod spectat ad piam illam feminam Veronicam, nonnulli dubitare coeperunt; tum quia tota retro antiquitate Veronicae nomen ignotum est, et primi, qui historiam vulgarunt saeculo XII. piam ipsam mulierem non Veronicam, sed Venicem, aut Veronicem, aut Berenicem appellant; tum quia licet Veronicae, tanquam piae et sanctae feminae, nomen reperiatur in Martyrologio Galesinii, non reperitur tamen in Martyrologio Romano correcto et ampliato per Cardinalem Baronium. Cumque ipsum Sudarium *Veronicae* nomine fuerit appellatum a Nicolao IV. in suis litteris Apostolicis datis idibus Aprilis 1290.; et complures praeterea Pontifices, Clemens videlicet VI. VII. et Gregorius XIII. aliique sacrosanctum Sudarium *Veronicam* dixerint, et consimili modo loquatur Matthaeus Parisiensis in sua *Historia* sub initio Henrici III. Anglorum Regis, ubi postquam narravit supplicationem, seu Processionem ab Innocentio III. institutam, in qua Jesu Christi Domini effigies delata est a Basilica S. Petri ad hospitale S. Spiritus, haec habet de Effigie: *Effigiem vultus Domini, quae Veronica*

dicitur: nec dissimilis sit loquendi modus Benedicti Canonici *in Ordine Romano* apud Mabillonium *in Museo Italico* tom. 2. pag. 122. *Postea venit ad Sudarium Christi, quod vocatur Veronica*; ex his nonnulli sibi persuaserunt verisimile admodum esse, ut verba *Vera Icon* (vera imago) exigua litterarum transpositione in *Veronicam* evaserint. Ita Tillemont in *notis ad vitam Jesu Christi*, not. 33. legi etiam potest Mabillonium *in Itinere Italico* tom. 1. pag. 86. At sive Veronica fuerit pia femina, quae Sudarium faciei Domini admovit, sive Veronica unum et idem sit cum ipso Sudario; certum est Sudarium insignissimam esse Reliquiam, et multis abhinc saeculis cultum in Basilica Vaticana obtinuisse.

V. Extant in Tabulario Vaticano monumenta multa admodum authentica pro Sancta hac Salvatoris Imagine. Jacobus Grimaldus Tabularii custos, et publicus Notarius, sancte profitetur, se illa summa fide collegisse; idque publico scripto in vulgus edidit, signavitque manu propria in pervigilio S. Andreae anni 1612. his verbis: *Ita est, ego Jacobus Grimaldus manu propria*. In primo, quod affert, monumento, reperitur, anno 705. primo Pontificatus Joannis VII. Pontificem hunc aedificasse in vetusta S. Petri Basilica magnificum sacellum, cuius muri condecorati egregiis picturis opere tessellato, varias Domini Nostri et S. Petri historias referebant. Anastasius Bibliothecarius, et Petrus Mallius, Canonicus S. Petri qui Basilicae huius historiam executus est hoc argumentum indicant pietatis Joannis VII. erga divinam Faciem Jesu Christi. Coelestinus III. aeneas ianuas Sacello affixit, in quo Jesu Christi Imago servabatur. Innocentius III. mentionem facit solemnissimae supplicationis, quotannis fieri solitae prima Dominica post Epiphaniam, in qua gestabatur Imago Jesu Christi ex Ecclesia Sancti Petri ad Xenodochium Sancti Spiritus. In Epistolis quoque, datis ab Honorio III. ad idem S. Spiritus Xenodochium anno 1222. Pontificatus sui octavo, de hac supplicatione loquitur, tamquam de re vetustissima et celeberrima. Nolim pariter hic praeterire, Urbanum V. ad S. Petri

Cathedram evectum anno 1362. diploma scripsisse Episcopo Aretino, in quo notat dies, in quibus coram populo exponebatur Salvatoris Imago. Praeter auctoritatem Pontificum, adducit idem Grimaldus vetera Martyrologia Basilicae Vaticanae, instrumenta, et diplomata, et Codices manu scriptos, in quibus sacrae huius Imaginis mentio fit. De hac Imagine mentionem agunt Methodius Tyriorum Episcopus, apud Marianum Scotum Lib. 2. *Chronicorum ad annum Christi* 39.; Petrus quoque Monachus Cassinensis, qui anno 1140. cessit e vita, in Libro Ms. de locis sanctis apud Mabillonium. Tom. 1. Musei Italici de eadem Imagine mentionem facit. Constantinus Porphyrogenitus, in *Oratione* apud Lipomanum; Mutium Justinopolitanum, Petrum Galesinium, et Christianum Adricomium. Jacobus Pamelius in Apologeticum Tertulliani cap. 12. num. 184. pag. 93. ita ad rem nostram loquitur: *Effigies Christi quam Veronicam appellant, Romae extat, tanta in veneratione, ut de illa dubitare posthac, non modo miracula non permittant, sed nec aspectus ipse.* Consule Jacobum Gretserum. Tom. XV. opp. in eius autem cap. 16. et seqq. plura cumulantur de hac sacra effigie Christi Domini adversus Casaubonum et Hospinianum, et de cultu eidem a multis saeculis adhibito.

Caput III.

De symbolicis Jesu Christi Imaginibus.

1. Plures procul dubio (1) apud antiquos Christianos fuere allegoricae, et typicae Domini Jesu Imagines, at tres prae ceteris: Boni Pastoris, Agni, et Piscis, quibus quartam adiungere facile possumus, et prima, e postrema graeci Alphabeti littera, idest A et Ω, expressam. In vitreis Calicibus in Christianorum Coemeteriis repertis pictas Boni Pastoris Imagines conspicimus; de qui–

(1) Trombelli, *De cultu Sanctorum.* Dissertatio XI. Caput LXVI. et seqq.

bus quidem Imaginibus laudatissimum librum scripsit eruditissimus Philippus Buonarroti. Porro in his crebro sub Pastoris symbolo expressum videmus Dominum Jesum: ideoque vel oves custodientem, vel unam ex iis impositam humeris deferentem: quae quidem Imagines manifesto respiciunt vel ad versiculum undecimum et subsequentes Capitis decimi Joannis, vel ad versiculum vigesimumprimum Capitis decimitertii Epistolae ad Hebraeos. In Coemeteriis quoque eamdem Imaginem saepissime occurrere testantur Boldettus, et Marangoni, et ante eos Bosius, et Aringhius. Repetita ea quoque est tam crebro in Sarcophagis Christianis, ut necesse non sit exempla adducere. Licebat scilicet Christianis ea sub specie Jesum Dominum repraesentare, quia ea bonitatem erga nos suam maxime indicat, et poscit vicissim gratum animum atque amorem nostrum. Ea quoque specie se interdum visendum exhibuit idem Christus. Hinc Perpetua, vetustissima Martyr, extasi absorpta haec ait: *Vidi* (apud Ruinartium).... *hominem canum*, *sedentem in habitu pastoris, grandem, oves mulgentem: et circumstantes candidatos millia multa.*

II. Specioso quidem Agni titulo Christus Jesus a Joanne Baptista primum salutatus est, et haud alio subinde nobiliori: quare Agni symbolo a Joanne Apostolo passim in Apocalypsi mysticis potius verbis, quam coloribus Christi Salvatoris adumbratur. Nec minus igitur antiqua, nec minus celebris inter symbolicas Christi Imagines ea est, qua Christus Dominus Agni specie expressus est. A primis usque Ecclesiae Saeculis id apud Christianos fuisse usitatum, manifesto docemur a frequenti harum Imaginum in vetustis coemeteriis copia. Perstitisse vero deinceps eum morem, cum alia multa comprobant, tum illae Imagines indubitate commostrant, quae in musivis veterum picturis supersunt adhuc. Ciampinus *Vetera monumenta part. 2. cap. 9. tab. 18.* Agni Imaginem affert in aede Sancti Vitalis Ravennae iampridem pictam. Ecclesiam S. Marci Romae erectam, picturis ornatam fuisse Ciampinus pariter docet ibidem

pag. 119. atque in ea quidem visitur adhuc Agnus Jesum Christum repraesentans *tab. 37.* pag. 122. Paschalem I. in aede S. Praxedis et Caeciliae sub eadem Agni effigie Christum indicasse compertissimum fit ex Imaginibus, quas aere expressas idem Ciampinus tab. 62. p. 160. evulgavit.

III. Jesum Christum insuper Symbolica etiam Piscis Imagine fuisse indicatum, minime dubito. Id vero apertissime indicat Optatus Milevitanus Libro contra Parmenianum verbis istis: *Hic est piscis, qui in Baptismate per invocationem fontalibus undis inseritur, ut quae aqua fuerat, a pisce etiam piscina vocetur. Cuius piscis nomen secundum appellationem graecam in uno nomine per singulas literas turba Sanctorum nominum continet,* ἰχθὺς, *quod est Latine*: *Jesus Christus Dei filius Salvator.* Nec praetermittendus hic est Paulinus *Epistola 33.*, qui *Piscis* item nomine Jesum Christum appellans, haec habet: *Quos quinque panibus*, inquit, *et duobus piscibus*, *panis ipse verus, et aqua viva, piscis Christus explevit.* Praeterea Christi Jesu nomen variis item formis, ac notis pia antiquorum Christianorum manu exculptum est, sed Graecis duabus illis praecipue A et Ω, prima videlicet, ac postrema graecis ipsius alphabeti litteris exaratum conspicitur. Quapropter sacrosanctum Jesu Christi nomen, quod graecis istis duabus notis exprimitur, Crucis quoque mysterio, honoris gratia Christiani obsignabant. S. Hieronymus libro secundo in Jovinianum n. 18. col. 267. tom. 2. edit. Veronae. *Docet*, inquit, *Apostolus scribens ad Ephesios, Deum praeposuisse in adimpletione temporum recapitulare omnia, et ad principium retrahere in Christum Jesum, quae sunt super coelos, et super terram. Unde et ipse Salvator in Apocalypsi Joannis*: *Ego sum*, inquit, *Alpha et Omega*, *initium et finis.* Aeternitatem Verbi in iis verbis designatam detegunt alii. *Sicut enim Alpha litterarum nulla praecedit, ita et Filium Dei nulli secundum constat esse.*

Caput IV.

De cultu ac veneratione Sanctae Crucis.

1. Sancti Patres, Ecclesiae Magistri (1) et Doctores, iis nominibus et epitethis passim afficiunt et cohonestant Crucem, ut facile appareat, eam a nobis religiose honorandam esse, si a priscis illis Patribus non deflectere, sed potius vestigia nostra, in illorum vestigiis ponere velimus: fieri enim non potest, ut Crux, quam tantis laudibus cumularunt, totque praeconiis extulerunt, eorumdem iudicio non sit res summo honore dignissima. S. Hieronymus in Epistola CVIII. ad Eustochium Part. II. tom. 1. pag. 697. iter describens Paullae eius matris iam defunctae, quo peragratis sacris Judeae locis, atque Aegypto Alexandriam usque, in Bethleem consedit, de cultu ab eadem prestito vivificae Cruci, per quam Salvator hominum nos redemit, sic loquitur: *Cuncta loca tanto ardore ac studio circuivit, ut nisi ad reliqua festinaret, a primis non posset abduci. Prostrataque ante Crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* Sanctus Joannes Chrysostomus *de Cruce et Latrone*: *Crux*, inquit, *prius condemnationis et supplicii nomen erat; et nunc res est venerabilis ac desiderabilis. Crux antea dedecoris et poenae, argumentum erat; nunc gloriae et honoris occasio. Quodque Crux sit gloria, audi Christum dicentem: Pater clarifica me gloria, quam habui apud te ante mundi constitutionem; gloriam Crucem nominans. Crux caput nostrae salutis. Crux infinitorum bonorum argumentum. Propter hanc nos qui prius inglorii et reiecti eramus, nunc in filiorum ordinem recepti sumus..... Haec ab errore nos liberavit. Haec ad veritatem adduxit. Haec reconciliationem Dei cum hominibus instituit. Haec nos ex profundo malitiae ereptos, in ipsum virtutis fastigium eduxit..... Vides quomodo Crux sit nobis festum, quod propter Crucem nos festum celebrare iu-*

(1) Borgia, *De Cruce Vaticana*. Caput VII.

bet? In Cruce enim oblatus est: ubi vero Sacrificium, ibi et peccatorum remissio: ubi reconciliatio Domini, ibi festum et gaudium. Sanctus Leo Sermone VIII. *De Passione Domini capite quarto: Cum ergo,* inquit, *Dominus lignum portaret Crucis quod in sceptrum sibi converteret potestatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, sed manifestabatur fidelibus grande Mysterium: quia gloriosissimus diaboli Victor, et inimicarum virtutum potentissimus debellator, pulchra specie, triumphi sui portabat trophaeum, et invictae patientiae humeris signum salutis adorandum regnis omnibus inferebat.* Rusticus Diaconus in Dialogo contra Acephalos: *Clavos,* inquit, *quibus confixus est Christus et lignum venerabilis Crucis, omnis per totum mundum Ecclesia absque ulla contradictione adorat..... Et adoramus omnes Crucem, et per ipsam illum cuius est Crux.*

II. Lignum insuper Crucis non vile, non contumeliosum esse credidit Ecclesia Catholica saeculo illo, quo et Nicaenum celebratum est Concilium. Exinde profanis usibus interdicta, et ab reorum suppliciis exempta (ut illorum temporum auctores referunt, Eusebius, ac caeteri post eum) inter sacratas, et religiosas res est habita. Adhaec si Patres coluerunt et colenda esse docuerunt instrumenta, quibus Martyres supplicio affecti: quanto magis censeri debent coluisse et colendam docuisse Crucem, et instrumenta Dominicae Passionis? Praeterea ligni Crucis adorationi Hierosolymis statim ab eius inventione dicatus fuit dies *Parasceves*, feria nempe VI. Hebdomadae, quam Graeci *magnam*, nos *maiorem* dicimus, ea nimirum, qua fidelibus Ecclesia a primis usque temporibus Crucis mysterium contemplandum proposuit. Sanctus Gregorius Turonensis, testis nobis est, etiam aetate sua Hierosolymis et feria quarta, et feria sexta Crucis ostensionem peractam fuisse. In libro *de Gloria Martyrum* Libro 1. cap. 5. *Crux Dominica*, inquit, *quae ab Helena Augusta reperta est Hierosolymis, ita quarta, et sexta feria adoratur.* Pluribus aliis quidem diebus iteratam huiusmodi caeremoniam, postquam imperante Heraclio, Hierosolymis potior vitalis ligni pars CPolim translata est

in templum S. Sophiae, Beda nobis fidem facit Capite XX. *de Locis Sanctis* Tom. III. opp. pag. 370. qui feria VI. et Sabbato Sancto etiam celebratam asserit. In Ecclesia Constantinopolitana hic ritus perduravit usque ad tempora S. Germani I., ad initia nempe Saeculi VIII. Haec solemnitas, uti observant eruditi, in desuetudinem abiit post Germanum I. ante Constantini Porphyrogenitae tempora. Invecta vero iam erat in Graecorum sacras caeremonias extra magnam hebdomadam alia Crucis adoratio, in tertia nempe Dominica Quadragesimae, cuius solemnes ritus fuse describuntur in Triodio. De hac adoratione mentio etiam habetur apud Sophronium in oratione *ad adorationem venerandae ac vivificae Crucis*, Tom. XII. *Biblioth. Patrum* pag. 213. Factum itaque est, ut hic ritus ab Orientali Ecclesia in Occidentalem etiam manarit, in qua ostensio ligni vivificae Crucis, ubi adesset, vel Crucis Imaginis in Parasceve fieri coepta est, uti patet ex Sacramentario Gelasiano, et Antiphonario Gregoriano, quibus concinit Ordo Romanus, quem ad tempora Gregorii Magni Pontificis revocat Cl. Mabillonius *in Commentario in Ordinem Romanum* pag. VIII. tom. II. *Musei Italici.*

III. Neque vero solam Jesu Christi Domini nostri veram Crucem, sed quamlibet Crucis effigiem adorandam semper censuit Ecclesia. S. Joannes Chrysostomus *in Oratione, Quod Christus sit Deus,* honoratam aetate sua Crucem ubique fuisse docet, eiusque figuram ad ornatum, ad remedium, et praesidium fuisse a fidelibus circumlatam: *Nam Reges positis diadematibus Crucem suscipiunt, mortis eius symbolum. In purpuris Crux, in precibus Crux, in armis Crux, et in mensa sacra Crux, et in toto orbe Crux, et super solem fulget Crux.* S. Asterius Amasenus Episcopus in oratione de S. Euphemia, adorationem Crucis lege Christianis indictam docet: *Virgo*, inquit, *veneranda in pullis vestibus sola sedet, manibus in coelum extensis, Deum in malis adiutorem invocans. Huic porro precanti supra caput apparet signum, quod ex praescripto Legis Christiani adorant et inscribunt sibi.* Quantum autem

obsequii a cunctis quinto ipso saeculo Crux obtineret, discimus his Theodoreti verbis sub finem sermonis sexti contra Graecos: *Graeci*, *et Romani*, inquit, *et Barbari crucifixum profitentes Deum, Crucisque signum venerantes*. Pluribus de Christi Jesu Cruce agit Sedulius *Carminum Libro quinto sub titulo de salutiferae Crucis quadripartita positione*: mihi satis sit duos hos eligere versus:

Neve quis ignoret speciem Crucis esse colendam,
Quae dominum portavit ovans ratione potenti.

Verum ne quis suspicetur expressis ipsis monumentis a tribus prioribus Ecclesiae saeculis deductis nos destitui, proferre illud placet, quod ex Martyrum Actis constat. Itaque in Actis SS. Theodoti, et septem Virginum apud Ruinart n. 17. pag. 302. haec occurrunt: *Rursus ergo perterrefacti, Crucis signum suae quisque impressit fronti, et mox apparuit eis Crux illustris, quae videbatur ex parte Orientali radium ignitum emittere*: *ad quam apparitionem mixtus gaudio timor fuit, et genibus flexis adoraverunt versus locum, unde Crux apparuerat*. Profecto hic flexio genuum versus locum, unde Crux apparuerat, describitur, quam quidem genuum flexionem veram adorationem fuisse minime dubito. Vide in hanc rem Gretserum, *de Cruce*; Borgia, *de Cruce Vaticana*; et Diatribam *de Inventione, et cultu verae Crucis* D. N. J. C. adversus Henricum Kippingium, aliosque editam a Cl. Philippo Venuti ad calcem Dissertationis sane eruditissimae *de Cruce Cortonensi*.

Caput V.

De signo Crucis quod manuum agitatione in fronte, ac reliquo corpore efformamus.

I. Perspicua adeo ac manifesta sunt monumenta, quibus ostenditur ab Apostolis ipsis eam, de qua agimus, consuetudinem derivari, ut id minus procaces inter Protestantes candide fateantur. Tertullianus *de Corona* cap. 3. *Ad omnem progressum*, inquit, *atque promotum, ad omnem aditum, et exitum, ad vestitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quaecumque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo exercemus*. Audiendus S. Athanasius Lib. *De Incarnatione Verbi*: *Signo Crucis*, inquit, *magica omnia compescuntur*. Audiendus Sanctus Basilius in Libro *De Spiritu Sancto, capite vigesimo septimo*, consuetudinem hanc qua fideles signaculo Crucis muniuntur, sola sine Scriptura ulla, traditione constare asserens. Quam consuetudinem pariter commendant S. Joannes Chrysostomus, *Homilia X. in Apostolos, et Homilia XII. in Epistolam primam ad Corinthios*; S. Ambrosius, *Libro de initiandis*; et ante illum Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi quarta, et decima tertia*. Praeclara sunt quae de Crucis signo habet variis in locis Sanctus Augustinus, scilicet *Concione secunda in Psalmum trigesimum sextum*: *Crux*, inquit, *iam de poena generis humani sublata est.... Honorata est et finita. Finita est in poena, manet in gloria. A locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum. Qui tantum honorem dedit poenis suis, quid servat fidelibus suis?* Et Tractatu quinquagesimo tertio in Joannem: *Ad hoc enim et ipse Dominus Crucem suam, ubi cum dementia superbae impietatis irrisit, in eorum qui in illum crederent, frontibus fixit, ubi est quodammodo sedes verecundiae: ut de nomine eius fides non erubescat, et magis Dei gloriam, quam hominum diligat.*

II. Haec eadem veritas constat ex Actis SS. Marty-

rum. In Actis S. Bonifacii haec leguntur apud Ruinart *Acta Martyrum num. 11. pag. 253. Sanctus Christi Martyr, facto signo Crucis, missus est in ollam......... Sanctus vero Christi Martyr, facto signo Crucis, rogavit spiculatores* etc. In Actis S. Euplii apud Ruinart n. 2. pag. 361. haec reperi: *Euplius libera manu signans sibi frontem.* Quantam spem in Crucis signo ponerent Theodotus, illiusque socii, palam ostenderunt. *Crucis signum* (legitur apud Ruinart *in Actis SS. Theodoti etc. n. 17 pag. 302.*) *suae quisque impressit fronti.* Praesidium vero ab eodem signo se desumpturum speravit idem Sanctissimus Martyr Theodotus, cum *Corpus suum signo Crucis muniens, in stadium processit animo imperterrito.* Aliud exemplum habemus in Gordio Martyre, de quo haec testatur Basilius *Oratione* in S. Gordium tom. 2. pag. 148. *editio Patrum S. Mauri*: *Haec cum dixisset, Crucisque signo se circumscripsisset, volat ad ictum, nihil immutato colore, nihil alterata faciei alacritate.*

III. Referemus autem deinceps vires, quas adversus Daemones salutare hoc Signum exercet. Magnus Athanasius in Libro *de Incarnatione Verbi Dei* tom. 1. pag. 74. eo argumento utitur ad Jesu Christi divinitatem, et potentiam contra gentiles asseverandam. *Nam solo Crucis signo utens homo, fraudes illius* (daemonis) *repellit.* Sed quanti etiam hoc signum faceret Antonius Magnus, ille in Aegypto Abbas, vel ex his eiusdem S. Abbatis verbis coniici potest: *Signum Crucis* uti legitur *in vita S. Antonii ab Athanasio scripta Evagrio interprete cap. 9. et fides ad Dominum, inexpugnabilis murus est.* Cyrillus Hierosolymitanus tum saepe alibi, tum apertissime num. 14. Catechesis 4. et frequentiam inculcat, et utilitatem huiusce signi commendat, haec elocutus: *Ne ergo* inquit, *in Catechesi XIII. Christi Crucem erubescamus, sed etiamsi alter abscondit, tu palam in fronte obsigna, ut daemones regium signum intuentes, procul fugiant tremebundi: fac vero hoc signum, dum manducas, et bibis, sedes, recubas, exurgis, loqueris, ambulas; verbo dicam, in omni negotio.* De Hilarione eximio illo Abbate, quem Daemones mirum in modum

reformidabant, haec scriptis S. Hieronymus prodidit *in vita S. Hilarionis n. 6. Intellexit Daemonum ludibria, et provulutus genibus, Christi Crucem signavit in fronte: talique ornatus casside, et lorica fidei circumdatus, iacens fortius praeliabatur.* Idem porro Hieronymus usitatissimum fuisse Christianis manu Crucem in fronte designare, his verbis ait in *Commentario ad Caput IX. Ezechielis v. 4. Extrema Tau littera Crucis habet similitudinem, quae in Christianorum frontibus pingitur, et frequenti manus inscriptione signatur.* Multa complectitur de hoc signo Damascenus Lib. 4. de *Fide*, cap. 11. in editione P. Le Quien Ordinis Praedicatorum. *Haec nobis*, inquit, *signi loco in fronte data est, haud secus ac circumcisio Israeli. Per hanc nos fideles ab infidelibus distinguimur, atque agnoscimur. Haec clypeus, armatura, atque tropaeum est adversus Diabolum. Haec signaculum est, ne nos exterminator Angelus tangat, ut Scriptura loquitur. Haec iacentium erectio est, stantium fulcimentum, infirmorum baculus, ovium virga, resipiscentium adminiculum, proficientium perfectio, animae et corporis salus, malorum omnium depulsio, bonorum omnium causa, peccati extinctio, resurrectionis planta, vitae aeternae lignum.*

IV. Tria considerari possunt in signo Crucis, quod manu designare in fronte ac reliquo corpore soliti sumus. Crux ipsa; modus, quo ille efformatur; verba, quae comitari signum illud solent. Atque haec quidem omnia mysteriis minime vacare, ex Sanctis Patribus didicimus. Ut a Cruce ipsa exordiar, in Crucis signo praestantiam, ac qualitatem divinae Charitatis Augustinus edocet Libro secundo de *Doctrina Christiana* cap. 62. Signum Crucis manu in fronte, ac reliquo corpore factum, nostrae Fidei professionem quandam esse, indubitata res est. Praeter affectum miserationis, pietatisque erga Jesum Christum, spem salutis obtinendae in nobis acuit, atque adeo ad Christi Cruci affixi imitationem signum istud nos accendit, et veluti exstimulat: suscitat enim in nobis cogitationem Salvatoris nostri in carne passi, ideoque, quum nos eo consignamus, id assequimur, ad quod hor-

tatur Petrus cum ait: I. Petr. cap. 4. v. 1. *Christo in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini.* Eamdem ob causam auditores suos hortatus est S. Joannes Chrysostomus, ut, si quando contumelia aliqua, aut dicto iniurioso afficerentur, statim pectus suum Cruce signarent. *Vituperando* inquit, *Homilia 88. in Matthaeum quis te persequitur? Crucis signo statim pectus signato; recordare omnium quae tunc gesta sunt* (in passione Christi), *et confestim omnia extinguuntur.*

Caput VI.

De forma et titulo s. Crucis, de Clavis, de Corona spinea, Lancea, et Sindone.

I. Ut salutiferae Crucis forma cognoscatur, prius sciendum est ex Gretsero Lib. I. de *Cruce* capite primo et Lipsio pariter Libro primo *de Cruce* capite 6. 7. 8. 9. Crucem aliam esse simplicem, unico constantem ligno, cui sontes, vel clavis infigebantur, vel funibus alligabantur: aliam compositam, quae ex duplici ligno obliquato construebatur. Rursus Crux composita dividitur *in decussatam, commissam, et immissam.* Crux decussata est, in qua duo ligna directa et aequabilia inter se obliquantur in similitudinem Graecae Litterae et Latinae X. qualis fuisse dicitur Crux, in quam S. Andreas Apostolus necatus est. Crucem commissam illam hic vocamus, cum ligno erecto alterum brevius supra, et in ipso vertice transversim committitur, cuius schema repraesentat Latinorum littera T. Immissam demum, dum erecto ligno transversum alterum secundo iniungitur, et hanc † formam exhibet. Quibus positis habendum est pro certo, Jesum Christum Immissae affixum esse. Id patet ex S. Justino, in Dialogo cum Tryphone §. 91. pag. 188.; S. Irenaeus, Libro secundo adversus *Haereses* capite 42.; Damascenus, Libro quarto *de Fide Orthodoxa capite duodecimo;* Sedulius, Libro tertio atque ut alios omittam a Gretsero Libro primo *de Cruce* capite tertio recensitos,

idem docent S. Augustinus in Psalmum 103. *Sermone primo* §. *14. Erat latitudo*, inquit, *in qua porrectae sunt manus: longitudo a terra surgens, qua erat corpus infixum: altitudo ab illo devexo ligno sursum quod eminet: profundum ubi fixa erat Crux.*

II. De suppedaneo et sedili controversia est, quae peritissimorum virorum torquet ingenia. Serry *Exercitatione* 53. num. 6. affirmat Crucem suppedaneo et sedili fuisse instructam. Cardinalis Gottus *De Veritate Religionis Christianae* tom. 4. part. 2. cap. 27. §. ait, se non ita fidenter affirmare posse, in Cruce Domini fuisse suppedaneum et sedile. Eamdem ingreditur viam Sandinus *Historia sacrae Familiae capite decimoquinto*. At P. Calmetus in cap. 27. Matthaei v. 32. favere videtur opinioni de suppedaneo, tum quod plures Jesu Christi Crucifixi cum suppedaneo depictae Imagines reperiuntur, tum quod hominis cadaver, etsi paullulum temporis solis manibus sustineri posse credit sine suppedaneo, non tamen ad multum tempus, quin discissis manibus, ipso sui pondere decidat. Eadem sentit P. Gravesonius Ordinis Praedicatorum, *de Mysteriis et annis Christi Domini Dissert. 20. quaest. 2. pag. 455.* Gretserus *Libro primo de Cruce* capite vigesimo quarto gravibus assentitur auctoribus, qui statuunt fuisse in Jesu Christi Cruce suppedaneum. Thomas Bartolinus *in Tractatu de Latere Christi aperto* Lipsiae edito anno 1685. suppedaneo favere videtur. Franciscus Fevardentius, *in Notis ad S. Irenaei* opera Lib. 2. cap. 42. veteres multas Jesu Christi Imagines se vidisse testatur ita Cruci affixi, ut pedes suppedaneo inniterentur. Idem etiam in veteribus nummis observavit Franciscus Nangius, quem ob id ipsum laudat Scaliger, et Vossius. Idem videre est apud Lipsium in *Notis ad Librum secundum* capitis 10. et apud Franciscum Cornelium Curtium *Tractatu de Clavis Dominicis* pag. 125. et seqq.

III. Nunc gradum faciamus ad Titulum Crucis Dominicae. Evangelistae enim scribunt Cruci titulum impositum fuisse quem Divus Matthaeus appellat αἰτίαν *caussam,*

cum titulus caussam criminis contineret, quare et apud Graecos eodem nomine crimen etiam venit. Nomen tituli retinetur et usurpatur etiam a Graecis, τίτλον enim appellant, ut et ipse S. Joannes. Porro titulus, seu caussa mortis vel supplicii aliquando non scribebatur, sed sola praeconis voce nunciabatur, aliquando scribebatur, reoque vel praeferebatur, vel etiam appendebatur. Communis est auctorum sententia Titulum Sanctae Crucis his verbis fuisse conceptum: *Jesus Nazarenus Rex Judaeorum.* Quod Pilatus Hebraeis litteris titulum scripsit, id ob Judaeos fecit, apud quos crucifixus est Dominus: quod Graecis et Latinis; id fecit communi Romanorum consuetudine, qui Senatus Consulta et Decreta, quae ad posteritatis memoriam durare volebant, Latinis et Graecis litteris non raro scribebant. Ex solo Evangelistarum Lucae, et Joannis textu non liquet quo ordine scriptae linguae fuerint. *Erat autem*, inquit *Lucas*, *et superscriptio scripta super eum litteris graecis*, *et latinis et hebraicis*; At Joannes, *Erat autem scriptum Hebraice graece et latine.* Probabilius igitur videtur hebraicam supremo loco positam, proximam vero fuisse graecam, quia multo notior erat Judaeis, quam Latina.

IV. Quoad inventionem Sanctae Crucis, suspicatur Baronius, Crucem Domini inventam esse proximo anno a Nicaeno Concilio, nempe anno reparatae salutis CCCXXXVI. Imperii Costantini vigesimo primo, Silvestri Pontificis XIII. Id satis apparet ex Rufino Libro decimo *Historiae Ecclesiasticae capite septimo* et ex Sozomeno, qui Libro secundo, capite primo refert, eodem ferme tempore, quo memoratum Concilium dimissum est, Crucem ab Helena inventam fuisse. S. Helena Imperatoris Constantini mater, quae Sacris Christianorum iam initiata, cum animum suum ad pietatem charitatemque exercendam intendisset, anno 328. fere exeunte, sese contulit Hierosolymam, et loco, ubi Salvator noster Cruci est affixus, iisque omnibus, quae ad eius Passionem pertinebant, probe exploratis, atque inde amota terra, sanctoque detecto Sepulchro, ternas reperit Cruces eiu-

sdem magnitudinis, sibi invicem adiacentes. Ex iis quaenam illa esset, in quam Redemptor noster fuisset sublatus, omnino erat incompertum. S. Ambrosius *in funere* Theodosii coniecit, Crucem, cui Christus fuerat affixus, cognitam esse ex titulo, *Jesus Nazarenus Rex Judaeorum.* Rufinus autem Lib. I. *Historiae Ecclesiasticae* cap. 18. cognitam putat ex miraculo repente sanatae mulieris, quae erat morti proxima: Paulinus, epistola 31. et Sulpitius Severus, Lib. 2. *Historiae sacrae* cap. 34.; ex miraculo mortui contactu eius ad vitam revocati. Sozomenus vero Lib. 2. cap. 1. et Nicephorus Lib. 8. cap. 29; ex utroque. Partem sanctissimae Crucis, aeque ac Titulum, Romam detulit Helena, ac reposuit in Ecclesia inde appellata *Sanctae Crucis in Jerusalem.* Titulus latuit mille circiter annos in altiore pariete dictae Ecclesiae. Inventus autem est sub Innocentio VIII. in capsula plumbea cum inscriptione hac: *Hic est titulus verae Crucis.* Erat autem huiusmodi: tabella lignea longitudinis unius palmi cum dimidio, in quam incisa erant verba haec rubro colore notata: *Jesus Nazarenus Rex Judaeorum.* Vide Baronium ad annum 326. §. 49. Spondanum ad annum 1492. §. 7. et Honoratum Nicquetum *in Historia Tituli Crucis* Lib. 1. cap. 23. et seqq.

V. Manus Christi et pedes clavibus perforatas fuisse diserte non tradunt Evangelistae. Et sane funes interdum manibus pedibusque sunt adhibiti, nullatenus transfixis per clavos, ut videre est apud Lipsium Libro secundo *de Cruce, capite octavo.* At nihil disertius, nihil ad Crucifixionem Domini accomodatius iis verbis, ex Psalmo vigesimo primo, *Foderunt manus meas, et pedes meos:* quem locum Hebraeorum perfidia omni conatu frustra studuit, aliquot interiectione punctorum, et versiculorum ordinem perturbando, corrumpere, ut videre est apud Calmetum ad illum Psalmi locum, et apud Berti tom. 5. *de Theologicis Disciplinis Lib. 29. cap. ultim.* §. 6. Quamvis enim Evangelistae in Crucifixionis Historia aperte non dixerint, Christum Cruci fuisse clavis affixum; id tamen satis luculenter ostendunt, cum Thomam Aposto-

lum narrat dixisse: *Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus eius non credam.* Ostendit Justus Fontaninus Archiepiscopus Ancyranus *Dissertatione de Corona Ferrea*; vetustiorem, ac propterea dignam, quam omnes amplectantur, sententiam esse eorum, qui statuunt, non ternis, sed quaternis clavis Jesum Christum Cruci affixum. Idem affirmat Bellarminus de septem Christi verbis in proemio. Franciscus Cornelius Curtius Augustinianus *Tract. de Clavis Dominicis* eamdem tuetur opinionem, quem sequuntur Gretserus, *Libro primo de Cruce capite 29.*; Rocca, *de Particula Crucis* tom. 1. pag. 252.; Sandinus, *Historia Familiae sacrae capite decimo quinto;* et Ayala, *Pictor Christianus*, Lib. 3. cap. 17. num. 9. Quatuor Clavos connumerat Innocentius III. *Serm. de uno Martyre: Fuerunt*, inquit, *Clavi quatuor, quibus manus confixae sunt, et pedes adfixi.* Cui concinit Gregorius Turonensis *de Gloria Martyrum Lib. I. capite sexto: Quod clavi*, ait, *Dominici quatuor fuerint, haec est ratio, duo sunt adfixi in plantis, et duo in palmis.* Eumdem clavorum numerum exhibet aureus nummus, de quo Curtius pag. 119. asservatus in Hannonia in Monasterio Laetiensi. Est etiam in Revelationibus S. Birgittae, Jesum Christum Dominum quatuor clavis confixum fuisse, Lib. 1. cap. 1. in quem locum legendus Consalvus Durantus. Praeterea multas antiquas Salvatoris nostri Crucifixi Imagines reperire est, in quibus singuli pedes singulis clavis figuntur. Colitur Lucae (quae civitas est in Hetruria nobilis) magna populi religione Jesu Christi crucifixi imago lignea pervetusta, cuius pedes bini clavi suppedaneo ligneo configunt. Et re quidem vera cum tenendum omnino sit, nullum e Christi Corpore os fractum esse, nemo profecto intelliget, longiori et crassiori clavo utrumque pedem alterum altero impositum traiici potuisse, quin os aliquod frangeretur.

VI. Per occasionem Clavorum Jesu Christi, ex quibus plures quam quatuor in diversis Ecclesiis veneramur, putavit Calvinus, posse se cultum superstitiosum Catho-

licae Ecclesiae exprobare, et frigidis his verbis in eam iocari: *Si quis, inquiens, numerum inire vellet, grandem sit inventurus summam.* At multiplicatio Clavorum Jesu Christi oriri potest, primo quia praeter quatuor Patribus cognitos, alios quoque possumus enumerare, videlicet eos, qui transversam Crucis partem, vel titulum vel suppedaneum affigebant. Secundo fieri potest, Clavos, qui nunc fidelium venerationi obiiciuntur, non esse ex eorum numero, qui ad Crucifixionem Salvatoris sunt adhibiti, sed potius continere parvas aliquas particulas scobis verorum Clavorum. Quod quidem oriri potuit ex eo, quod fideles, ut pietati suae facerent satis, alios veris similes elaborarunt, quos post contactum illorum, qui in Passione revera adhibiti sunt, diligenter in sui solatium conservarent. Insuper clavus aliquis, quo Martyr quispiam confixus est, existimatus fuit unus ex ipsis Christi clavis, cum Martyres sint mystica membra Christi, ut etiam scripsit Cardinalis Baronius ad annum 326. §. 54. *Nisi forte alicubi accidit, ut clavus aliquis inter sacras Reliquias asservatus, quo mystica membra Christi, nempe Martyr quispiam crucifixus est, idem unus ex ipsis Christi clavis fuerit existimatus.*

VII. Spineam coronam Jesu Christi capiti impositam fuisse, apertissimis verbis docent Evangelistae, Matt. cap. 27. v. 29. Marc. cap. 15. v. 17, Joan. cap. 19. v. 2. et 5: eaque jugiter capiti infixa, crucem conscendisse, vetustissima et communis, nemine reclamante, est traditio. Ut ceteros taceam Tertullianus Libro contra Judaeos id disertissime docet, qui Jesum e Cruce pendentem ita describit: *Inhaerens Crucis cornibus, et Corona spinea in capite eius circumdata.* Ex quo spinarum genere contexta fuerit Corona spinea, id ambigitur inter eruditos. Nam alii ex spinis, quae circa Hierosolymam nasci solerent; alii ex rhamno; plerique ex iuncorum marinorum acuminibus quasi spinis praelongis contextam putant. Franciscus Suarez hanc sententiam habet in tertiam partem Divi Thomae *tom. 2. disputat. 35. sect. 3. Qualis autem fuerit illa corona, et quales spinae, ex quibus fuit*

contexta, communiter fertur fuisse ex iuncis qui habent oblongas et acutas spinas duriores terrestribus, et ita indicant spinae illae, quae in Ecclesia asservantur. Baronius ad annum Christi n. 89. de Corona dissentit ab iis, qui putant, eam e marinis iuncis fuisse intextam, tum quod eiusmodi iunco spinae sint tantum in vertice, caudex vero et rami spinis omnino careant; tum quod Hierosolymae, quae longe abest a mari, haud ita facile quis intelligat, quomodo militibus marinus iuncus praesto fuerit; itaque statuit Coronam fuisse ex rhamno, qui terrestris est frutex, ac verisimile esse, prope Hierosolymam natum esse eum, quem milites ad Coronam adhibuerunt; idque affirmat etiam P. Ayala in opere quod inscripsit: *Pictor Christianus* Lib. 3. cap. 15. num. 9. Opinioni, quae favet rhamno, adstipulatur Natalis Alexander in cap. 27. Matthaei num. 12. et P. Joannes Laurentius Berti tom. 5. *de Theologicis Disciplinis* Lib. 29. *capite ultimo* n. 4.

VIII. In Basilica Vaticana Ferrum sacrae Lanceae quae Jesu Christi latus vulneravit magna cum veneratione conservatur. Reperta fuit Lancea Hierosolymis a S. Helena, uti ostendunt Bollandiani ad diem 15. Martii §. 21. pag. 379. et eam quidem in dicta civitate esse testantur Beda, seu alius Auctor in Libro *de Locis Sanctis* capite secundo; Gregorius Turonensis, Libro primo *de gloria Martyrum, capite septimo*; atque Adamanus Libro primo *de Locis sanctis, capite nono*; editus a P. Mabillonio ad saeculum III. Benedictinum part. 2. pag. 506. Sub finem saeculi sexti ab Urbe Hierosolymitana Lanceae translatio facta est ad civitatem Constantinopolitanam, teste auctore contemporaneo *in Chronico Alexandrino* pag. 882. Juxta relata in citato Chronico Alexandrino sacra Reliquia collocata fuit in maximo Templo, hoc est in Templo S. Sophiae. A Templo autem S. Sophiae subinde translata est ad aliam Ecclesiam eiusdem civitatis, hoc est ad Ecclesiam S. Joannis de Petra. Balduinus Constantinopolitanus Imperator II. pignoratus est Venetis cuspidem ferri Lanceae pro magna argenti vi. S. Ludovicus Francorum Rex Reliquiam hanc pretio redemit, an-

nuente Imperatore, eamque in Regio sacello Lutetiae Parisiorum collocavit. Reliqua pars ferri Lanceae servata fuit Constantinopoli in Ecclesia S. Joannis, donec subacta a Mahumete II. Constantinopoli, non abjecit ipse, sed conservavit omnes Reliquias, sicuti refert Theodorus Spandugiuus *in Historia Turcica;* et Baiazettus quidem eius filius ferrum sacrae Lanceae donavit Innocentio VIII. cuius cuspis in sacello Regio Parisiensi reperitur et cultum habet.

IX. Judaico more Sacrum Jesu Christi Corpus post mortem Sindone fuit involutum, et linteis fasciisque a pedibus ad collum usque colligatum, sudario capiti superposito, et faciem eius velante; et ex more quoque Judaico corpus fuit aromatibus inunctum, myrra scilicet et aloe. Huius autem funeris curatores fuerunt non ex plebe viri, sed Joseph Arimathaeus, dives et nobilis decurio, qui Corpus Jesu a Pilato petierat, et Nicodemus Princeps Judaeorum, qui magnam illam aromatum copiam aere suo profudit. Insignissima haec sacrae Sindonis Reliquia conservatur in Civitate Taurinensi; et eam ipsam esse, qua Jesus Salvator involutus fuit, testati sunt Summi Pontifices Paulus II. Sixtus IV. Julius II. et Clemens VII. Translationis eiusdem historiam a Civitate Hierosolymitana ad civitatem Taurinensem fuse enarrant Philibertus Pingonius, in Libro *de Sindone Evangelica*; et Franciscus Victon in Historia particulari super hoc argumento typis impressa post eius Tractatum *de Canonizatione* (1).

EXPLICIT LIBER NONUS.

(1) Vide Bellenghi, *De Reliquiis Jesu Christi.*

LIBER DECIMUS

DE JEJUNIIS.

Caput I.

De jejunio Quadragesimae.

I. Inter res spirituales (1), quae animae sanctificationi prosunt, Jejunium etiam adcensetur. *Bona est oratio* Tobiae cap. XII. v. 8. *cum jeiunio et eleemosyna. Humiliaverunt animas suas* Iudith cap. I. v. 8. *in jeiuniis et orationibus. Humiliabam in jeiunio* (aiebat David Psalm. XXXIX. v. 13.) *animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur.* Praecipuum jeiunium, quod singulis annis occurrebat, *Quadragesimale* dicebatur, graece τεσσαρακοστή. Jam vero id ipsum jejunium *ante paschale* iam inde ab aevo apostolico ad exemplum jejunii a Jesu Christo, a Moyse, atque ab Elia servati, ad quadraginta circiter dies produci coeptum est: indeque Quadragesima, quae nunc est, suam originem traxit. Tertullianus Lib. *de Jejuniis* cap. 2. ubi de Catholicorum jejuniis, sic loquitur: *Certe in Evangelio illos dies jejuniis determinatos putant in quibus ablatus est sponsus.* Dies, quibus ablatus est Sponsus, sunt dies ante paschales. Quot illi fuerint, non dicit Tertullianus; sed illos jejunio consecratos in Ecclesia fuisse diserte asserit, et ex Apostolorum praecepto jejunium illud in commune fuisse Christianis omnibus obeundum.

(1) Valfredi, *De usu et institutione jeiuniorum* Cap. I. et seqq.

Sanctus Irenaeus in Epistola ad Victorem Summum Pontificem apud Eusebium Lib. 5. *Historiae Ecclesiasticae* cap. 24. *Neque enim*, inquit, *de die solum controversia est, sed etiam de forma ipsa jejunii*. Dionysius Alexandrinus, qui tertio saeculo nondum adulto scripsit canonicam ad Basilidem epistolam, sic exorditur: *Misisti ad me, fidelissime et sapientissime fili, interrogans qua diei hora Paschae jejunium solvendum sit?* Igitur Dionysii aetate antepaschale jejunium tanta religione celebrabatur, ut perdiligenter percontarentur, qua diei hora jejunium illud solvere liceret. Quare quum Patres secundi ac tertii saeculi antepaschalis jejunii antiquitatem adeo luculenter adserant, procul dubio apostolica illi institutio tribuenda est.

II. Idem jejunium ab ipsa Apostolorum aetate ad quadraginta dies fuisse productum, pluribus demonstratur. Origenes, contra Celsum Lib. VIII. non modo jejunium antepaschale, quod parascevas vocat, ab aevi sui Christianis servatum meminit, verum de Christianorum abstinentia loquens, *quadragesimam* expresse memorat: *Habemus enim*, inquit, *Quadragesimae dies jejuniis consecratos*. Sanctus Athanasius *in Epistola ad Orthodoxos*, de Georgii Ariani in Sedem Alexandrinam intrusione agens, haec habet: *Haec autem sub Pascha, in sacra Quadragesima acta sunt, per quod tempus jejuniis dediti erant*. S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi I.* tempore Quadragesimae ad Catechumenos habita: *Tot annorum*, inquit, *circulos transegisti, mundo frustra operam navans; et quadraginta diebus non vacabis pro anima tua?* Sanctus Augustinus *Epistola 119. ad Januarium* cap. 15. ubi postquam praemisit Quadragesimam jejuniorum habere auctoritatem et in veteribus Libris ex jejunio Moysis et Eliae, et ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit, multa exponit quadragenarii numeri mysteria, et tandem sic concludit: *Ut quadraginta illi dies ante Pascha observentur, Ecclesiae consuetudo roboravit*. Sanctus Leo Magnus *Sermone* 2. *de Quadragesima: Unde quia* inquit, *dum mortali carne circumdamur, non desinit nobis*

hostis antiquus laqueos peccati ubique praetendere...... merito doctrina Spiritus Sancti hac eruditione imbuit populum Christianum, ut ad Paschale Festum quadraginta dierum se continentia praepararet. Et sermone II. *Appropinquante*, inquit, *solemnitate Paschali, adest maximum sacratissimumque jejunium, quod observantiam sui universis fidelibus sine exceptione imponit.* Canones etiam sic dicti Apostolici gravissimis poenis quadragesimale jejunium praescribunt. Insuper Synodus Nicaena can. V. duas quotannis in unaquaque provincia Synodus celebrari iubens his verbis, definit: *Synodi autem fiant, una quidem ante quadragesimam, secunda autem circa autumni tempus.* At Patres ea in Synodo coacti, ad significandum prioris anniversarii Concilii tempus, nomine Quadragesimae usi minime fuissent, nisi per omnes Ecclesias Quadragesimae jejunium, non secus ac autumni tempus innotuisset. Omnes quippe ubicunque gentium Ecclesiae ei decreto obnoxiae erant. Idem patet ex Synodo Laodicena, quae Quadragesimam supponit non recentis esse institutionis, sed antiquae traditionis, et multarum hebdomadum jejunium complecti, cum Canone 50. *Quod non oporteat in Quadragesima, in ultimae septimanae Quinta feria jejunium solvere, totamque Quadragesimam sine veneratione transire, magisque conveniat omnem Quadragesimam districto venerari jejunio.* Atque hinc aliud, idemque efficacissimum ad confirmandum quadragenarium jejunium oritur argumentum. Quum enim quarto saeculo hoc jejunium ab omnibus Patribus inculcatum, atque ab universa Ecclesiae observatum sit; quum magnum Nicaenum Concilium, ut notam signumque indubium, omnibusque compertum illud proposuerit, quo ad sanctas Synodos hyemali tempore quotannis ecclesiasticarum provinciarum convenirent Episcopi: qui quaeso tam constans ubique gentium Christianarum disciplina eodem tempore et nasci, et adolescere potuit, nisi antiquissimis temporibus, atque ab ipso Apostolorum aevo obtinuisset?

III. Causae ob quas jejunium Quadragesimae praeceptum esset ab Ecclesia plures afferuntur. Prima ratio ea

est, cujus Tertullianus meminit, nimirum ut memoriam recolerent luctus, atque aegritudinis Apostolorum ob Magistri sui mortem. 2.° Ad iustiorem Christianarum virtutum exercitationem. 3.° Ut fideles se praepararent ad S. Eucharistiam digne accipiendam in Festo Paschali. 4.° Ut Catechumeni ad Baptismum, poenitentes ad absolutionem accipiendam se se praepararent. Sicut enim Pascha solemne tempus erat admittendi Catechumenos ad Baptisma, et poenitentes post expletas poenitentiae leges ecclesiasticae communioni restituendi; ita solemne Quadragesimae jejunium ad utrumque velut praeparatio erat. Ex quibus illud certo statuas, poenitentes licet per totum annum statis poenitentiae legibus obnoxii fuerint, per quadragesimalis tamen jejunii observationem vehementius poenitentiae agendae incubuisse, spe erectos vicinae absolutionis, per Paschatis dies obtinendae. Quo illa Hieronymi *Comment. in Jonam* spectat observatio: *Quadragenarius numerus convenit peccatoribus, et jejunio et orationi, et sacco et lacrymis, et perseverantiae deprecandi.*

IV. Quadragesimale jejunium semper in Ecclesia ea ratione observatum fuit, ut fideles ab omni prorsus cibo ad vesperam usque abstinerent. Sanctus Basilius *Homilia I. de Jejunio: Expectas Vesperam,* inquit, *ut cibum capias.* S. Ambrosius *de Elia et Jejunio* Cap. X. Christianum hominem ad jejunium adhortans, ait: *differ epulas aliquantulum, non longe finis est diei.* Sanctus Benedictus cap. 41. suae Regulae: *Ab initio Quadragesimae,* inquit, *usque ad Pascha ad vesperam se reficiant.* Idem constat ex S. Bernardo Sermone 5. *de Quadragesima. Hactenus* inquit (idest a festo Sanctae Crucis ad Quadragesimam) *usque ad Nonam jeiunavimus soli, nunc usque ad vesperam jeiunabunt nobiscum universi.* Idem probatur ex Monacho Sancti Galli, Lib. I. *de vita Caroli Magni* cap. 12.; *ex regula Magistri* cap. 24.; ex Micrologo, *de rebus Ecclesiasticis* cap. 49. Verum decimo tertio saeculo ineunte, vetus et canonicus jeiunandi mos immutatus est, et hora nona solvi coeptum etiam in Quadragesima jejunium.

Vigebat aetate Sancti Thomae illa consuetudo, ut videre est secunda Secundae. 2. 147. art. 7. Tandem labente saeculo XIV. ad meridiem jejunium solvi coepit. Cum autem deinde ad meridiem comederetur, neque valerent Christiani ad aliam diem prandium differre, sensim post vesperam aliquid indultum est cibi, atque potus, id quod coenae nomine appellare noluerunt cum ob nimiam parvitatem id nominis ferre nequiret. Vulgo itaque tum Presbyteri, tum laici huius refectionis nomen a Monachis mutuati sunt, qui circa idem tempus dum ad vesperam conveniebant, Scripturis, vel antiquorum Patrum lectionibus audiendis, parum vini, atque panis frustulum adhibebant, diebus jejunii.

V. Quod vero ad ipsam ciborum abstinentiam spectat, in hac re illud primo constat, communem fuisse omnium Ecclesiarum praxim, ut fideles per Quadragesimam ab carnibus, vino, aliisque cibis lautioribus abstinerent. Sanctus Basilius *Homilia I. de Jejunio* (quod non aliud quam quadragesimale ab eo intelligi constat ex totius Homilia serie) *Carnes non edis*, inquit, *a vino abstines, vesperam expectas ut cibum sumas.* Ex usu itaque Ecclesiae coniuncta erat cum jejunio a carnibus abstinentia Theophilus Epistola 3. ad universos Aegypti Episcopos: *Qui autem*, inquit, *legum praecepta custodiunt, ignorant vinum in jejuniis, carnium esum repudiant.* Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. *Illuminatorum: jejunamus*, inquit, *et a vino carnibusque nos abstinemus, non ea quasi piacula abhorrentes, sed mercedem expectantes, ut dum sensibus grata contemnimus, spirituali coelestique mensa fruamur: atque nunc seminantes cum lacrymis, cum exultatione metamus in saeculo venturo.* Concilium Toletanum VIII. quod anno 653. habitum est, Canone XI. sic decernit: *Quisquis diebus Quadragesimae, sine inevitabili necessitate atque fragilitate, vel etiam impossibilitate aetatis; esum carnium praesumpserit attentare; non solum erit Resurrectionis Dominicae, verum etiam alienus ab eiusdem diei sancta Communione; et hoc illi cumuletur ad poenam, ut ipsius anni tempore ab omni carnium esu abstineat gulam, quia sacris diebus abstinentiae oblitus est disciplinam.*

VI. De eius duratione id iuvat observare, unum, idemque minime fuisse jejunii quadragesimalis tempus. Dies enim pro varia Ecclesiarum disciplina plures, paucioresve erant: nihilo tamen secius quadragesima dicti sunt, vel quod fideles eo jejunio Jesum Christum per quadraginta dies in deserto jejunantem imitari cuperent, vel potius quod ad quadraginta dies proprius accederent. Quod vero spectat ad IV. et V. saeculi disciplinam, ex Cassiano *Collatione XXI.* cap. XXIV. et Chrysostomo *Homilia XI. in Genesim*, aliisque colligere licet, quasdam Ecclesias sex hebdomadibus quadragesimam celebrasse, nonnullas septimam quoque addidisse; neutrum tamen numerum quadraginta dierum summam explevisse, quum apud illas omnes dies dominici jejunio exempti essent, apud istas etiam sabbata; unde triginta sex dies, non amplius, jejunio destinati erant. Illud autem praeter dubitationis aleam versatur, quarto nimirum Saeculo Laodiceni Concilii Patres decrevisse, Jejunium Quadragesimale a secunda feria post Quadragesimae Dominicam incipiendum esse ad Sabbatum Sanctum usque, quod sane decretum legimus apud Gratianum *Cap. Non liceat 7. de Consecr. Dist. 3.* et in Canone 40. eiusdem Concilii apud Labbaeum. Dominicos autem dies, atque Sabbati jejunio expertes habuerunt olim Orientales integra Quadragesima. Ex S. Gregorii scriptis patet eius aetate Quadragesimam a Dominica, non autem a Feria IV. initium sumpsisse. Lubet heic adferre ipsius Gregorii verba: *De Quadragesimali tempore*, inquit *Homilia decima sexta in Matthaeum, est adhuc aliquid, quod possit intelligi. A praesenti etenim die* (Dominicus is erat, ut ex Evangelica lectione, quae eadem nobis est in prima Quadragesimae dominica apparet) *usque ad Paschalis solemnitatis gaudia, sex hebdomadae veniunt; quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt; ex quibus dum sex dies Dominici abstinentiae subtrahuntur, non plus in abstinentia, quam triginta sex dies remanent.* Vide a Dominica coepisse Quadragesimam, alioqui quadragesimales dies quadraginta sex, non autem quadraginta duo fuissent; jejunium vero

a secunda feria post primam Quadragesimae Dominicam initum fuisse, quod dilucidius ostendit numerus triginta sex dierum, in quibus jejuniis vacandum erat. Quae profecto disciplina ad Saeculum usque IX. in Romana Ecclesia perstitisse, testis est Amalarius *de divinis officiis* Lib. 1. cap. 7. cuius aevo adhuc Romae triginta sex diebus jejunio vacabant Christiani. Ab XI. itaque Saeculo nova obtinuit disciplina, ineundi nimirum jeiunium a feria IV. quae primam Quadragesimae Dominicam praeit, quae omnium est Latinorum si unam excipias Mediolanensem Ecclesiam, consuetudo.

VII. Rigidissima fuit apud antiquos jejunii disciplina. Credebant quippe, omnibus Christianis esse jejunandum, quod omnes aut peccarant, aut certe per jejunii asperitatem sanctiores fieri poterant; ut id egregie explicat Leo Magnus *Serm. 11. de Quadragesima*, neque aliam solvendo jejunio causam probabilem esse volebant, praeter unam corporis infirmitatem. Canon apostolicus 80. omnes quidem non jejunantes anathemate ferit, sed unice tamen excipit infirmos: praeterquam *si corporis infirmitate impediantur*. Ipsis vero infirmis hac demum lege jejunium remissum est, ut non continuo ob id crederent permissum sibi quavis hora, quovisve ciborum genere ventrem saginare, sed cum primum convalescerent, statim illud resumerent: secundo ut si non omnino, aliqua saltem ex parte christianam temperantiam prae se ferrent. S. Gregorius Magnus quum deberet ob stomachi gravem infirmitatem singulis ferme horis cibum capere, aegre ferebat, ne ipsam quidem maiorem hebdomadam posse se jejunare: mox vero quum sabbato magno precibus sanctissimi viri aliquantulum convaluisset, jejunium ad vesperam produxit, ut ipse de se scribit *Dialog.* Lib. III. cap. XXXIII. Ceterum si quidem per valetudinem eis liceret, omnes ad unum Christiani jejunabant. Hinc Basilius *Homilia II. de Jejunio* testatur, universos Christianos generatim jejunasse, sive milites, sive iuvenes, sive senes, sive feminas, sive navigantes, sive viatores. Ex Ambrosio *Serm. XXXIV.* etiam eruitur, senes jejunii tenacissimos fuisse.

VIII. Tempore Quadragesimae ante Altare suspendabatur cortina inter Sanctuarium et Clerum, quae Altare, et Ministros velabat, neque retraebatur, nisi Dominicis aut diebus festis. Plerique in Monasteriis legebantur ad Matutinum Sermones Patrum tantum, non vero de Scriptura, nisi in Dominicis. Multiplicabantur Officia, et prostrationes, lavabantur quotidie pedes stâto pauperum numero, eisque erogabatur eleemosyna; servabatur in Communitatibus silentium feria secunda, quarta, et sexta; et sexta saepius nihil comedebatur. Missas solemnes non solum duas, sed etiam tres dicebant Ecclesiae nonnullae. Missa de jejunio in paramentis nigris celebrabatur. In quibusdam Ecclesiis dabatur absolutio generalis ter in hebdomada; qui ritus in Missali Mozarabico signatus est Feria quarta, et Sabbato post offertorium. Lauduni singulis Quadragesimae diebus fiebat ad Vesperas precatio pro poenitentibus. Canonici manducabant simul in Refectorio per totam Quadragesimam, etiam postquam facti sunt saeculares. Quam maxime commendabatur Fidelibus, ut jejunium per plura pietatis opera sanctificarent, quorum praecipuum habebatur conscientiae puritas, ut jejunium Deo magis gratum fieret, magisque meritorium; quapropter praecipiebatur, ut hebdomada ante initium Quadragesimae peccata sua Sacerdoti aperirent, quo inter poenitentes constituti, ante Pascha reconciliarentur.

IX. Commendabatur etiam continentia per Quadragesimam, ideoque non celebrabantur eo tempore Nuptiae, quod ann. 370. vetitum est a Concilio Laodiceno can. 72. *Non oportet in Quadragesima nuptias celebrare.* Singulis diebus Quadragesimae habebatur in Oriente Congregatio in Ecclesia. Singulis quoque diebus Quadragesimae celebrabatur in Occidente Sacrificium, uti liquet ex Tertulliano, et S. Ambrosio, qui in Psalm. 118. ait, quod diebus stationis statim post meridiem fiebat congregatio in Ecclesiis, ubi Sacrificium in commune celebrabatur. Theodulphus de Missis agit, quae singulis Quadragesimae diebus dicebantur. Pro singulis quibusque diebus

Quadragesimae habentur Missae propriae in Sacramentario S. Gregorii; in Missali Gothico septem tantum habentur. In Oriente fideles congregabantur singulis diebus, itemque communicabant, sed Sacrificium non celebrabatur nisi Dominica et Sabbato, ut adnotatum cernimus a tempore usque Concilii Laodiceni. Concilium Trullanum can. 51. sacrificium permittit die Annuntiationis. Missamque memorat Praesanctificatorum. Multiplicabantur etiam Officia in Quadragesima. In vita S. Udalrici Augustani Episcopi legitur, quod praeter Officium Divinum, quod ipse quotidie cum Canonicis suis in suae Ecclesiae choro canebat, recitaret etiam privatim Officia B. Virginis, S. Crucis, et omnium Sanctorum, et Psalterium. Preces longiores in Quadragesima commendabantur, et Officio diei vel Officium Defunctorum, vel septem Psalmi Poenitentiales, vel Graduales adiungebantur; ut Romae adhuc fit, et in pluribus Ordinariis praecipitur.

X. Singulis Quadragesimae, et quatuor temporum feriis, Romae habebatur Statio seu processio; in unam conveniebant Ecclesiam, in alteram ituri ad Missam celebrandam. In istis processionibus ibant nudis pedibus per viam, et Pontifex ipse se exalceabat. Pervetustus fuit usus nulla celebrandi festa in Quadragesima, et a Concilio Laodiceno circa annum 360. can. 51. commendatus: *Quod non oporteat in Quadragesima Martyrum Natales peragere, sed Sanctorum Commemorationes in Sabbatis et Dominicis.* Jejunii moestitia non videbatur coniungi posse cum solemnitate Festorum. Iste Canon Concilii Laodiceni viguit omni tempore apud Graecos, qui Festum solummodo Annuntiationis in Quadragesimam invexerunt. Balsamon duodecimi saeculi auctor refert, quod in Monasteriis hoc etiam aetate sua servabatur, a quibus anticipabantur solemnitates in Quadragesima occurrentes, et ante Quadragesimam celebrabantur. Idipsum et apud Latinos diutius servatum est, ut liquet praesertim ex Concilio Toletano an. 654. a quo Festum Annuntiationis statutum est octo dies ante Natale, ne scili-

cet tale Festum vel per Quadragesimam, vel per Paschale tempus impediretur, quo tempore, ut ait Concilium can. I. antiqui canones nulla alia festa celebrari permittunt. Radulfus Tungrensis Prop. 10. de ritu Romano loquens, testatur, quod nullum fiebat olim Festum in Quadragesima; quod Annuntiatio celebrabatur ante Natale, Festum S. Gregorii Papae die tertia septembris; Festum S. Benedicti mense Julio; sed postquam Romae translata est Annuntiatio in mensem Martium, reliqua festa eidem mensi restituta sunt, praeter S. Ambrosium, qui Mediolani et Romae remansit mense Decembri, licet obierit die quarta Aprilis. Apud Joannem Abricensem qui undecimo saeculo floruit legitur, quod aetate sua nullum fiebat Festum per totam Quadragesimam, sed tantum Dominica celebrabatur commemoratio eorum, quae inciderant in hebdomadam. Monachi in Occidente mutarunt hunc usum, atque Festa invexerunt etiam in Quadragesimam, tum jejunii, tum laboris laxandi causa. De Festis in Quadragesima mentio fit apud S. Dunstanum. Lanfrancus in suis statutis c. 1. sect. 23. praecepit, ut si die cinerum occurrat Festum duodecim lectionum, in diem crastinum transferretur.

Caput III.

De Jejuniis quatuor Temporum.

I. Quatuor temporum jejunia initio Quadragesimae, post Pentecosten, ac mensibus Septembri, et Decembri, quarta ac sexta feria, et Sabbato quotannis celebrantur. Sancto Callisto Pontifici, qui initio tertii saeculi martyrii palmam est assecutus, huiusmodi institutio tribuitur, vel saltem, cum Jejunium ter in anno fieret veteri consuetudine, quartum ipse traditur adiunxisse. In Pontificali Libro, cuius Auctor Anastasius Bibliothecarius, cum de rebus gestis S. Callisti agitur, haec memorantur: *Constuit Jejunium quater in anno fieri, frumenti, vini, et olei gratia secundum prophetiam.* Hanc porro Callisto mi-

nime tribuendam contendit Petrus Coustant, qui Romanorum Pontificum Epistolas collegit, ac Parisiis anno 1721. typis mandavit: *Callisto*, inquit, *Isidorus Mercator duas supposuit Epistolas, genuino parenti aliquando cum reliquis ipsius foetibus reddendas*. Ab Apostolica traditione initium sumere hoc jejunium tradit Baronius ad an. 57. num. 209. *Ipsa quidem*, inquit, *quatuor anni temporum jejunia, quae in Ecclesia servari solent, ex Apostolica institutione sumpsisse principium S. Leo absque ulla dubitatione confirmat*. In hanc opinionem scripsit etiam Thomassinus. Cum deinde aliqua ex parte vetus disciplina immutata esset, et nonnullae Ecclesiae vernum jejunium mense Martio, aestivum vero in hebdomada, quae post Festum Pentecostes sequitur, celebrarent, Sanctus Gregorius VII. Quadragesimae initio primum Jejunium fieri, alterum vero in hebdomada Pentecostes perpetua lege constituit. Ita commemorat Micrologus cap. 42. et 25. Scriptor S. Gregorio coaevus, et Concilium pariter Claromontii habitum sub Urbano secundo, decernit, ut *jejunium semper in hebdomada Pentecostes celebretur*. Confer Odericum Vitalem, *Historiae Ecclesiasticae* Lib. 9. ; Muratorium, *in Anecdotis* Lib. 2. *Dissertatio de Jejunio quatuor temporum*. Praesertim autem videndus est P. Thomas Valfredi, *de Usu et Institutione jejuniorum quatuor temporum*.

II. Plurimis de causis celebratur hoc jejunium. Primum quidem ne Judaei, qui publice indictum Jejunium quater in anno religiose servabant, Christianos temperantiae virtute superare viderentur. Insuper, cum a veteri Ecclesiae disciplina recedendum fuerit, ob quam sacrae ordinationes mense Decembri haberi solebant, ob idque alia tria tempora, vere scilicet, aestate, ac autumno ineuntibus, ad illas peragendas constituta fuerint; omnino rationi consentaneum visum est, ut Jejunium pariter adhiberetur, quemadmodum ex Sacris Litteris deprehenditur, dum Barnabae, ac Sauli ordinationem commemorant. *Tunc. Act. Apost.* cap. 13. *jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos*. Tertio,

ut pro frugibus Deo gratias persolvamus, cum iis praecipue temporibus vel terrae mandentur, vel maturescant, vel desectae in horrea congerantur.

III. Nonnullis in locis singulis etiam mensibus jejunia celebrabantur, Julio, et Augusto exceptis. Profecto per Hispanias id obtinuisse constat ex Concilio Illiberitano, can. XXIII. quo sancitur: *Jejuniorum superpositiones per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensium Julii, et Augusti.* Superpositiones Jejuniorum fortasse dicta sunt, aut quod rigidiora essent, quam illa feriae IV. et VI., vel quod novae essent institutionis, atque ad Episcopi arbitrium indicenda; uti in hunc canonem recte observat Albaspinaeus. Jejunia IV. et VI. feriae ita semper in Ecclesia conjuncta fuere, ut neutrum separatum unquam apud veteres legas. Neque vero ab hac disciplina abhorrent quarti, et sequentium saeculorum Patres: immo et vetustissimi quique Clemens Alexandrinus, *Strom. VII.*; Origenes, *Homilia X. in Leviticum*; Tertullianus, *de Jejunio*, cap. XIV.; qui quidem de iis jejuniis ita loquuti sunt, ut clare ostendant, ea non sua primum aetate introducta fuisse, sed veteri Patrum traditione accepta. Hinc iure statuas, haec jejunia merito, plerorumque Clarissimorum virorum sententia, apostolicam sibi originem vindicare, praesertim quum in Hermae *Pastore*, saepe a Tertulliano, Clemente Alexandrino et Irenaeo laudato velut antiquo Ecclesiae commentario, haud obscura eius vestigia offendere liceat. Praeterea illud omnino notatu dignum isthaec jejunia, utpote singulis quibusque peracta hebdomadibus, exceptis quinquaginta diebus a paschate ad pentecosten, minime ad vesperam usque, uti quadragesimalia, producta fuisse, sed hora diei nona desiisse. Porro cur isthaec jejunia instituta sint, explicat Augustinus Epistola LXXXVI. ad Casulanum; nimirum quod feria quarta consilium ad occidendum Dominum inierint Judaei; et feria sexta passus sit. Eidem etiam caussae eorum jejuniorum originem referunt Petrus Alexandrinus, cap. XV.; *Constitutionum Apostolicarum.* Lib. V. cap. XV.; et Victorinus, *de*

fabrica mundi. Illis tamen diebus jejunium nulla lege fuisse ab Ecclesia indictum, patet ex Tertulliano, Lib. *de Oratione* cap. 14.; ex Canone 67. Apostolorum; ex Sancto Epiphanio, *in Expositione Fidei*; ex Innocentio I., *Epistola I.* ad Decentium; ex Isidoro Hispalensi, Lib. *de Ecclesiasticis Officiis* cap. 42. Postremo illud observes, Ecclesiam Occidentalem primis quidem saeculis in hisce jejuniis cum Orientali consensisse, ut ex Victorino, Ambrosio, Hieronymo, et Augustino liquet. Verum quum quarto saeculo Sabbatum apud Occidentales jejunari coeptum esset, uti constat ex Synodo Illiberitana, atque Augustino, mox id ipsum jejunium sabbati feriae IV. jejunio antelatum est. Itaque sensim, gradatimque omissum illud neglectumque fuit, donec tandem in omnibus Ecclesiis, quae Sabbato jejunare coeperant, feriae quartae jejunium prorsus abolitum est: quod observavit eruditus Albaspinaeus.

EXPLICIT LIBER DECIMUS.

LIBER UNDECIMUS

DE SACRAMENTIS, BENEDICTIONIBUS, ET PROCESSIONIBUS.

Caput I.

De antiquis Baptismi nominibus, de ejus materia, forma et Ministro.

I. Baptismus proprie (1) mersionem significat a graeco Βαπτιζειν *mergere*, *tingere*. In antecessum autem non abs re erit diversa nomina, quibus in primaeva Ecclesia Baptismus donari consuevit, hic exponere. Ac 1.° *Indulgentia*, sive peccatorum remissio dictus est. Hinc ab Augustino *de Baptismo* Lib. V. cap. XXI. *Sacramentum remissionis peccatorum adpellatur*. Quod sane Baptismi nomen Graecis etiam usurpatum occurrit, a quibus αμαρτιων καθαρσις *ablutio peccatorum*, αφεσις πλημμεληματων, *remissio delictorum* nuncupatur. Ita Gregorius Nyssenus *Oratio in Baptisma Christi*. 2.° Cum autem per Baptismum ex peccati morte in iustitiae vitam homo renascatur, hinc *regeneratio*, *vitae aqua*, *fons divinus*, *regenerationis lavacrum*, *nominari consuevit*. 3.° Quod vero baptizatorum mentes divina luce perfunduntur, Baptismum ipsum, *Illuminationem* veteres dixere. Id nomen in Chrysostomo, *Homilia* XIII. in Heb.; Nazianzeno, *Orat. XL. de Baptismo;* vulgato Dionysio Areopagita, *Hierarchia Ecclesiastica* c. III.; Concilio Laodiceno, can. XLVIII.; aliis-

(1) Trombelli, *De Baptismo* Caput I. et seqq.

que scriptoribus frequenter occurrit. 4.° Quoniam etiam is est Baptismi effectus, ut per illum ad salutem aeternam homines perveniant, absolute vocatus est *salus*. Augustinus Lib. I. *de peccatorum merito et remissione* cap. XXIV. *Optime Punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud quam vitam vocant.* 5.° Appellatus quoque invenitur *signaculum Domini, signaculum Christi, salutare signaculum.* Aliis tandem nominibus usurpatum baptisma occurrit, queis scilicet illius auctor, natura, atque effectus varii significarentur.

II. De Baptismi materia erraverunt quamplurimi. Ac missis iis, qui negarunt Sacramenta quaelibet esse signa sensibilia, Gnosticis nempe de quibus Irenaeus Lib. 1. cap. 21. num. 5. et Archonticis, de quibus Theodoretus Lib. I. cap. XI. *Haer. Fab.*, atque aliis quibusdam, qui superbo cognomine spirituales sunt appellati; iis inquam missis, baptismum in aqua repudiarunt Manichaei, existimantes elementum illud a principio malo productum, ut refert Augustinus de Haeres. cap. 46. His Bellarminus, Libro primo de Baptismo capite secundo, accenset Paulicianos, qui in Sacramentis res materiales aversabantur, Seleucianos et Hermianos Baptismum in aqua non accipere, tradit idem Augustinus Lib. de haeres. num. LIX. Novi Testamenti in hanc rem loca adeo sunt perspicua, ut declaratione non egeant. Joannes cap. III. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Tum Apostolos baptismum conferentes aquam adhibuisse, aperta res est. *Ecce aqua*, inquiebat Eunuchus Philippo Diacono, Actorum Cap. VIII. 36. *quid me prohibet baptizari?... Et descenderunt uterque in aquam Philippus, et Eunuchus; et baptizavit eum.* Insuper in sola aqua, et quidem vera, ac naturali conferri hoc Sacramentum, constans est Patrum omnium saeculorum traditio, ut nihil opus sit sigillatim eorum testimonia proferre, praesertim cum toti antiquitati subscribant duo Oecumenica Concilia, Florentinum in Decreto de Sacramentis, et Tridentinum, Sessione VII. *De Baptismo*, Can. II. Illud insuper hic advertere iuvat,

in Veteri Testamento non pauca nobis proposita fuisse symbola, quibus Novi Testamenti baptisma Patres adumbrari deprehenderunt. Ambrosius enim de *Mysteriis* cap. 3. tom. 2. pag. 328. praenunciata fuisse divinam aquae energiam prima mundi origine agnoscit, cum Spiritus Domini ferebatur super aquas. Profert et figuram baptismatis expressam in mari, et in nube, testimonio Apostoli confirmatam, 1. ad Corinthios Cap. X. v. 2. Fontem praeterea Mara immisso ligno, quod Jesu Christi Crucem adumbrat, dulcem factum; ac Naamanum Syrum a lepra in Jordane mundatum, aquarum baptismatis speciem praesetulisse docet. Agit proximo capite de piscina Siloe, in quam descendebat coelestis Angelus. Haec omnia fusiori stylo prosequitur Lib. I. *de Sacramentis*, et sequenti. Eadem profert S. Hieronymus *Epistola 82. ad Oceanum* tom. IV. pag. 650. Haereticos, quorum antea meminimus, aquam essentialem Baptismi materiam negantes, perenni traditione semper proscripsit Ecclesia. Atque hic nota, electam quoque fuisse aquam pro materia Baptismi, quod in Baptismo scilicet, qui aqua constat, praecipua Dei attributa commendantur, ut pluribus docet Tertullianus in Libro, *de Baptismo*. Primo itaque elucet in eo Dei sapientia, qui medio scilicet aptissimo usus est, ad explicandum caelestem Baptismi effectum, ipsumque ob hominum oculos posuit, qui non nisi per sensus spiritualia percipiunt. Secundo innotescit etiam quam maxime Dei omnipotentia, dum elemento multum humili utitur, ut magnificum operetur effectum. Tertio singularis quoque in nos Dei charitas splendet, qui in Sacramento omnino necessario ad consequendam salutem, materiam omnibus perviam, et ubique communem instituit.

III. Quamvis plerique Haeretici, qui Baptismum retinebant, usitatis in Ecclesia verbis illum conferrent; fuerunt tamen, quos errorum suorum disciplina eo abripuit, ut novas formas inveherent, in quibus nimirum proprios errores intruderent. Primi, qui de vitiata Baptismi forma accusantur, sunt Gnostici. Eos porro *in nomine trium*

sine initio principiorum baptizasse, non obscure innuit Canon XL. de sic dictis Apostolicis. Baptismi verba etiam adulterasse Menandrum Simonis Magi discipulum, auctor est Tertullianus *de Praescriptione* cap. XLVI. De corrupto Baptismate accusat Helcesaeos Theodoretus *Haer. Fab.* Lib. II. cap. VII. Montanistas non omnes, sed quos Cataphrygas appellare placuit, formam baptismi vitiasse apertum est. Eos enim *in Patrem et Filium et Montanum, sive Priscillam* baptizasse testatur Basilius *Epistola ad Amphilochium*. Paulianistae a Paulo Samosateno, qui Personas in Sancta Trinitate non distinguebat, sic appellati, irrita, et vana quadam formula usi sunt. Permulti etiam Ariani ex impio eorum dogmate formulas quasdam fabricarunt. Prioribus Ecclesiae saeculis unanimem fuisse omnium Ecclesiarum morem, ut in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizarent, productis veterum Patrum testimoniis, abunde demonstrant Theologi. Baptismi formam docuit Apostolos Christus ipse Dominus, ac per eos universam Ecclesiam, cum mittens illos in universum mundum, iussit praedicare, *baptizantes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Hinc Tertullianus Libro de Baptismo cap. 13. *Lex*, inquit, *tingendi imposita est, et forma praescripta: Ite*, inquit, *docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Formae a Jesu Christo praescriptae, teste Martene Lib. I. *De antiquis Ecclesiae ritibus* cap. I. art. XIV. num. XV. nonnulla verba addebant, seu interserebant Ecclesiae Gallicanae. Nam in antiquo Missali Gothico Gallicano, quod vulgavit doctissimus, et religiosissimus Cardinalis Thomasius, ita exprimitur Baptismi forma: *Baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti in remissionem peccatorum, ut habeas vitam aeternam*. Forma Baptismi apud Latinos est: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti*. Apud Graecos vero est: *Baptizetur servus Dei in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, ut est in Euchologio Graecorum.

IV. Solos olim Episcopos fuisse ordinarios, et legitimos Sacramenti Baptismi ministros, constans est et in-

dubitata sententia. S. Ignatius *Epistola ad Smyrnenses* num. VIII. *Non licet sine Episcopo neque baptizare neque agapen celebrare.* Tertullianus *de Baptismo* cap. XVII. *Dandi inquit* (Baptismi) *ius habet Summus Sacerdos, qui est Episcopus.* Cui concinit S. Hieronymus *in Dialogo adversus Luciferianos,* sic inquiens: *Unde venit, ut sine Episcopi iussione neque Presbyter, neque Diaconus ius habeant baptismi.* Idem etiam innuit S. Augustinus in libro vigesimo secundo *de Civitate Dei* cap. 8. ubi agens de quodam meritis S. Stephani divinitus ad Christum converso, et baptizari cupiente, *Et ecce,* inquit, *diluculum clamat, ut ad Episcopum curreretur.* Veterum quidem Episcoporum Historiae nobis exhibent, quanta animi cura huiusmodi ministerium sanctissimi Praesules obiverint. Macarium Jerosolymorum Antistitem scribit Theodoretus Lib. II. *Historiae Ecclesiasticae* cap. 27. veste aureis filis contexta a Constantino donatum fuisse, *ut ea indutus divini Baptismi ministerium perageret.* Huiusmodi morem, quo olim in Ecclesia Episcopis baptizandi cura committebatur, plura quae supersunt in ecclesiastica Historia, monumenta apertissime evincunt. Ac primum depromitur, ex quo primitus in qualibet civitate unum dumtaxat Baptisterium extaret, idque prope Cathedralem Ecclesiam, ut adnotarunt Panvinius, Vicecomes, Martene, Chardon, Allegranza, Gori, Bellenghi et alii. Nulla autem congruentior unius Baptisterii, et prope Cathedralem constructi potest ratio assignari, nisi quod tempore illo soli Episcopi baptizarent. Argumentum alterum conficiunt historica monumenta, quae ante Martenium, et recentiores Theologos, collegit in Appendice ad Ephesinum Latrocinium eximius P. Lupus: Epistola nempe Cleri Edesseni ad Photium et Eustachium, quae extat in Actis Concilii Chalcedonensis Act. X. rogantis, ut imminenti paschali festivitate ad propriam sedem Ibas remitteretur, quoniam ipsius praesentia opus erat *propter catechismos, et propter eos, qui digni sunt sancto baptismate.* Gregorius Papa *Epistola XXXIII.* Lib. I. Romanum Italiae exarcham hortatur, ne Blondum Hortensem Episco-

pum amplius detineat, quippe eo absente: *Ecclesia sine rectore, et populus quasi sine pastore grex deflueret, et ibidem infantes absque baptismate morerentur.* Atque hanc disciplinam viguisse etiam saeculo VIII. ut soli nempe Episcopi essent ordinarii, et praecipui Baptismi ministri, constat plane ex variis Synodis.

V. At vero Presbyteris quoque baptizandi potestatem tribuunt tum Auctor Constitutionum Apostolicarum, in quibus Lib. III. cap. XI. praescribitur: *Permittimus baptizare solos Episcopos ac Presbyteros ministrantibus Diaconis;* tum Innocentius I. Epistola ad Decentium: *Presbyteri seu extra Episcopum, seu praesente Episcopo baptizant.* Insuper Augustinus *Sermone CCCXXXIII.* narrans infantem in gremio mulieris B. Stephani opem implorantis revixisse, inquit: *Continuo tulit illum ad Presbyteros, baptizatus est, sanctificatus est etc.* Ac Theodulphus Aurelianensis Antistes, editus a Sirmondo, de Baptismo cap. 18. *Presbyteris,* inquit, *sive absentibus, sive praesentibus Episcopis, baptizare licet.* Quae quidem testimonia illud suadere videntur, Presbyteros nimirum post Episcopos ordinarios antiquitus fuisse Baptismi Ministros. Ad Episcopum enim baptizandi ministerium, ut dictum superius fuit, primum spectabat, et non nisi de eius permissu ad Presbyterum. Diaconis vero commissum aliquando baptizandi munus, nequit in dubium revocari: Philippum Diaconum baptizasse Eunuchum Reginae Aethiopum constat ex Capite VIII. Actuum Apostolorum, ut supra innuimus. In Concilio Illiberitano Can. LXXVII. Diacono, qui ecclesiastica iurisdictione praeditus est, Baptismi administratio conceditur. Insuper Diaconis baptizandi ministerium in Sabbato Sancto propter Catechumenorum multitudinem commissam olim fuisse, non pauci eruditi adnotarunt, ac praesertim Thomassinus *de Ecclesiastica disciplina* part. I. Lib. II. cap. XXIX. Quemadmodum igitur vi ordinis baptizandi ordinariam potestatem accipiunt Presbyteri; ita eamdem ex delegatione habent Diaconi.

VI. Et sane summa Baptismi necessitas id postulat,

ut si quod discrimen immineat, a quibuscumque, dummodo evangelicis verbis conferatur, conferri possit. S. Hieronymus Dialogo adversus Luciferianos: *Si necessitas cogit*, inquit, *scimus etiam licere laicis baptizare: ut enim accipit quis, et dare potest.* Insuper, idem evincunt testimonia Gelasii in Epistola ad Episcopos Lucaniae, et Isidori Lib. 2. *de Officiis Ecclesiasticis* cap. 24. Concilium quoque Illiberitanum Can. 38. approbat Baptismum ab homine fideli, seu laico in extrema necessitate datum. Jam porro feminas etiam, si necessitas urgeat, Baptismum conferre posse, ex dictis per se patet; eadem quippe illarum ac laicorum ratio est: nec Patres feminas excludunt, cum a quocumque Baptismum dari posse docent. Constat ex Concilio Carthaginensi IV. cui interfuit S. Augustinus, Can. 100. Constat ex Urbano II. in Epistola ad Vitalem. Constat ex Decreto Eugenii. *In causa necessitatis*, inquit, *non solum Sacerdos et Diaconus, sed etiam laicus et mulier..... baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae, et facere intendat quod facit Ecclesia.* Idem docent Concilium Compendiense anno 757. Can. 9.; et Nicolaus I. respondens ad consulta Bulgarorum, cap. 104.

VII. Valet quoque Baptismus praescripta Ecclesiae forma ab haereticis collatus. Magnis animis de hac re a veteribus disputatum est. Primus omnium Agrippinus Carthaginiensis Episcopus Baptismum ab haereticis administratum inanem censuit in Synodo Episcoporum Asiae et Numidiae, cui is praesedit, coacta an. CCXVII., uti Baronius, Pagius aliique putant. Agrippini decessoris sui vestigiis institit Cyprianus, qui collatum ab haereticis Baptisma iterandum esse putavit; idque ratum fecit tribus Conciliis Carthagine celebratis. Idem visum Firmiliano Caesareae in Cappadocia Metropolitano, aliisque Asiae Antistitibus in unum congregatis. At Cypriano aliisque obstitit Stephanus I. Summus Pontifex, qui Baptismum ab haereticis collatum, forma a Christo instituta, valere pronuntiavit, *et nihil innovandum, nisi quod traditum sit, edixit.* Stephani decreto universa conquievit Ec-

clesia, et secundum ejus sententiam in *plenario orbis Concilio* controversiam diremptam, inquit Augustinus Lib. I. *de Baptismo contra Donatistas* cap. 7. Nec vero longa disputatione opus est, ut propugnatum a Stephano Papa institutum ex traditionis apostolicae fontibus profluxisse demonstremus. Nullum in Occidente vestigium apparet iterati Baptismi, praeterquam in Africa. In Oriente testatur Eusebius *Hist.* Lib. 7. c. 2. antiquam consuetudinem invaluisse, ut in recipiendis haereticis sola manuum impositio cum precationibus adhiberetur: quem morem Aegyptios perspicimus esse prosecutos, ex testimoniis Dionysii Alexandrini apud Eusebium in eodem libro exstantibus. Huc accedit Basilii testimonium, qui Baptismum Montanistarum Dionysio Alexandrino probatum fuisse asseverat. Can. 1. Ipsa etiam Africa testis citari potest illius traditionis, quam acerrime impugnavit. Neque enim Afri ante Agrippini decreta Baptismum ab haereticis datum iterabant; idque ipsos esse confessos perspicitur ex his Firmiliani verbis: *Quod quidem adversus Stephanum vos dicere Afri potestis, cognita veritate errorem vos consuetudinis reliquisse.* Ipse etiam Cyprianus, dum ait in Epistola ad Jubajanum non novum aut repentinam rem esse, ut baptizentur qui ab haereticis in Ecclesiam veniunt, sed multos annos esse, ex quo Agrippino duce id Episcopi in Concilio statuerunt, non obscure novitatem opinionis suae confitetur, illiusque fontem et caput Agrippinum agnoscit. Sed ad rem audiatur S. Leo *Epistola 129. ad Nicetam Episcopum cap. 7.*: *Qui baptismum* inquit, *ab haereticis acceperunt, cum antea baptizati non fuissent, sola invocatione Spiritus Sancti per impositionem manuum confirmandi sunt.*

Caput II.

De Paedobaptismo.

I. De Baptismo infantium, seu parvulorum, idest, eorum, qui per aetatem ratione nondum utuntur, ut recte notavit Estius in IV. Sententiarum, Distinctione IV. §. XXIII. varii extiterunt, atque adhuc extant errores, aliis prorsus negantibus eos baptizari licere, aliis id permittentibus quidem, sed negantibus eos baptizari licere, aliis id permittentibus quidem, sed negantibus, utilitatem aliquam inde parvulis accedere; aliis denique, licet utilitatem agnoscant, necessitatem tamen eius abnuentibus. Nam praeter Anabaptistas, qui prorsus tollunt infantium Baptismum, atque eos baptizatos in adulta aetate rebaptizant, Pelagiani quidem valere parvulis Baptismum dixerunt, non ad vitam aeternam, quam iis etiam absque Baptismo promittebant. Fuerunt et alii perperam de Baptismo parvulorum sentientes, ut Hierachitae, qui omnem salutis spem parvulis etiam baptizatis adimebant, eo quod certare nequirent, cum scriptum sit: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*. De quibus vide S. Epiphanium Haeresi LXVII. Claudius Salmasius sub ficto *Simplicii Verini* nomine libro *de Transubstantiatione ad Justum Pacium contra* Hugonem Grotium scribit, primis duobus saeculis neminem baptismum accepisse, nisi aetate iam adulta. In eadem sententia sunt Paulus Colomesius, *in Observationibus sacris* pag. 15.; Grotius, *in Epistolis ad Gallos*, pag. 418.; Vitringa, *de Paedobaptismo*; Van-Dale, *in Historia Baptismorum Hebraicorum, et Christianorum*; aliique. At haec doctrina omni destituitur antiquitatis praesidio, et satis refellitur ex Patrum testimoniis, quibus Baptismum infantium inde usque a saeculo Apostolorum viguisse, constanterque in Ecclesia servatum, edocemur. Atque ut ab ipsa apostolica aetate exordiamur, S. Clemens Romanus *Epistola ad Corinthios* infantes originaria labe inquinatos esse aperte adserit;

eos igitur Baptismo ab hisce sordibus abluendos esse intelligit; quippe de parvulis Jesus Christus dixerat: *Talium est regnum caelorum*, atque eodem Jesu Christo docente: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum caelorum*. Irenaeus, qui vergente saeculo primo natus, altero Ecclesiae saeculo floruit, et Sancti Polycarpi, qui Apostolum Joannem audivit discipulus fuit, peccati originalis doctrinam exponens, illud nonnisi per Baptismum deleri docet, eoque adultos aeque ac infantes indigere, ut ab ea originaria labe abluantur, apertissime tradit: *Christus*, inquit, Lib. II. *adversus haereses* cap. 39., *omnes venit per seipsum salvare, omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum; infantes, et parvulos et pueros, et iuvenes, et seniores. Ideo per omnem venit aetatem, et infantibus infans factus, sanctificans hanc ipsam habentes aetatem*. Sua igitur aetate morem obtinuisse prodit Sanctus Irenaeus, quo infantes, parvuli, et pueri regenerationis lavacro abluerentur, ut in Deum renascerentur.

Il Origenis, qui tertio ineunte saeculo floruit, in hanc rem testimonia adeo sunt multa, et aperta, ut nihil ipsis desiderari possit luculentius. Illud heic advertendum duco, Origenem nimirum non modo ita loqui de Paedobaptismo, ut sua aetate illum in Ecclesia viguisse significet, verum etiam illius originem ab ipsa divina institutione repetere. Ait enim in Caput sextum Epistolae ad Romanos Lib. V. cap. VI. *Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare. Sciebant enim illi, quibus mysteriorum decreta commissa sunt, quia essent in omnibus genuinae sordes peccati, quae per aquam et Spiritum ablui deberent*. Cyprianus, et quae sub ipso Carthaginiensis Synodus habita est, omnino pro Paedobaptismo dimicarunt. Cum enim nonnulli ex circumcisionis lege octavo die Baptismum conferendum esse docerent; tum ipse, tum reliqui Synodi Patres Ecclesiae consuetudinem secuti, eam opinionem improbarunt. Ex quo sane patet, veluti novam reiectam fuisse eorum sententiam, qui parvulos definito quodam tempore ad Baptismum admitti

debere arbitrabantur. S. Joannes Chrysostomus Homilia ad Neophytos: *Hac de causa*, inquit, *etiam infantulos baptizamus*, *ut non sint coinquinati peccato*, *ut eis addatur sanctitas*, *iustitia*, *adoptio*, *haereditas*, *fraternitas Christi*, *ut eius membra sint omnes*, *ut Spiritus habitatio fiant*. Ex Hieronymo Epistola ad Laetam, ubi eos sceleris arguit, qui Christianorum infantibus Baptisma recusaverint. Et in fine Libri tertii contra Pelagianos, adducto Cypriani testimonio ex Epistola ad Fidum, concludit: *baptizandos esse infantes non solum in Regnum Caelorum*, ut asserebant Pelagiani, *sed etiam in remissionem peccatorum*, videlicet peccati originalis. Quamobrem iure quodam suo parvulos baptizandi morem, *antiquam Fidei regulam* appellat Augustinus *Serm. CLXXIV*. Quod quidem adeo verum est, ut ipsi Pelagiani, quibus originale peccatum eliminare placuit, constantem ac manifestam huiusmodi traditionem diffiteri ausi non sint. Testatur idem Augustinus *de peccat. mer.* cap. XXXVI., ubi de Pelagianis ait: *Quia parvulos baptizandos esse concedunt*, *qui contra auctoritatem universae Ecclesiae procul dubio per Dominum et Apostolos traditam venire non possunt; concedant oportet*, *eos egere beneficiis Mediatoris*. Insuper ab antiquissimis temporibus infantes citra vitae periculum baptizatos fuisse, adstruunt etiam christianae Inscriptiones. Achillam Neophytam unius anni mensium V. invenies in Muratorii Thesauro pag. 1819. In Museo Veronensi pag. 180. Q. VIMINATIUM NEOFITUM offendimus qui vixit annos P. M. V. seu *plus minus quinque* Confer Victorium, *in nummo aereo veterum christianorum part*. 11. cap. 17.; et Fabrettum, *Inscriptiones domesticae* cap. VIII. num. 70.

Caput III.

De tempore, loco, diversa ratione conferendi Baptisma et de Patrinis.

I. Potissimi administrando Baptismati olim in Ecclesia indicti dies pervigilium Paschae et Pentecostes fuerunt: quae adeo constans est et indubitata apud eruditos sententia, ut infinitis prope veterum Scriptorum testimoniis comprobare possemus. Insignis est hanc in rem Tertulliani locus in libro *de Baptismo* capite 19. cuius suffragio nihil certius aut antiquius proferri potest: *Diem*, inquit, *Baptismo solemniorem Pascha praestat..... Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est.* Eadem tempora designat S. Hieronymus ad Pammachium, scribens adversus Johannem Jerosolymitanum, et Fortunatus in Libro tertio Carmine septimo, ubi agit de solemnitate Paschali. Idem decernunt etiam plures summi Pontifices, maxime vero Siricius Papa, Leo Magnus, et Gelasius Epistola 9. ad universos Episcopos. His accedunt plurima Concilia, quae idem expresse praescribunt, ut Gerundense anno 517. canone quarto, Antissiodorense anno 578. canone decimoctavo, Matisconense II. anno 585. canone tertio, Moguntinum anno 813. canone quarto. Idem patet, etiam ex hortatione, quae fiebat olim ab Episcopo ad ordinandos, quam ex Codice Thuaneo qui servabatur in Bibliotheca Colbertina, vulgavit Johannes Morinus, et ex Synodica Ratherii Veronensis Episcopi Spicilegii tom. 2. edita. Paschae Pentecostesque diebus Graeci tertium Epiphaniae festum addiderunt, qui in memoriam dati hac die a Johanne Christo baptismatis solemnem hoc in festo baptismum omni tempore celebrarunt, ut patet non solum ex eorum Euchologio, sed etiam ex Gregorio Nysseno, qui hac die orationem de Baptismate dixit ad baptizandos.

II. Neque vero singularis fuit Orientalibus in Epiphania baptizandi consuetudo. Ea siquidem viguit etiam in Africa, ut constat ex Victoris Vitensis Libro secundo *de*

Persecutione Vandalica. Fuere enim quaedam Ecclesiae, quae, praeter memoratos, alios festos dies Baptismi administrationi addicebant. In Galliis quinque potissimum in anno dies ad solemnem Baptismi celebrationem designatos reperio apud auctores: Natalem Domini, Epiphaniam, Pascha, Pentecosten, et Festum S. Johannis Baptistae. De Natali Domini habemus S. Aviti Viennensis Episcopi testimonium in Epistola ad Clodoveum Regem. Idem confirmat Gregorius Turonensis in Libro *de Gloria Confessorum* cap. 69. Ad festum S. Johannis quod spectat, ex Gregorio Turonensi Libro VIII. *Historiae Francorum* cap. IX. colligitur qui dies baptismo administrando addictos commemorans, tum Salvatoris nostri, tum S. Johannis natalem diem indigitat. Dominicae Nativitatis Festum diem Baptismo conferendo destinatum fuisse apud Anglicanam Ecclesiam, testis est S. Gregorius Magnus qui Epistola XXX. Lib. VII. eo die mille homines ab Anglorum Apostolo Augustino baptizatos fuisse narrat. In quibusdam Hispanicis Ecclesiis accesserunt etiam festi dies Apostolorum, et Martyrum, teste Siricio Papa, Epistola ad Himericum. Vetus disciplina de solemnis Baptismi tempore apud Graecos defecit, sed quo tempore incertum. Apud Occidentales autem Baptismus parvulis et adultis extra vitae periculum constitutis datus est in pervigilio Paschalis et Pentecostes ad exitum usque saeculi XI. uti scite animadvertit Constantius. Rituales omnes libri saeculo XIII. et XIV. exarati, altum de veteri illo more silentium faciunt.

III. Primis Ecclesiae temporibus, quibus nulla erat Christianismi profitendi libertas, Baptismus quovis loco celebratus est, in stagnis, fluminibus, carceribus, privatis aedibus, antris, coemeteriis. Apostoli ubivis locorum baptizarunt: ut sub dio, in via, in domibus, in carcere. Credentes in fluminibus et stagnis baptizatos, prodit Tertullianus *de Baptismo* capite primo. Martyres in carcere Baptismum accepisse, narrat Eusebius Lib. VI. *Historiae ecclesiasticae* capite quinto. Clinicos in lectulo perfundi consuevisse, monstrat Cyprianus *Epistola ad Magnum*.

Multos in memoria Salvatoris in Jordane baptizari concupivisse, testatur Hieronymus *Libro de locis Hebraicis*. Reddita autem postmodum per Constantinum Imperatorem Ecclesiae pace, coeperunt passim construi aedes publicae, ad unum Baptismatis ministerium designatae: Loca ista ad dandum Baptismum destinata, dicta sunt *Baptisteria*.

IV. A prima usque Ecclesiae aetate per multa prorsus saecula Baptismum per immersionem ut plurimum collatum fuisse, veterum testimonia aperte docent. S. Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi Mystagogica secunda ad baptizatos, ubi mysticam rituum Baptismi significationem exponit, ait baptizandos primo toto corpore nudari, deinde oleo exorcizato a summis capillis ad plantam usque pedis ungi, tum ad sanctum lavacrum duci, ac ter in aqua mergi. S. Johannes Chrysostomus *Homilia sexta* in Epistola ad Colossenses, ait nos depositis vestimentis nudos in aquis Baptismi descendere. *Hic nuditas*, inquit, *et illic nuditas. Sed illic quidem cum peccasset nudatus fuit, quoniam peccavit; hic autem nudatur, ut liberetur*. S. Cyprianus Epistola 76. quaerenti Magno an valeret Baptismus per aspersionem vel infusionem datus, respondet valere necessitate premente: quo certe insinuat, in usu et praxi communi per immersionem solitum fuisse conferri Baptismum; qui usus adeo constans et universalis fuit, ut Magno dederit occasionem sciscitandi an alio modo datus Baptismus, ratus esset. Ambrosius Lib. II. *de Sacramentis* cap. VII. sepulturae imaginem in immersione deprehendit: *mersisti, hoc est sepultus est*. Idem comprobant antiquiores Rituales Libri. Idem plane testantur qui de divinis Officiis scripsere apud Latinos, Alcuinus, Amalarius, Walafridus Strabo, qui nono floruere Ecclesiae saeculo. Idem Auxilius in Praefatione secundi libri de validitate Ordinum, quos dederat Formosus Papa. Idem et Fulbertus Carnotensis, qui floruit undecimo saeculo, Epistola prima ad Adeodatum. Isthaec immersio ex universali consuetudine ter fiebat. Cuius quidem innumeros tum Graecos tum Latinos Patres te-

stes habemus, qui etiam trinae huiusce immersionis rationem rimati, tum triduanam Christi sepulturam, tum Sanctissimam Trinitatem in cuius nomine Baptisma confertur, in eo numero adumbrari atque exprimi docent. Tertullianus *de Corona Militis* cap. 3. *Dehinc ter mergitamur:* et contra Praxeam cap. 26. *Nec semel, sed ter ad singula nomina in personas singulas tingimur.* Tres item mersiones commemorant alii Patres, Ambrosius, Lib. 2. *de Sacramentis* cap. VII. num. 20.; Hieronymus, *adversus Luciferianos*, et in capite 4. *Epistolae ad Ephesios;* Leo Magnus, *Epistola ad Episcopos per Siciliam constitutos.* Nec tantum Patres id innuunt, verum etiam huius trinae mersionis significationem explanant. Haec porro triplicis immersionis consuetudo ex apostolica traditione profluxit, auctoribus Tertulliano, Basilio, Hieronymo, aliisque.

V. Jam vero in huiusmodi Baptismo per immersionem multa olim servabantur: 1.° Catechumeni corpus omnino denudabatur. Ambrosius *Serm. XX.* ad revocandos Christianorum animos a divitiarum amore haec ait: *Nudi in saeculo nascimur, nudi etiam accedimus ad lavacrum; ut nudi quoque et expediti ad caeli ianuam properemus.* Quin etiam in ista corporis nuditate mysticum quoddam symbolum intuebantur Patres: cuius quidem ritus symbolicam significationem praeter alios aperit Cyrillus Hierosolymitanus. Adeo lex isthaec generalis erat, ut ne infantes quidem, aut mulieres ab ea exciperentur. Et infantes quidem nulla corporis mollitiei ratione habita, nudos omnino in aquas immersos fuisse, patet tum ex S. Gregorii Sacramentario, et ex Ordine Romano, tum etiam, quod ad Graecos spectat, ex Athanasio qui *de Parab.* XCIV. trinae immersionis rationem explicans, ait: *Nam quod infantem ter in piscinam immergimus, et ter educimus; id mortem Christi, et post triduum Resurrectionem significat.* Interea vero mulierum pudori multis modis consulebatur ab Ecclesia. Nam in plerisque Ecclesiis suum erat viris, suum feminis Baptisterium: ita hoc nimirum dispertitum erat, ut tum illi tum istae proprium

separatum haberent locum: unde S. Cyrillus Jerosolymitanus praefatione in Catecheses: *Reverentiam*, inquit, *adhibe, cum fit exorcismus, quo usque alii exorcizati aderunt, viri cum viris, et mulieres cum mulieribus*. Alia hora viri, et alia mulieres baptizabantur, sicut indicat Ordo Romanus cap. *de Sabbato Sancto*. Insuper eis auxilio aderant Diaconissae, a quibus vestibus exutae, Episcopo aut Presbytero baptizanti offerebantur, qui eas non tam videbat quam audiebat. Denique, post trinam immersionem ac SS. Trinitatis invocationem baptizatus e sacro fonte exibat et suscipiebatur, si mulier, a Diaconissis; si vir, aliquando a susceptoribus seu patrino, aliquando a Diaconis qui e sacro fonte egredientes grandiori quodam velamine advolvebant.

VI. Licet autem immersionis ritus antiquitus esset, certis tamen quibusdam de causis omittebatur, effusione adhibita. 1.° enim si quis aegrotaret, atque in extremo vitae periculo versaretur, nulla adhiberi consuevit immersio, si baptismus ei conferendus fuisset, sed dumtaxat aqua perfundebatur. Praeterea si necessitate urgente tanta non esset aquae copia, quanta ad immersionem opus erat, perfusio vel aspersio usurpari consuevit; quod quidem in difficillibus rei christianae temporibus plerumque accidebat. De Baptismo per infusionem dato profert illustria exempla Martene ex vita S. Laurentii, quem baptizasse Romanum militem aqua ex urceo effusa referunt Acta Martyris, commonstratque vetus pictura etiam nunc in Basilica S. Laurentii in Agro Verano, ubi S. Romanus conspicitur sacrum suscipiens a Laurentio lavacrum. Addit vir eruditus Acta S. Gratiliani, S. Bacchi Junioris, et Sancti Luidgeri Episcopi, quae Baptismum infusione collatum aliis atque aliis exemplis sanctorum gesta confirmant. Quonam vero potissimum tempore effusionis ritus in solemni Baptismi administratione, nulla necessitate urgente, obtinere coeperit, arduum est definire. Eruditissimus P. Martene primam huiusce inductae consuetudinis mentionem iniectam depraehendit in Concilio quodam Ravennatensi an. 1311., ubi

Ministri arbitrio permittitur, ut immersionis aut effusionis ritum usurpet. Et saue nonnisi sub hoc tempus aspersionis vel effusionis in Baptismo consuetudinem obtinere coepisse patet, tum quia de hoc ritu altum silentium est apud Magistrum Sententiarum, qui anno 1164. supremum diem obiit; tum etiam quia Divus Thomas, qui adulto saeculo XII., ad superos evolavit, immersionis usum communem appellat; tum vero tandem quia Rituales Libri ab ea aetate editi effusionem plerumque praescribunt.

VII. In Baptismo *patrini* seu *compatres* adhibentur. Hi olim dicti *Susceptores*, quod susciperent mersos: et *sponsores* et *fideiussores*, quod pro iis, quos Baptismo offerebant, suam interponerent fidem, itemque *Offerentes*, *Patres Spirituales*, *et Compatres*. Horum institutio ad ipsa fere Ecclesiae incunabula referenda est, utpote huius meminere Tertullianus, Lib. *de Baptismo* cap. 18.; S. Basilius, *Epistola 128.*; et S. Augustinus, multis in locis, ut alios interim plures omittam. Tria sponsorum genera Baptismo olim adfuisse legimus; alii infantium Baptismo aderant; alii iis adultis praesto erant, qui morbi alicuius causa respondere non poterant; alii tandem adultos omnes generatim comitabantur. Et quod ad primos attinet, duae ipsorum muneris partes erant: 1.° ut infantium nomine ad omnes interrogationes in Baptismo responderent. Innuit id Cyrillus Alexandrinus in cap. XII. *Johannis*: *Cum recens natus infans baptizatur*, *susceptor pro eo amen dicit*. Tum Augustinus *Sermone XCVI. de Tempore*: *Fidejussores pro ipsis respondent*, *quod obrenuntient diabolo*, *pompis et operibus eius*. 2.° Sponsorum proprium erat, ut eorum, quos in Baptismo susceperant, mores inspicerent, eos ad Christianae Religionis officia informarent, et ad ea, quae in foedere cum Deo inito promiserunt, implenda excitarent. Omnibus indiscriminatim adultis, cum ad Baptismum admittebantur, sponsores adiunctos semper in Ecclesia fuisse constat ex veterum constanti testimonio. Tradunt id enim Constitutiones Apostolicae, Auctor *Ecclesiasticae Hierarchiae*, Augustinus

aliique. Eiusmodi autem sponsores non ea ratione adhibebantur, ut pro baptizandis responderent: sed ipsorum curae concreditum erat, ut tum ante tum post Baptismum eos, quos offerebant, instituerent, et bonis moribus informarent. Hanc porro sponsionem plerumque Diaconi pro viris, Diaconissae vel Sacrae Virgines pro mulieribus subibant. De sponsorum numero non idem semper observatum comperimus. Eorum quidem pluralitas exclusa videtur a Constitutionibus Apostolicis, cum virum a Diacono, mulierem a Diaconissa suscipi iubeant. Et in Concilio Metensi an. 888. can. IV. *Infantem nequaquam duo, vel plures, sed unus a fonte Baptismatis suscipiat*. Verum saeculo XII., et sequentibus plurium sponsorum consuetudinem invectam esse constat. In Conciliis enim Eboracensi, et Coloniensi statutum legimus, ut puerum duo viri, et una mulier, puellam vero duae mulieres et unus vir in Baptismo suscipiant. Cuiusmodi sane morem constanter servatum fuisse saeculo XV. et XVI., ex quarumdam Galliae Ecclesiarum baptizatorum catalogis colligit eruditus Chardonius in opere cui titulus: *Histoire des Sacrements*. Jam vero Sponsoris vices agere non omnibus olim permissum. Catechumeni enim, energumeni, haeretici, et poenitentes prohibebantur, quin alios in Baptismo susciperent. Sequioribus aetatibus plures alii a sponsorum officio exclusi.

Caput IV.

De Baptismi caeremoniis.

I. Quamquam non eo ordine, quo in Rituali Romano praescripti sunt ritus Baptismi, in omnibus olim Ecclesiis adhiberentur, omnes tamen, imo et alii complures, adamussim observabantur. Haud dubium est, quin iuxta antiquum morem peracta diaboli renuntiatione, et corporis inunctione, sequeretur statim interrogatio de Fide, eiusdemque professio. Esse antiquum praeterea ritum, ut huiusmodi instructio a Sacerdote baptizante fieret

stante in Limine Ecclesiae, baptizando autem extra limen manente, docent nos manuscripti Libri Pontificales apud eruditissimum P. Martene. Ritum insuper exsufflandi leniter in faciem infantis praescriptum, esse antiquissimum docent SS. Patres passim, tum Latini, tum Graeci. Huc spectat quod S. Augustinus scribit Lib. I. *De Symbolo ad Catechumenos*, Capite V. ubi haec habet: *Sicut vidistis hodie, sicut nostis, et parvuli exsufflantur, et exorcizantur, ut pellatur ab eis potestas iniqua, quae decepit hominem*. Docet similia in Epistola 105. ad Sixtum, nunc 194. de Peccato Originali cap. 40. Sed ut alios omittam, audiamus S. Cyrillum Hierosolymitanum qui de hac re ita scribit in *Catechesi Mystagogica: Insufflationes Sanctorum, et Nominis Dei invocatio, tanquam vehementissima quaedam flamma urit daemones, et in fugam convertit*. Communiter quidem fiebat ipsa exsufflatio ab eo, qui conferebat Baptismum, ab Episcopo scilicet, vel Presbytero, sed negari tamen non potest, quin aliquando a Diaconis perageretur, ex actione I. Concilii II. Constantinopolitani, aliquando ab Exorcistis, ut habet Johannes Belethus in sua Divinorum Officiorum explicatione, cap. XC. aut a simplicibus Clericis, sive Acolythis, uti addiscere licet ex Gennadio in Libro *de Ecclesiasticis Dogmatibus*, cap. XXXI. Atque hic illud etiam nota, ritum scilicet exsufflationis, et exorcismorum in Baptismo, iam olim in universo mundo ab Ecclesia sancta uniformiter peragi consuevisse. Et certe eumdem in Ecclesia Orientali usum observatum fuisse, patet ex Concilio Generali Constantinopolitano I. Canone VII. Plura autem de exsufflationibus, et exorcismis, eorumque formulis tradit S. Severus Patriarcha Alexandrinus in Libro, *de Ritibus Baptismi*, et alii plures tum Graeci, tum Latini Patres, ac Sacrae Synodi. Juxta antiquum ritum, post exsufflationem dabat Sacerdos baptizando pacem cum osculo dicens: *Pax tibi*. Ista insufflatio non solum daemonis contempti et irriti depulsionem et fugam significat, verum etiam accessum vel illapsum Spiritus Sancti, qui ubi vult spirat, et per aquam baptizandum mox regeneratu-

rus est, eique communicaturus novam vitam, vitam gratiae.

II. Signum Crucis baptizandis imprimi, antiquissimi est instituti, cuius non uno in loco meminit inter alios Patres S. Augustinus praesertim vero Libro II. *de Symbolo ad Catechumenos*, capite I. quos sic alloquitur: *Nondum quidem adhuc per sacrum Baptismum renati estis, sed per Crucis signum in utero Ecclesiae iam concepti estis.* Plura de Crucis signo in Baptismo docent laudatus Augustinus variis in locis, S. Johannes Chrysostomus, *in Oratione, Quod Christus sit Deus*; S. Hieronymus, *in Epistola ad Heliodorum*; S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi IV.*; et alii plures. Jam vero quod spectat ad partes Cruce signandas, non una fuit Ecclesiarum omnium consuetudo. In Rituali Ambrosiano, et in Laudunensi manuscripto unica dumtaxat consignatio designatur in fronte. In antiqua Liturgia Gallicana, duplex, *in fronte*, *et corde*. Fiebat autem potissimum olim signum ipsum Crucis in fronte baptizandi teste Augustino, in Psalmum XXX. sic aiente: *Non sine causa signum suum Christus in fronte nobis figi voluit, tanquam in sede pudoris ne Christi opprobrio Christianus erubescat.* Varias orationes antiquitus super baptizandum dici a Sacerdote solebant, dum illi signum Crucis faceret. Oratio *Preces nostras* etc. quae in Rituali Romano legitur, nonnullis mutatis, descripta est in duobus manuscriptis Libris Sacramentorum insignis Ecclesiae Turonensis annorum circiter MC.; et in manuscripto Pontificali S. Luciani Bellovacensis annorum DCCC., et in aliis Libris Pontificalibus. Imprimitur signum Crucis in fronte, ut intelligat Christianus se non debere erubescere Evangelium, nec caetera ad vitam Christianam pertinentia, utpote qui Crucem, quam Judaei ut ingens opprobrium horruerunt, et Gentes ut stultitiam habuerunt, prae se fert, non in occulta quadam corporis parte, sed in fronte nimirum, quae pudoris sedes est. Illud ipsum Crucis signum imprimitur in pectore ut Crucem Christianus perquirat, adamet, et in ea conquiescat. Nam cor sedes est desideriorum.

III. Antiquissimus est tamen ritus ingerendi salem in os baptizandorum, cum de illo, tanquam de ceremonia aetate maiorum recepta, sermonem instituerat Ordo Romanus, Amalarius Fortunatus, Walafridus Strabo, aliique omnes veterum rituum illustratores. S. Augustinus in primo Confess. cap. XI. num. 17. ait: *Signabar jam signo Crucis, et condiebar eius sale.* Ad hunc ritum allusisse videtur Origenes Homilia VI. in Ezechielem, ubi Catechumenos alloquitur, hortaturque, ut se praeparent ad hoc, ut fiant sal Domini, et non baptizentur, quemadmodum Simon ille magus. Isidorus, Lib. 2. *de Officiis* cap. 20.; Ivo Carnotensis, *in Sermone de Neophytis*; et Hugo Victorinus, Lib. I. *de Sacramentis* cap. 18.; non tantum meminerunt huiusce ritus, verum etiam hanc eiusdem rationem protulerunt: *Sal propterea Catechumenis datur in mysterio, ut nos sal terrae, idest, Dei sapientiam noscamus.* Eius benedictio, extat in Sacramentario S. Gregorii Papae, et in Ordine Romano VII. Sal benedictum baptizando gustandum porrigitur, *Ut per sal typicum sapientiae sale conditus, foetore careat iniquitatis; et nec a vermibus peccatorum putrefiat, sed magis illaesus servetur ad maiorem gratiam percipiendam.* Verba sunt Rabani Mauri Lib. I. *de Institutione Clericorum*, cap. XXVII.

IV. Crucis signum iam non semel fieri solitum fuit baptizandis, plane constat ex variis pervetustis Ritualibus Libris, longo agmine ab Edmundo Martene allatis; ex quibus etiam docemur, post immissum sal in os infantis, et recitatas post salis immissionem Orationes, signum Crucis in fronte eiusdem infantis fieri consuevisse a Sacerdote dicente hanc Orationem: *Deus Abraham, Deus Jacob*, etc. Juxta Romanum Ordinem VII. in quo ritus Baptismi infantium refertur, varia a variis, qui Baptismo assistebant in eorum frontibus Crucis signa peragebantur. Expleta Oratione, *Aeternam, ac iustissimam pietatem*, accipiebat Sacerdos manum dextram infantis, tenensque eam dicebat, *Pater noster, Credo in Deum* Symbolum scilicet Apostolorum, sive, *Credo in unum Deum etc.* quod est Nicaeni Concilii Symbolum, et signabat de-

inde ipsum infantem, dicens: *Benedictio Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti veniat super te, et ad vitam perducat aeternam.* Restat, ut et de Dominica Oratione nonnihil dicamus, quod et ipsa una cum Symbolo in Baptismo infantium a Sacerdote, et Susceptoribus coniunctim recitari solita fuit ex Ritualium praescripto. Rationem eius ritus docet nos plane manuscriptus Codex insignis Ecclesiae Viennensis in Gallia apud Martene Lib. I. Capite I. Articulo XII. Ordine IV. et pervetustus Romanus Ordo VII. apud Mabillonium Tomo II. Musaei Italici, quia scilicet, *haec nos Oratio commendat Christo, reconciliat Deo Angelorum inserit numero, ut Christi faciat esse fratres et Dei constituat haeredes.*

V. De Exorcismis invicta produci possunt veterum testimonia. Praeter Catechumenos adultos, de quibus legi poterunt Martenius Lib. 1. art. 6. num. 8. Vicecomes Lib. 2. cap. 19. in omnibus baptizandis, etiam parvulis adhiberi exorcismos, tradiderunt eximii Patres Ecclesiae. Etenim S. Augustinus *de Catholica Ecclesia* cap. V. num. 19. inquit: *Ubique parvulos exorcizando et exsufflando de potestate eruit tenebrarum.* Hinc pariter S. Augustinus demonstrat adversus Pelagianos originale peccatum, scribens libro primo contra Julianum cap. 4. num. 14. *Si verum est quod audivimus, te infantulum baptizatum, etiam tu, quamvis a tuis propriis peccatis innocens, tamen quia ex Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquae prima nativitate traxisti, et in iniquitatibus conceptus es, profecto exorcizatus et exsufflatus es, ut a potestate erutus tenebrarum, transferreris in regnum Christi.* Docet similia in Epistola 194. ad Sixtum. *Exorcismus autem*, uti scribit S. Isidorus Hispalensis Episcopus Lib. II. *de Officiis Ecclesiasticis* cap. XX. *Sermo increpationis est contra immundum spiritum, in Energumenis, sive Catechumenis factus; per quem ab illis diaboli nequissima virtus, et inveterata malitia, vel violenta incursio expulsa fugetur.* Ad ipsum autem potissimum alludit Magnus Senonensis Archiepiscopus in Libello, *de Mysterio Baptismatis*, iussu Caroli Magni edito, ubi sic inter alia inquit: *Exorcismus graece*,

latine vero coniuratio sive sermo conjurationis , *est contra diabolum*; *ideoque exorcizatur unusquisque veniens ad sacrum baptismum* , *ut Dei vivi templum efficiatur* , *qui effectus erat templum diaboli per originale peccatum.*

VI. Inter ritus qui Baptismum praecedunt, est salivae tactus in nares, et aures, cuius mentionem faciunt passim antiqui Sacramentorum Libri, ac pervetusti Ecclesiae Patres. Huius ritus meminit S. Ambrosius Libro I. *De his qui Mysteriis initiantur* cap. 1. *Aperite igitur aures,* inquit, *et bonum odorem vitae aeternae inhalatum vobis munere Sacramentorum carpite* , *quod vobis signavimus* , *cum apertionis celebrantes Mysterium diceremus, Ephpheta, quod est, adaperire. Hoc Mysterium celebravit Christus in Evangelio, sicut legimus*, *cum mutum curaret et surdum.* Et S. Petrus Chrysologus Sermone LII. *Hinc est,* ait, *quod veniens ex gentibus impositione*, *manus*, *et exorcismis ante a daemone purgatur, et aperitionem aurium percipit, ut Fidei capere possit auditum, ut possit ad salutem, prosequente Domino, pervenire.* Nam aperitionem aurium percipere, et tangi saliva in aures praesenti hoc in negotio idem sonant, ut observat Martene Lib. I. art. VI. num. XVI. Porro ad exemplum Christi, in quibusdam Ecclesiis una cum sputo adhibebatur etiam lutum, ut patet ex Manuali Joannis Jacobi Archiepiscopi Salisburgensis, et ex Auctore Tractatus, *de Sacramentis* Lib. III. cap. II. his verbis: *Quando dedisti nomen tuum*, *tulit lutum, et liniit super oculos tuos.* Idem docet Haymo Alberstadensis *in Sermone de Dominica XIII.* post Pentecosten , et Leidradus Episcopus Lugdunensis in *Tractatu de Baptismo*, cap. II. Sed omisso hoc Ecclesiarum peculiarium ritu, probatur magis magisque ritus in Rituali Romano praescriptus ex innumeris pene Ritualibus antiquis, recentibusque, praesertim vero ex Sacramentario S. Gregorii Papae, ex manuscripto Codice Bibliothecae Colbertinae , et ex aliis multis Ritualibus , atque Pontificalibus Codicibus apud Martene, art. XVIII. Mysticae utriusque ritus significationes, cur nempe aures, naresque baptizandi, saliva Sacerdotis tangantur, variae a Scriptoribus afferuntur, in-

ter quas Rabanus Maurus monet, saliva et tactu Sacerdotis significari, virtutem divinam per Baptismum operari ut Catechumeno nares aperiantur ad accipiendum odorem notitiae Dei; aures ad audiendum mandata Dei. Longum esset alias mysticas huius antiquissimi instituti causas, et rationes afferre, quas videre licet apud Alcuinum, Theodulphum Aurelianensem, Hugonem Victorinum, Durandum, et alios plures, qui de sacris Ecclesiae Ritibus tractarunt.

VII. Quam antiquus sit abrenunciationis in Baptismo ritus, docent nos Ecclesiae Patres, et Rituales Libri. Meminit eius ritus non in uno loco Tertullianus, et quidem in Libro, *de corona Militis*, cap. III. his verbis: *Aquam adituri, ibidem, sed et aliquando prius in Ecclesia sub Antistitis manu, contestamur nos renuntiare diabolo, et pompae, et angelis eius.* S. Basilius *de Spiritu Sancto* cap. 27. demonstrat hanc eamdem abrenunciationem esse ex Apostolica traditione. S. Ambrosius *de Mysteriis* cap. 2. num. 5.: *Ingressus es regenerationis sacrarium, repete quid interrogatus sis. Renuntiasti diabolo et operibus eius, mundo, et luxuriae eius, ac voluptatibus.* Ea itaque abrenuntiatio vel a nascente Christiana Religione coram multis testibus fieri solita erat, triplicique hoc modo exprimebatur: *Abrenuncias Satanae. R. Abrenuntio. Et omnibus operibus eius? R. Abrenuntio. Et omnibus pompis eius? R. Abrenuntio.* Atque haec abrenunciationis formula in omnibus passim Ritualibus antiquis aeque, ac recentibus reperitur, eiusque inter alios priscos Auctores meminit etiam Beda in cap. VIII. Tobiae. Haec porro abrenunciatio a Catechumenis stantibus versis ad Occidentem emittebatur; cuius quidem moris meminere Ambrosius, Hieronymus, aliique; eiusque rationem reddens exterioris caeremoniae, explicationem tradit S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catech. Mystag. I. Solis occasus cum apparentium tenebrarum sit locus; diabolus autem cum sit tenebrae, robur in illis suum habet; idcirco symbolice occasum spectantes, caliginoso illi tenebrarum principi renuntiatis.*

VIII. De oleo Catechumenorum, quo baptizandi in pe-

ctore, et inter scapulas liniuntur, praeter Isidorum, Magnum Senonensem, quos omnes laudavit Martenius Lib. 1. art. 6. num. 15. haec vetustiora monumenta adinvenio. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi Mystag.* 2. scribit: *Deinde vero iam exuti, exorcizato oleo peruncti estis.* Ambrosius Lib. I. *de Sacramentis* cap. 2. num. 4. *Occurrit* inquit, *tibi levita, occurrit presbyter: unctus es quasi athleta Christi, quasi luctam huius saeculi luctaturus.* Augustinus adhiberi oleum visibile in signum invisibilis unctionis, scribit in Psalmum XLIV. num. 19. Quamobrem vero ex antiquis multis Ritualibus Libris, ipsa inunctio fiat *in pectore, et inter scapulas* a Sacerdote dicente: *Ego te linio Oleo salutis etc.* Ex antiquo tamen Sacramentario Gallicano, non modo pectus, sed et nares, et aures inungebantur, aliaque formula verborum adhibebatur. Porro factam ipsam unctionem fuisse aliquando in pectore, et inter scapulas in Nomine Sanctissimae Trinitatis, docet nos Sacramentarium S. Gregorii Papae. Huius ritus explicationem affert Rabanus Maurus Lib. I. *de Institutione Clericorum* cap. 27. *Ungitur siquidem baptizandus in pectore, ne lateant in eo ullae inimici reliquiae, atque inter scapulas, ut undique muniatur, et ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur.* De eodem ritu sic loquitur Innocentius III. Cap. *Cum venisset, de sacra Unctione: In pectore baptizandus inungitur, ut per Sancti Spiritus donum abiiciat errorem et ignorantiam, et suscipiat fidem rectam: quia Justus ex fide vivit. Inter scapulas, ut per Spiritus Sancti gratiam excutiat negligentiam et torporem, et bonam operationem exerceat: quia Fides sine operibus mortua est, ut per Fidei Sacramentum sit munditia cogitationum in pectore, et per operis exercitium sit fortitudo laborum in scapulis, quatenus Fides per dilectionem, secundum Apostolum operetur.* Aliam explicationem huius ritus affert Ivo Carnotensis in Sermone, *de Sacramento Dedicationis*, his verbis: *Accepistis et Oleum Sanctum in pectore, ut vigeret in corde vestro sapientia. Accepistis et in humero vestro, ut in exercitio bonorum operum indeficiens servetur patientia. Quia vero in humeris vigor constat portandi oneris, huius*

partis unctione Christi athletae dedicati estis, ut sciatis, vos ad certamen esse vocatos. Et Magnus Senonensis Archiepiscopus in Libello, *de Mysterio Baptismatis*, iussu Caroli Magni edito, sic inquit: *Ungitur vero pectus, ut signo Crucis Christi excludatur Satanae introitus, et paretur ingressus Christo Domino. Scapulae autem signantur, ut undique Templum Deo dicatum, ab omni Satanae impedimento muniatur.*

X. De interrogatione circa Fidem, eiusdemque professione, cuius ritus passim non modo antiqui Sacramentorum Codices, sed et Sancti Patres mentionem faciunt, insignis est locus in Epistola LXX. S. Cypriani ad Januarium, et caeteros Episcopos Numidiae, de baptizandis haereticis, ubi sic inquit: *Sed et ipsa interrogatio, quae fit in Baptismo, testis est veritatis. Nam cum dicimus: Credis in vitam aeternam, et remissionem peccatorum per Sanctam Ecclesiam? intelligimus remissionem peccatorum nonnisi in Ecclesia dari.* S. Ambrosius in Libro, *de Mysteriis*, cap. V. sic inquit: *Descendisti, scilicet in Fontem, recordare quid responderis, quod credas in Patrem, credas in Filium, credas in Spiritum Sanctum.* His adde S. Augustinum, *in Epistola XXIII. ad Bonifacium*, Optatum Milevitanum, Libro V. *adversus Parmenianum*; S. Hilarium, *in Commentario super Matthaeum*; S. Dionysium Alexandrinum, *in Epistola ad Philemonem*. Varias huiuscemodi interrogationum, responsionumque de Fide formulas in Baptismi administratione, ex antiquis Sanctorum Martyrum Actis, Librisque Ritualibus, et Pontificalibus recenset Martene Lib. I. *de antiquis Ecclesiae Ritibus*, cap. I. art. XIII. num. XIV. Quamquam vero in omnibus Sacramentorum Libris praescripta reperiatur interrogatio de Fide, eiusque professio ante Baptismum, variant tamen non nihil, uti addiscere liquet ex laudato Martene. Insuper esse et ritum antiquum illum, ut, quemadmodum in Rituali Romano §. XVI. edicitur, Sacerdos interroget *expresso nomine baptizandum, Patrino respondente, N. Credis etc.* constat plane ex antiquo Sacramentario Gallicano, et ex aliis multis a Martene descriptis citato ar-

ticulo XVIII. Grassante aliqua haeresi, mos plane fuit, ut Articuli Fidei pravis illius erroribus oppositi baptizandis specialiter proponerentur, ut addiscere licet ex Epistola Nicetii ad Justinianum Imperatorem apud Chesnium tomo I. *Historiae Francorum*. Insuper, praedictam interrogationem eo praesertim fieri tempore consuevisse, cum iam baptizandi descendissent in Fontem, ut sacro lavacro abluerentur, constat plane ex Actis S. Genesii apud Ruinartium; itemque ex Actis S. Callisti Papae et Martyris, in quibus Palmatius de Fide interrogatus dicitur, cum iam descendisset in pelvim. Constat idem ritus ex variis antiquissimis Sacramentorum Libris, ac praesertim ex illo Gelasii Papae a Cardinale Thomasio edito.

X. Frequens occurrit apud veteres Scriptores, et in antiquis Sacramentorum Codicibus, mentio unctionis verticalis ex Chrismate a Presbytero factae in Baptismo, utpote quam ex vetusta traditione inter alios memorat, commendatque Innocentius Papa I. in Epistola sua ad Decentium Eugubinum Episcopum. Eiusdem verticalis unctionis, qua scilicet Sacerdos summum baptizati verticem Chrismate perungit, meminere etiam S. Isidorus Hispalensis Episcopus, Lib. II. *de Officiis Ecclesiasticis*, cap. XXV. et XXI. Venantius Fortunatus, Jesse Ambianensis, Leidradus Lugdunensis, Theodulphus Aurelianensis, aliique complures. Eius institutionem S. Silvestro Papae adscribere solent, ut scribit Auctor Libri Pontificalis in vita eiusdem Sylvestri. *Hic*, inquit, *et hoc constituit, ut baptizatum liniat Presbyter chrismate levatum de aqua propter occasionem transitus mortis.* Cui concinunt Amalarius, Libro I. *de Ecclesiasticis Officiis* cap. XXVII. Valafridus, *de Rebus Ecclesiasticis* cap. XVI.; Victorinus, Libro II. *de Sacramentis*, Parte VII. cap. III; Rupertus, Abbas Tuitiensis Libro V. *de divinis Officiis*, Capite XVI. et alii. Ex quibus merito infert Menardus in Notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii Papae, priscos Scriptores Sylvestro antiquiores, ubi de unctione, seu Chrismate loquuti sunt, intelligendos esse de Confirmationis Sacramento; et quia Graeci carent verticali unctione in

Baptismo, eorum Patres antiquos, quum de unctione Chrismatis agunt, de illa quae fit in fronte ab Episcopo esse interpretandos. Circa hanc unctionem duo iam scitu digna adnotavit Martene, Lib. I. cap. I. art. XV. num. III. et IV. Primum est, non ab ipso Baptismatis Ministro, sed ab alio Presbytero peractam fuisse eam Chrismatis unctionem in baptizato. Ratio autem eius ritus fuit, quod propter baptizandorum multitudinem unus et idem, et tingendis et liniendis omnibus satisfacere non posset. Alterum vero notatu dignum est illud, ex istitutione S. Sylvestri eam Chrismatis unctionem ad solos Presbyteros, non vero ad Diaconos, spectare. Quicquid autem sit de hoc ritu, ex omnibus certe Sacramentorum Libris antiquis, Sacerdos qui baptizat, baptizati verticem, non frontem, Chrismate in modum Crucis inungit, dicitque interim eam verborum formulam, *Deus Omnipotens etc.* in Rituali Romano descriptam, licet paucis immutatis. Haec sane constant ex veteri Missali Gallicano a Cardinale Thomasio edito. Huius unctionis mysterium exponit Ivo Carnotensis Serm. VI. scribens Christianos illitos in capite chrismate post baptismum esse, *ut charitas, quae per Spiritum Sanctum datur, semper abundet in corde secundum verbum illud Ecclesiastici* cap. IX. *Oleum de capite tuo non deficiat*. Innocentius III. Cap. *Cum venisset*, *de Sacra Unctione:* addit, Unctionem fieri in capite, *ut sit paratus omni petenti de fide reddere rationem.*

XI. Ritus induendi baptizatos albis vestibus innumeris pene comprobari posset exemplis, et veterum Patrum tum Latinorum, tum Graecorum testimoniis. Acta S. Genesii Martyris apud Ruinartium ita plane de eo ritu inquiunt: *Cumque Sacramentorum mysteria complessent, et indutus vestibus albis esset, veluti per ludum a militibus raptus*. Ambrosius Lib. II. *de Mysteriis* cap. VII. *Accepisti*, inquit, *post haec*, scilicet post Baptismum, *vestimenta candida, ut esset indicium, quod exueris involucrum peccatorum, indueris innocentiae casta velamina*. Augustinus *Serm. CCXXXIII.* num. 1. *Infantes isti, quos cernitis exterius dealbatos, interiusque mundatos, qui candore vestium*

splendorem mentium praefigurant. Huiusmodi porro vestes per octo dies a neophytis gestabantur; unde dies, qua illae deponebantur, *Dominicae in Albis* nomenclaturam accepisse existimatur. Vestes ipsae studiose in Ecclesia servabantur tanquam testimonium professionis in Baptismo factae. Albarum vestium symbolo Sancti Patres significari docent, tum resurrectionis gloriam, ad quam per Baptismum nascimur, tum nitorem, et pulchritudinem, qua deletis peccatorum maculis, anima in Baptismo ornatur, tum innocentiam, et integritatem, quam baptizatus in omni vita servare debet. Affinis ritui imponendae candidae vestis baptizato, est ille quidem, qui olim, alicubi saltem, obtinuit, redimendi scilicet sertis, et coronis caput baptizati. Testes sunt eius ritus antiquus Ordo Baptismi Severi Patriarchae Alexandrini.

XII. Ritum quoque esse antiquissimum in Ecclesia tum Latina, tum Graeca, ut post vestem candidam baptizatis accensus cereus praeberetur, Latini Patres, ac Graeci perspicue testantur. Ritum hunc describit Nazianzenus, eiusque rationem explicat *Orat. XL. de Baptismo: Lampades, quas accendis, illius luminum figuram gerunt, cum quibus splendidis Fidei lampadibus Christo sponso obviam prodibimus.* Gregorius Turonensis Lib. V. *Hist. Franc.* cap. XI., cum plurium Hebraeorum, quos Avitus Episcopus Viennensis ad Christi Fidem adduxerat Baptismum, narrat, ingentis cereorum ardentium copiae meminit: *flagrabant cerei,* inquit, *lampades refulgebant, albicabat tota civitas grege candido.* Illud autem observatu est dignum, quod, uti notat Martene eis extincti porrigebantur cerei, sub finem tandem Litaniae, quae post Baptismum decantabatur, accendendi. Cuius quidem ritus testes sunt Amalarius, et Alcuinus. Cerei ardentis traditio significat, baptizatos implere debere, quod Christus in Evangelio iubet Matth: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est.* Significat insuper quod Apostolus ait ad Ephesios V: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate etc.* Addit

S. Carolus cereo ardenti significari tres virtutes Theologicas, quae in Baptismo infunduntur, fidem in lumine, charitatem in calore, spem in cerei recta altitudine, quae sursum ascendit, quemadmodum ut spes nostra ad coelos usque excitatur et erigitur.

XIII. His quae retulimus hactenus peractis, confirmabantur recens baptizati, ac sacrosanctis Corporis et Sanguinis Christi mysteriis reficiebantur, ut testantur Libri Rituales pene omnes. De Confirmatione statim post Baptismum conferenda, sequenti capite commodior erit tractatio. De Eucharistia vero Neophytis impertienda quid doceat antiqua Ecclesiae disciplina, paucis investigandum est. Itaque datam olim fuisse Neophytis post Baptismum Eucharistiam, ex Graecis Patribus satis innuit. S. Justinus in Apologia secunda, ubi scribit, celebrato Baptismo, divina mysteria Corporis et Sanguinis Christi confici, et omnes adstantes communicare. Clarius S. Johannes Chrysostomus in Homilia ad Neophytos ipsos sic eum ritum explicat: *Sicut mulier affectionis natura agente genitum alere sui lactis foecunditate festinat, sic et Christus, quos ipse regenerat, suo Sanguine enutrit.* Et S. Cyprianus in Epistola LXIII. ad Coecilium ita eius ritus meminit: *Per Baptismum Spiritus Sanctus accipitur, et sic a baptizatis Spiritum Sanctum assequentibus ad bibendum Calicem pervenitur.* Huc etiam referri potest quod scribit Liber Pontificalis de Innocentio I., illum scilicet fecisse Calices argenteos Baptismi numero tres, pensantes singulos libras duas. Neque vero existimandum esse primis dumtaxat saeculis eam in Ecclesia viguisse disciplinam, a qua postmodum deflexerit. Nam illius meminere Jesse Ambianensis, Leidradus Lugdunensis, Theodulphus Aurelianensis, Riculfus Svessionensis Episcopus, et alii plures saeculi noni Scriptores. Jam vero ut antiquus ritus luculentius explicetur, quaeritur, quo ritu olim pueri, et infantes Communionem perciperent. Et quidem primis Ecclesiae saeculis Calicem ipsorum ori admotum fuisse constat. Extat insigne huius ritus testimonium apud Cyprianum in Libro *de Lapsis*. Verum alio

ritu, ac modo pueris tradendam esse Eucharistiam, docuit Hugo Victorinus Lib. I. *de Sacramentis*, cap. XX. *Pueris*, inquit, *recens natis idem Sacramentum in specie Sanguinis est ministrandum digito Sacerdotis, quia tales naturaliter sugere possunt.* Idem praescribit antiquum Pontificale Ecclesiae Apamiensis in Syria. Eumdem ritum in Oriente vigere, tradit Abraham Ecchellensis in Notis ad Arabicos Canones Concilii Nicaeni, ubi de modo communicandi baptizatos infantes, sic habet: *Sacerdos infantem communicaturus, digitum intingit Sanguine, et in os illius sugendum immittit.* Cum itaque recens baptizatis, vel ipsis infantibus Communio praeberi soleret, hinc merito cautum fuit a Sacris Canonibus, et a Ritualibus Libris, ut non modo a jejunis Ministris, sed etiam jejunis Baptismus conferri deberet.

XIV. Praeter sacram Corporis et Sanguinis Jesu Christi communionem, olim in Occidentali Ecclesia, lac et mel Neophytis porrigebatur. Testis est eius ritus non uno in loco Tertullianus, praesertim vero in Libro, *de Corona Militis* cap. III. ubi de Baptismo agens, sic inquit: *Ter mergitamur, inde suscepti, lactis, et mellis societatem praegustamus.* Fuisse hunc ritum aliarum Ecclesiarum, diserte docet S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos. Perseverasse in Occidente hunc ritum usque ad medium Saeculum nonum, docet nos Joannes Diaconus in Epistola ad Senarium. Insuper in antiquo Romano Ordine apud Hittorpium extat specialis benedictio lactis, et mellis, hisce verbis: *Benedic Domine has creaturas lactis et mellis, et pota famulos tuos fonte perenni, qui est Spiritus veritatis, et enutri eos de hoc lacte, et melle.* Deinde subiungit: *Tu enim Domine promisisti Patribus nostris Abraham, Isaac, et Jacob, dicens: Introducam vos in terram repromissionis, terram fluentem lac et mel.* Quibus verbis indicatur haec mystica explicatio, nempe quod baptizati, relicta Aegypto, idest gentilitate, ingrediuntur in Ecclesiam, terram fluentem lac et melle, idest omnibus deliciis spiritualibus. Altera post Baptismum die olim in Ecclesia Romana numerus baptizatorum Summo

Pontifici denunciabatur, ut ex variis Romanis Ordinibus constat, ac praesertim ex Romano Ordine XI. Auctore Benedicto Canonico S. Petri. Baptizatis praeterea eodem die legi olim solitum fuit initium Evangelii S. Johannis, nempe, *In principio erat Verbum*, ut ex eo caperent altitudinem divinae gratiae. Servari consuevisse eumdem ritum posterioribus saeculis, constat plane ex variis Ritualibus. Ut vero a creaturis et voluptatibus ita secreti, Creatori firmius adhaererent, per totam octavam quotidie summo quidem mane in Missa quae pro ipsis cantabatur, Corporis et Sanguinis Jesu Christi participes fiebant, id quod praescribitur in Ordine Romano aliisque Pontificalibus Libris. Per easdem octavas exhortatorius ad eos sermo quotidie habebatur, ut probant quae adhuc supersunt ea de re Sanctorum Patrum paraeneses, maxime de Sacramentis, quorum mysteria eos hactenus latuerant propter Arcani disciplinam, de Fidei articulis, de Trinitatis et Incarnationis Mysteriis, quae minutatim eis exponebantur.

Caput V.

De variis Confirmationis nominibus, ejusque materia et forma.

I. Post explicatos Baptismi (1) ritus, consequens est, ut de his quae Sacramentum Confirmationis spectant, sermonem instituamus. Nomina, quibus Sacramentum hoc indigitari consuevit, ex ipsius veluti indole, effectibus, ac ritibus desumpta sunt. Et quoniam 1.° manuum impositione, et Chrismatis unctione illud conferebatur; *hinc manus impositionem*, *Chrismatis Sacramentum*, *Chrisma sanctum*, *Chrisma salutis* passim apud veteres denominatum invenias. Quod vero huiusmodi Sacramento veluti quodam Christi sigillo consignantur, et pignus in cordibus suis fideles accipiunt propterea *Signaculum Domini*, *Spirituale signaculum nuncupatur*. Insuper cum

(1) Trombelli, *De Confirmatione*. Caput I. et seqq.

per huius Sacramenti gratiam Christianus perficiatur ac consummetur, et caeleste robur induat; dictum propterea est *Perfectio, et Confirmatio*, vocabulo non recens inducto, ut inepte garriunt Protestantes, sed iamdudum usurpato: quemadmodum actum est a Concilio I. Arausicano anno 442. a tertio Arelatensi anno 445. a S. Hilario Arelatensi, qui subscripsit Concilio I. Arausicano, Homilia de Pentecoste, quae vulgo cum caeteris sub nomine Eusebii Emisseni laudari solent. Unde Beda qui anno 735. extremum diem obiit, Commentario in Psalmum 26. testatur suo tempore unctionem, quae per manuum impositionem datur ab Episcopis, vulgo Confirmationem appellari solitam fuisse; quo etiam nomine a Conciliis Florentino et Tridentino, et a tota Ecclesia solet appellari. Pertractarunt de his vocabulis Estius, Poncius, Fervacquesius, ceterique Theologi: exquisite autem, et luculenter Lindanus in altera parte *Apologiae*, et Lib. IV. *Panopliae* cap. 6. Durantius, *de Ritibus Ecclesiae Catholicae* Lib. 1. cap. 26. et Joannes Molanus Lib. I. *Theologiae Practicae* cap. 6. Prae ceteris haeterodoxis Joannes Dallaeus *Libris tribus de Confirmatione* contendit, Confirmationem non esse Sacramentum a Baptismo distinctum, sed ritum a Baptismo Saeculo XII. demum apud Latinos avulsum. At calvinianum ministrum solide refellunt Natalis Alexander, *peculiari dissertatione*; Joannes Sambovius, *de Sacramentis Confirmationis et Unctionis Extremae*; Bellarminus, *de Confirmatione* cap. 1. seqq.; Jueninus, *de Sacramento Confirmationis Dissert.* 3. Drouven, *de Re Sacramentaria de Sacramento Confirmationis*; Bertius, *de Theologis disciplinis* Lib. XXXII. cap. 2.; Witasse, *Tractatus de Sacramento Confirmationis*; Cardinalis Orsius, *Dissertatio de Chrismate Confirmatorio* cap. 2. et alii plures, et ex protestantibus ipsis Henricus Hammondus, *Libro de Confirmatione, Opp.* tom. IV. pag. 851.; et Heremias Taylorus, *de Confirmatione.*

II. De Materia Confirmationis non idem omnibus sedet. In sola itaque impositione manuum constituunt huius Sacramenti materiam Petrus Aureolus, Isaacius Ha-

bert, Jacobus Sirmondus, Sambovius, Nicolaus L'Herminier, qui tamen fatentur unctionem esse antiquissimam, nec ullo pacto praetermittendam. Statuunt e contra materiam ipsam in Chrismate Divus Thomas, cui subscribit haud exiguus numerus Scholasticorum, inter quos Poncius, Fervacquesius, Vanroy, Gavardi, aliique; nec non Bellarminus, Maldonatus, Ysambertus, Petrus Aurelius, Beyer, et Arcudius. Quidam utramque materiam disiunctive existimant essentialem, adeo ut sufficiat unam, vel alteram adhibere, ut Ruardus, Tapperus, et Joannes Morinus. Permulti denique adaequatam Confirmationis materiam statuunt simul impositionem manus, atque Chrismatis unctionem; quam sententiam tenent, Natalis Alexander, *Historiae Ecclesiasticae Saeculum secundum Dissert. X. De Sacramento Confirmationis*; Gaspar Juenin, *de Sacramentis* Diss. 3. q. 2. cap. 3.; Ludovicus Habert, cap. 3. §. 1. et 2.; Drouven, *de Re Sacramentaria* q. 3. cap. 1. et 2.; Antonius Boucat, Diss. 2. Concl. 1.; Carolus Witasse, *de Sacramento Confirmationis* q. 2. art. 3. sect. 5. et 6.; Honoratus Tournely, quaest 1. art. 3.; Cardinalis Gotti, quaest. 1. dub. 1.; Angelus Maria Canali q. 2. cap. 2. Materia adaequata Confirmationis ex impositione manuum, et Chrismate constituitur. Tertullianus *de Resurrectione carnis* cap. VIII. scribens: *Caro ungitur, ut anima consecretur, caro signatur, ut et anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur.* Et Cyprianus ad Jubaianum. *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizatur, Praepositis Ecclesiae offerantur, et per nostram orationem et manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo dominico consummetur.* Quo in loco *Signaculum* ab impositione manuum distinctum, est chrisma, quo in Crucis figuram frons illinitur. Mitto S. Hieronymum, *Dialogo adversus Luciferianos*; S. Augustinum, Lib. 15. *de Trinitate*; S. Hilarium, *Homilia de Pentecoste*; S. Pacianum, *Epistola I.* ubi Confirmationem *Chrisma* vocat; Theodoretum, in Cantica; S. Cyrillum, *Commentario* in Joëlem; S. Leonem Magnum, *Sermone IV.*

de Nativitate Domini, et alios, quos enumerare et quorum testimonia proferre, longioris et superfluae operae foret. S. Gregorius Magnus *in Sacramentario* manuum impositionem et Chrismatis unctionem ut materiam Confirmationis commemorat. *Pontifex*, inquit, *veniens ad infantes, tenente Archidiacono Chrisma involutis scapulis et brachiis ex panno lineo, levata manu sua super capita omnium dicit: Omnipotens sempiterne Deus etc.* Ordo Romanus idem habet. Auctores qui de rebus et Officiis Ecclesiasticis scripsere, eamdem sententiam tenent, uti Walafridus Strabo, Libro *de rebus Ecclesiasticis* cap. 26.; Amalarius Fortunatus, Lib. I. *de Officiis Ecclesiasticis* cap. 26.; Rabanus Maurus, Libro *de Institutione Clericorum;* Alcuinus, Lib. *de Ecclesiasticis Officiis* Cap. *de Sabbato Sancto, et Epistola* ad Odvinum Presbyterum, quos secuti sunt alii bene multi usque ad Petrum Lombardum. Extat insuper in impositione manuum symbolum gratiae, qua praemunimur ad pugnam: nam in Sacris Litteris *manum imponere* idem est, ac regere, auxiliumque praestare; unde ait David Ps. LXXXVIII. v. 22. *Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum;* et Isaias c. LI. v. 16. *In umbra manus meae protexi te.* Oleum quoque gratiae ac fortitudinis typus est; et hinc Divus Thomas q. LXXII, art. 2. probat Chrisma convenienter assignari pro huius Sacramenti materia. Athletas olim perunctos in signum fortitudinis, scribit Isidorus: ac de monte Gelboe, ubi cecidit Saul, ait 2. Regum c. 1. v. 21. Sanctus David: *Ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.*

III. Quamvis apud Orientales Confirmationis Chrisma, tum olei, tum triginta quinque aromatum, seu herbarum exquisiti odoris speciebus, cum vini non exigua quantitate admixtione conficiatur, ut in eorum Euchologiis videre est, ubi de Chrismate agunt, apud Occidentales tamen ex oleo olivarum dumtaxat, et Balsamo conficiendum esse, tum Sanctae Romanae Ecclesiae, tum aliarum Ecclesiarum, et antiqui et moderni Rituales edicunt. Id vero potissimum constat ex Sancto Gregorio I. haec scri-

bente in illa verba Capitis 1. *Cantic. Botrus Cypri dilectus meus in vineis Engaddi. In Engaddi;* inquit, *Balsamum gignitur, quod cum oleo Pontificali benedictione Chrisma efficitur, quod dona Sancti Spiritus exprimuntur.* Et in Sacramentario eiusdem Sancti in Coena Domini legitur: *Praeparantur ampullae duae cum oleo, quarum melior defertur Pontifici, ut accepto Balsamo, et commiscitato cum oleo, manu sua impleat eam.* Ita quoque Venerabilis Beda in idem Caput I. *Cantic.* ad eadem illa verba, *Botrus Cypri, etc. In vineis,* ait, *Engaddi Balsamum gignitur, quod in Chrismatis confectione liquori olivae admisceri, ac Pontificali benedictione solet consecrari.* Idem legitur apud Alcuinum, in Libro *de Divinis Officiis;* apud Amalarium, in Libro I. *de Ecclesiasticis Officiis,* cap. XII. et tandem aliis omissis, Eugenius IV. in Decreto pro Instructione Armenorum, de Confirmatione loquens, inquit: *Cuius materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et Balsamo, quod odorem significat bonae famae.* His ergo praelibatis, videndum modo est, quo tempore hic usus admiscendi balsamum cum oleo pro sacra unctione, in Confirmationis Sacramento peragenda, in Ecclesia coeperit. Et quidem ante sextum saeculum, nec apud Orientales, nec apud Occidentales in usu fuisse videtur. Apud Scriptores enim Graecos ante IV. Saeculum, qui Confirmatoriae unctionis meminerunt, de praefata Balsami admixtione cum oleo altum silentium est. Ante quoque sextum Saeculum nullus inter Latinos invenitur Scriptor, qui de hac admixtione loquatur. Nec Tertullianus enim, nec Cyprianus, nec Innocentius Papa I., nec Augustinus, quamquam omnes de Chrismate frequenter locuti sunt, praedictae admixtionis unquam meminerunt. Unde illam inter Latinos circa sextum tantum saeculum usurpatam fuisse, fatendum est. Quantum attinet praesertim ad commixtionem Balsami cum Oleo in Sacro Chrismate conficiendo, ex Sacris Litteris Sancta Mater Ecclesia desumpsit, ut sacrae unctionis in Confirmationis Sacramento mysteria magis exprimerentur: praesertim propter Balsami fragrantiam, quae *Eccles.* cap. XXVI.

v. 20. his exprimitur verbis: *Sicut cinnamomum et Balsamum aromatizans, odorem dedi.* et vers. 21. *Quasi Balsamum non mixtum odor meus.* Etenim ex Balsami odore addiscere satis possunt fideles Confirmati, sibi licere cum Apostolo dicere II. *Cor.* v. 11. *Christi bonus odor sumus.*

IV. Progrediamur nunc ad examinandam Balsami speciem. Balsamum, Graecis Βάλσαμον, quod ad eius etymon spectat, cum e Judaea exterae gentes acceperint, non displicet Joanni Gerardo Vossio in eius Etymologico, sic ob praestantiam vocari, quasi *Princeps*, seu *Dominus Olei.* Hoc autem nomine vocatur arbor, cuius succus *Opobalsamon* dicitur, *succus* nempe, seu *liquor olei*, ex Ὀπὸς, idest *succus, humor*, et Βάλσαμον, quod illam arbusculam designat ipsum Balsami succum producentem, quae arbuscula, seu lignum Balsami *Xilobalsamon* adpellatur, ut Servius et Isidorus monent. Haec planta olim tantum in Judaea reperiri credebatur, ut scribit Plinius. Lib. XII. cap. XXV. Non aliter scribunt etiam Dioscorides et Theophrastus. Praefatas Judeae Balsami plantas, ex quibus verum, et optimum Balsamum fluebat, extinctas esse ob Jerusalem excidia, propterea nullibi amplius exstare, non pauci, qui de Balsamo scribunt, ostendere conantur, inter quos praesertim Amatus Lusitanus, et Nicolaus Morandus Hispanus. Quidquid autem sit de his, quae huc usque scripsimus, certum est postea pluribus in Orbis partibus repertas fuisse Balsami plantas, et nunc in utraque India non paucas inveniri, ex quibus Balsamum fluit, et ex Indiis in Europam quoque praefatas plantas delatas esse.

V. Non una est apud Doctores sententia de essentiali apud Latinos Confirmationis forma. Qui huius Sacramenti materiam in sola manuum impositione collocant, ii formam eiusdem essentialem reponunt in ea oratione quam Episcopus dum manum extendit versus confirmandos, fundit ad invocandum Spiritum Sanctum: ista vero verba: *Signo te, confirmo te,* quae dicit Episcopus dum frontes singulorum inungit, ad integritatem solummodo ac-

cidentalem Sacramenti, et ad maiorem effectus ipsius significationem pertinere contendunt. Ita Sirmondus, Sambovius, et Morinus. Contra qui pro materia constituunt Chrisma, formam esse aiunt verba, quae Episcopus inungens profert. Qui tandem materiam in manuum impositione et Chrismate ponunt, ii formam constituunt in oratione Episcopi manus imponentis, et verbis in Chrismatis unctione prolatis. Nunc apud Latinos Confirmationis forma sunt indicativa verba, quae chrismatis unctionem comitantur: *Signo te signo Crucis, et confirmo te chrismate salutis.* Quo tempore ea Latini uti coeperint, non liquet. Olim haec tantum verba dicebantur: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, *Pax tibi*, ut videre est apud Amalarium Libro I. *de Officiis Ecclesiasticis* cap. 2. et apud vulgatum Alcuinum *de divinis Officiis* cap. de Sabbato Sancto. In Pontificali Egberti saeculo VIII. conscripto haec habetur forma: *Accipe signum sanctae Crucis chrismate salutis in Christo Jesu in vitam aeternam.* In Sacramentario Gelasiano legitur: *Signum Christi in vitam aeternam.* De forma Graecorum non idem omnibus. Morinus, Sambovius, aliique tuentur, apud Graecos Confirmationis formam esse orationem, quae in eorum Euchologiis neophyti unctionem praecedit, cuius initium: *Benedictus es Domine.* Contra Arcudius, Goar, Habert, Holstenius, aliique, Graecorum formam esse statuunt verba: *Signaculum doni Spiritus Sancti*, quo in eorum Euchologio habentur. Antiquissimum apud Graecos fuisse huius formulae usum, rite adstruitur ex Cyrillo Hierosolymitano. Ad eam formam multum accedit ea quae extat in Sacramentario Gelasiano, et in antiquioribus Sacramentorum Libris. In Ordine Baptismi Severi Alexandrini ista habetur: *Chrismate sancto, suavitate odoris Christi Dei, sigillo verae Fidei complemento pignoris Sancti obsignatur talis N. in nomine Patris, Amen; et Filii, Amen; et Spiritus Sancti ad vitam saeculi saeculorum Amen.* Jam vero quod spectat ad partes corporis ungendas; Ecclesia Latina ex constanti omnium saeculorum praxi unicam frontem ungere consuevit. Graeci olim frontem, aures, nares, et pectus un-

gebant, cuius rei luculentum habemus Cyrilli Hierosolymitani testimonium in Catechesi tertia Mystagogica. Hodie vero longe plures corporis partes ungunt, scilicet frontem, oculos, nares, os, aures, pectus, manus, et pedes, ut videre est in eorum Euchologio.

Caput VI.

De Ministro, Tempore, Loco, et Caeremoniis Confirmationis.

I. Certum et constitutum est apud omnes, ordinarium huius Sacramenti ministrum esse solum Episcopum. Idque probatur ex Act. Apostolicis, quae cap. VIII. narrant, Petrum et Joannem profectos Samariam, ut per manuum impositionem baptizatos a Philippo Diacono confirmarent. Hoc Apostolorum exemplo edocta Ecclesia, solis Episcopis, Apostolorum in Episcopali dignitate ac gradu successoribus, ius ordinarium Confirmationis conferendae reservavit, quod quidem perpetua et nusquam interrupta demonstrat Ecclesiae praxis ac Traditio. Et re quidem vera S. Cyprianus *Epistola* 73. ad Jubaianum scribens: *Ut qui baptizantur*, *Praepositis Ecclesiae* (idest Episcopis) *offerantur*, *ut per nostram orationem, et manus impositionem Sanctum consequantur, et signaculo dominico consummentur*. Chrysostomus in cap. 8. Actorum: *Hoc erat in Apostolis singulare*: *unde et praecipuos et non alios videmus hoc facere*. S. Hieronymus adversus Luciferianos ait: *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut Episcopi excurrant ad eos qui in minoribus urbibus sunt baptizati*; *ut eis manus imponant*. Id etiam quovis saeculo Romani Pontifices testati sunt. Cornelius enim Papa, medio saeculo tertio *Epistola ad Fabianum Antiochenum*, apud Eusebium Lib. 6. *Historiae Ecclesiasticae* cap. 43. de Novatiano, qui Confirmationem aspernabatur: *Neque*, inquit, *ab Episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum Sanctum potuit accipere?* Innocentius I. saeculo quinto cum in Diocesi Eugubina quidam Presbyteri id sibi mu-

neris arrogarent, *Epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum*, cap. 3. ita scribit: *De consignandis vero infantibus, manifestum est, non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere*. S. Leo Epistola 88. loquens de officiis Chorepiscoporum, ait, *ipsis non licere nec erigere altaria, nec per impositionem manuum fidelibus baptizatis paracletum Spiritum dare, nec Chrismate baptizatorum frontes signare, quia haec solis Episcopis conveniunt*. Idipsum confirmatur ex Conciliis. Concilium Illiberitanum Can. 38. quo iubet baptizatos a laicis aut Diaconis duci ad Episcopum, *ut per impositionem manuum et benedictionem eos perficiat*. Concilium Arelatense III. sancivit, ut monachi Lerinenses, *nonnisi ab Episcopo Foroiuliensi, neophyti si fuerint, confirmentur*. Concilium Hispalense II. cap. 7. prohibet Presbyteris, ne confirment, *Quia pontificatus apicem non habent*. Concilium VI. Parisiense Lib. I. c. 27. edicit *Facultatem conferendi donum Spiritus Sancti, per impositionem manuum convenire solis Apostolis, et solis Episcopis eorum successoribus*. Concilium Germanicum I. can. 3., decrevit, ut *Episcopus circumeat parochiam ad confirmandos populos*. Ordo Romanus, hanc facultatem solis Episcopis adscribit. Idem praestant Alcuinus in *Epistola* ad Odvinum, et Magnus Senonensis *in Epistola ad Carolum Magnum*. Jesse Ambianensis, Theodulphus Aurelianensis, Rabanus Maurus, Jonas Aurelianensis, Amalarius, Walafridus, Honorius Augustodunensis, Hugo Victorinus, et Stephanus Eduensis. Neque huic Catholico dogmati illud obstat, quod adnotavit Lucas Holstenius *in Dissertatione I. de Ministro Confirmationis* cap. 1. nimirum ab Anania, non utique Apostolo, sed Discipulo, manus fuisse impositas Saulo, uti legitur *Act*. c. 9. v. 17. Etenim ea manuum impositio, utpote, quae Baptismum praecessit, non fuit confirmatoria, sed curatoria, hoc est adhibita ad restituendam Paulo visus sanitatem; quod ex eiusdem capitis 9. ver: 18. liquet. De simili manuum impositione, adhibenda nimirum ad curandos energumenos, loquitur Innocentius I. in *Epistola ad Decentium* cap. 6. num. 9.

II. Vetusta est apud Graecos consuetudo, ut simplices Sacerdotes Sacramentum Confirmationis administrent, puerosque statim post baptismum sacro Chrismate liniant. Longe ante Photianum schisma, fuisse Graecorum moribus receptum, ut simplices Sacerdotes baptizatos infantes statim sacro Chrismate inungerent, demonstrant Morinus *Dissertatione secunda de Sacramento Confirmationis*, et Lucas Holstenius Diss. 1. *de Ministro Confirmationis apud Graecos*. Eumdemque usum invaluisse apud alias Orientales Ecclesias testatur Ambrosiaster *in Commentariis in Epistolas Pauli, ad cap. 4. Epistolae ad Ephesios* v. 12. tom. 2. Opp. edit. *Paris* an. 1690. col. 241. in Appendice inquiens: *Apud Aegyptum Presbyteri consignant, si praesens non sit Episcopus*: et Auctor *Quaest. veteris et Novi Testamenti 101 in Opp. ad 1. part. tom. 3. Opp.* S. Augustini col 93. *In Alexandria et per totam Aegyptum, si desit Episcopus, consignat Presbyter*: quibus in locis verbum *consignat*, non merum ritum, sed veram Confirmationem denotare, tanquam indubitatum ponit Christianus Lupus Opp. tom. 2. pag. 1424. Sunt qui hanc Graecorum consuetudinem semper ab Ecclesia Latina improbatam affirmant. Etenim, inquiunt, Nicolaus I. vix exhorto Photiano schismate, cum audierit, Graecos Presbyteros, auctoritate, et suasionibus Photii, Sacramentum Confirmationis per Bulgariam administrasse, misit illuc Paulum Populoniensem, et Formosum Portuensem Episcopos, Legatos suos, qui omnes Bulgaros a praedictis Presbyteris inaniter confirmatos, iterum sacro Chrismate rite signarent; quod constat tum ex Epistola Photii ad omnes Episcopos Orientales, ubi de hoc facto acerbe conqueritur, tum ex Epistola Metrophanis Metropolitae Smyrnensis. Adhuc etiam expressius praefatam consuetudinem damnatam aiunt ab Innocentio III. in cap. *Quarto*. Quam quidem Innocentii III. Decretalem corroboratam dicunt ab Innocentio IV. Nicolaus I. iterum Bulgaros consignari voluit; quia Confirmationem receperant a Sacerdotibus, qui Photii errore erant imbuti. Contendebant insuper Photiani illi Presbyteri, ex nullo Scriptu-

rae testimonio, nullave lege constare solos Episcopos ordinarios esse Confirmationis ministros; atque Officium illud pari iure commune esse tum Presbyteris, tum Episcopis. Merito Nicolaus I. iudicavit nullam esse Confirmationem, quam Graeci Presbyteri tamquam proprio et ordinario iure dispensabant; maxime in ea regione, in qua nihil auctoritatis ac iurisdictionis habebant Graeci. Bulgaria pertinebat ad Patriarchatum Occidentalem, quod pluribus ostendit Christianus Lupus *Opp.* tom. 2. pag. 1404. Nihil obturbat Innocentius III. cap. 4. *ext. de Consuetudine ubi inhibet omnibus Presbyteris apud Constantinopolim constitutis, ne in posterum Sacramentum Confirmationis fidelibus exhibeant.* Ita quippe habet integra Decretalis apud Baluzium tom. 1 *Epistola Innocentii III. pag. 480* ubi legitur *omnibus Latinis Presbyteris;* Raymundus autem in compilatione Decretalium τὸ *Latinis* omisit. Hinc se exserit Innocentii mens. Nimirum is consignare interdicit Latinis tantum Presbyteris apud CPolim morantibus. Quum enim eo tempore urbs CPolitana Francorum imperio subesset, eiusque Patriarcha venetus esset, Francis et Venetis incolis magna ex parte ea urbs constabat. Latini autem Presbyteri, Constantinopoli degentes, Graecorum more Confirmationem administrare coeperunt; quem Latinorum Sacerdotum abusum retudit Innocentius, iisque praecepit, ut Latinae Ecclesiae consuetudinem observent, nec agere praesumant, quod solis Graecis Presbyteris permissum est. Denique in aliis locis, in quibus Confirmatio data a Sacerdotibus Graecis, non est a Sede Apostolica expresse improbata, ea pro valida est habenda ob tacitum saltem privilegium a Sede Apostolica illis concessum.

III. Ea fuit olim Ecclesiae consuetudo, ut baptizatis statim manus imponerentur ad accipiendum Spiritum Sanctum, nimirum consignarentur. Cuius rei fidem certam et indubitatam faciunt non modo Rituales Libri et Pontificales; sed Patres fere omnes, qui his de rebus scripserunt. Hos inter principem locum tenere debet Tertullianus qui in libro *de Baptismo* cap. 7. et 8. id disser-

te asserit: *Egressi*, inquit, *de lavacro, perungimur benedicta unctione... dehinc manus imponitur per benedictionem, invocans Spiritum Sanctum*. S. Cyprianus *Epistola 70. ad Januarium et alios* scribit. *Ungi necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, idest unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit*. Clarius Laodiceni Concilii Patres canone 48 *Oportet, eos qui illuminantur, post baptismum inungi supercaelesti Chrismate*. Denique ut Ambrosium *Libro de Mysteriis* cap. 7.; Hieronymum *Dialogo adversus Luciferianos*, et alios plures omittam; hunc Ecclesiam antiquae morem perspicue demonstrat S. Augustinus *Sermone 333.* ubi de quodam puero catechumeno defuncto, meritis et intercessione S. Stephani ad vitam reducto, haec habet: *Continuo tulit illum ad Presbyteros* (mater), *baptizatus est, imposita ei manus est, completis omnibus Sacramentis assumptus est*. Jam vero mos iste non solum in adultis servabatur, verum etiam in infantium baptismo. Innocentius I. *Epistola I. De consignandis infantibus* ait: *Manifestum est, non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere*. Idem repetit Gregorius Lib. III. cap. IX. Idem a Libris Ritualibus colligitur, in quibus infantium baptismo eorumdem adnectitur Confirmatio. Isthaec vero Baptismum et Confirmationem simul conferendi consuetudo IX. et X. saeculo paullatim immutari coepit; donec tandem XIII. ineunte obsolevit. Ex vita quidem S. Uldarici Augustani patet, consuevisse illum feria II. post Pascha *post peracta Missarum solemnia multitudinem populi illic congregati sacro Chrismate confirmari*. Tum Rabanus, qui praecedenti saeculo floruit, Lib. II. *de Institutione Clericorum* cap. XXXIX. Confirmationis administrationi octavum a Baptismo diem assignat. Quod etiam testatur Alcuinus. At praetereundum non esse duco, quod licet disiuncta fuerit a Baptismo Confirmationis collatio, summo tamen opere consultum est, ne longius, quam par erat, a Baptismo distraheretur. Hinc plures Synodorum Canones legimus, quibus etsi varia ad Confirmationem recipiendam aetas statuatur; haud tamen in provectam nimis aetatem rejicitur. Perseverat etiam

nunc mos huiusmodi apud Graecos, apud quos teste Allatio Lib. 3. *de perpetua consensione Ecclesiae Occidentalis et Orientalis* cap. 18. *nullus est qui Sacramento Baptismi accepto, domum absque Sacramento Confirmationis redeat.* Nullus quidem in plerisque Ecclesiis proprius administrando Confirmationis Sacramento destinatus locus: neophytis enim ea conferebatur vel in Ecclesiae Sacrario, vel in aliqua ipsius Ecclesiae parte; ut ex praescripto Ritualium Librorum colligitur. Is quibusdam in locis erat a Baptisterio separatus, dicebaturque *Consignatorium*, quale illud erat, quod in Neapolitana Ecclesia construxit Johannes eiusdem civitatis initio saeculi VII. Antistes, quod describit Joannes Diaconus in Libro *de Gestis Episcoporum Neapolitanorum.* In libro tamen Sacramentorum S. Gregorii Papae locus ad Confirmationem designari videtur *Sacrarium* sive *Sacristia.* Sed quocumque tandem in loco traderetur ab Episcopo Spiritus Sanctus, illud certe observatu dignum est, quod sicut olim mares a feminis separatim baptizabantur, ita et confirmabantur, quam ex veteri Ecclesiae disciplina retineri voluit Aquense Concilium et Mediolanense V.

IV. Adhibendos in Confirmatione Susceptores, constat ex perantiqua Ecclesiae praxi, comprobata ex capite, *In Catechismo*, quod tribuunt Hygino, protulitque saeculo septimo Theodorus in Poenitentiali num. 4. item ex Capite non *plures*, deprompto ex Valafrido Strabone et ex cap. *in Baptismate, vel in Chrismate*, sive ex Theodoro, sive ex Concilio Moguntino: quae omnia collegit Gratianus *de Consecratione* dist. 4. Divus Thomas q. 72. art. 10. huius ritus hanc profert rationem, quod illi, qui seliguntur ad pugnam, debent instrui a veteranis, et diuturno usu in re militari exercitatis, quemadmodum recens nati capessere debent vitae rudimenta. Haec de ritus antiquitate. Exigitur Confessio, et jejunium in adultis Confirmationem suscipientibus. Utriusque meminit Herardus Archiepiscopus Turonensis in suo Capitulari num. LXXV. *Ut jejuni ad Confirmationem veniant, et moneantur confessiones dare prius, ut mundi donum Sancti*

Spiritus valeant percipere. Idem decernunt Concilium Beneventanum sub Hugone II. Guidardio Archiepiscopo, Trecense, et Lingonense. Est et ille quoque vetustus Ecclesiae ritus; ut frons confirmati sacro Chrismate illita, linteo, seu vitta linea cingeretur. Deponebatur autem olim linea vitta post septimum diem, quo ipsius Confirmati frons abstergebatur, ut constat ex Ordine Romano, ex Amalario Fortunato, et Hugone Victorino. Haec ligamina ex nova tela, munda, tribusque lata digitis ut fiant, mandat Concilium Vigorniense, anno 1240. et Coloniense anno 1280. Illud omnino hic admonendum est, non perpetuo, nec ubique servatam fuisse septem dierum disciplinam. Tribus diebus deferendum ligamentum sancivit anno 1374. Synodus Beneventana, et anno 1400. Synodus Trecensis. Id vero ad spatium viginti quatuor horarum coarctavit Synodus Carnotensis. Explicandum restat, quid olim de bandellis, sive de vittis lineis fieret, postquam a confirmatis die septimo, vel tertio, ut supra dictum est, post susceptum Sacramentum deponebantur. Certe Concilium Beneventanum anni MCCCLXXIV. praecipit, ut tribus elapsis diebus, *Frons Confirmati, et bandellus abluatur a Sacerdote supra fontes ob reverentiam Sacramenti: et bandellus vero vel comburatur, vel in usus mundos Ecclesiae convertatur, et deputetur.* Ex Senonensi Synodo, Carnotensi, et Parisiensi idem quidem praescribitur.

V. Statim ac Episcopus pronuntiavit Confirmationis formulam, caedit leviter consignati maxillam, dicens: *Pax tecum.* Ceremoniam hanc non legi apud veteres, nec perantiquam esse, affirmant Natalis Alexander, Juenin, Witasse, L'Herminier, Tournely, et alii complures. Frui tamen illam antiquitatis honore demonstrant Pontificales Codices MSS. Vaticanus, et Angelicae Bibliothecae: quorum ille quadrigentorum annorum, iste vero quingentorum aetatem superat. Neque hi Codices instituunt primo, sed institutum supponunt eumdem ritum. Infligi confirmatis levem alapam, ut suscepti Sacramenti servent memoriam, Senonensis et Carnotensis Synodi

tradiderunt. Aliam huius percussionis rationem proferunt Durandus, et Concilium Coloniense, aliique plurimi; ut nempe meminerit confirmatus, se tanquam athletam paratum esse oportere ad omnia adversa pro Christi nomine perferenda. Ritus impertiendae pacis confirmato est certe antiquus, utpote cuius meminerint Ordo Romanus, itemque creditus Alcuinus, et Amalarius Fortunatus. Ne quis putet, preces, orationesque, ac ritus in Sacramento Confirmationis adhibitos recentia esse Ecclesiae inventa, totidem pene verbis legere est in variis antiquis Pontificalibus Libris Mss. allatis a P. Martenio Lib. I. *De antiquis Ecclesiae Ritibus*, cap. 11. art. IV. in quo varii ad Confirmandum Ordines referuntur.

Caput VII.

De Sacramenti Eucharistiae Nominibus, Materia, et Forma.

I. Eucharistiae Sacramentum, quo nihil in Ecclesia maius aut augustius est, variis apud veteres nominibus exprimi consuevit. Ac 1.° *Eucharistia* in primis vocatur a S. Justino Martyre, *in Apologia secunda*; a Tertulliano, Libro *de Corona*; a S. Cypriano, Libro *de Lapsis*; a Concilio Nicaeno, Canone XVIII. Eucharistia porro secundum nominis significationem idem est quod *Bona gratia*, vel *Gratiarum actio*. Ac recte quidem *Bona gratia* dicitur, tum quia vitam aeternam praesignificat, de qua scriptum est, apud Apostolum ad Rom. c. 6. v. 23. *Gratia Dei vita aeterna:* tum quia Christum Dominum, qui vera gratia, atque omnium charismatum fons est, et *Unigenitus* dicitur apud Joannem c. 1. v. 14. *a Patre, plenus gratiae et veritatis, de cuius plenitudine nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia,* realiter et substantialiter in se continet. *Caeleste Convivium* hoc Sacramentum vocatur a S. Ambrosio Libro *de his qui Mysteriis initiantur*, cap. VIII. *Mensam Domini, Mensam divinam, Mensam spiritualem et mysticam* appellant veteres. Vocatur *Sacramentum Fidelium, Mysterium Fidei, Christianae Religionis arcanum,*

quia Infidelibus et Catechumenis eius notitia abscondebatur. Sacramentum istud *Sancta*, *Sanctum Domini*, *et Sanctum* simpliciter appellarunt, quod pretiosum Corpus et Sanguinem Christi contineat, qui Sanctus Sanctorum est, ut fons totius sanctitatis. Haec nomina usurpant S. Cyprianus, Libro *de Lapsis*; Tertullianus, Libro *de Spectaculis*; S. Cyrillus Alexandrinus, Lib. XII. in Johannem; et Concilium Laodicenum Canone XIV. *Fractio panis* a Veteribus etiam interdum appellatur, qui de Eucharistia intelligunt quod *Actorum* capite II. scriptum est: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus.* Appellatur *Eulogia mystica*, *Eulogia divina*, *Sacramentum benedictionis*, *sanctificationis*, *et consecrationis*. *Corpus et Sanguinem Domini* frequentius dixerunt antiqui Patres. *Pretium nostrum* item vocarunt, quod idem Corpus contineat, quod pro nostra Redemptione in Cruce immolatum, eumdem Sanguinem qui pro nobis effusus est.

II. Materia Eucharistiae est panis et vinum de vite. Latini azymo pane, Graeci fermentato consecrant. Num vero Latini ab Apostolicis temporibus azymo usi fuerint; mira eruditòrum discrepantia. Sirmondus *In disquisitione de Azymo* tom. IV. *Oper.* pag. 354. et seqq. putat, Latinos ab Ecclesiae cunabulis ad Saeculum nonum fermento consecrasse: tum, fermento abiecto, consecrare azymo coepisse eo tempore, quod inter Photium et Cerularium, hoc est ab anno 867. ad annum 1054. intercessit. In eamdem sententiam venerat Launojus, et pro ipsa Tractationem iamdudum scripserat Cardinalis Bona Lib. I. *Rerum Liturgicarum* cap. 23. suspicatur, Latinos octo saltem vel novem prioribus saeculis nullum posuisse discrimen inter azymum et fermentatum; sed pro diversa locorum et temporum occasione alterutrum adhibuisse. Tandem Latinos azymo pane ad Eucharistiam conficiendam ex apostolica traditione semper usos, tuentur Franciscus Macedo, *In disquisitione theologica de ritu azymi et fermentati*; Joannes Mabillonius, *In dissertatione de pane Eucharistico azymo et fer-*

mentato; Honoratus a S. Maria, *Animadversiones in regulas, et usum critices* Tomo II. Lib. IV. diss. IV.; Joannes Ciampinus, *De perpetuo azymorum usu in Ecclesia Romana;* Christianus Lupus, *Dissertatio de Actis*] *S. Leonis IX.* cap. 5.; Franciscus Florentinus, *In disquisitione de antiquo usu fermentati panis et azymi*; Antonius Sandinius, *Disputationes Historicae ad vitas Pontificum Romanorum Disputatio* X. quae est de azymo Latinorum; aliique permulti. His ego adstipulor. Cum enim Christus Dominus noster Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in azymo instituerit (uti eruditi demonstrant), Apostolis praecepit, ut illud ipsum, quod viderant, in suam commemorationem facerent, ut narrat S. Lucas Evangelista cap. 22. v. 19. *Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.* Apostoli quod Jesus praeceperat, fecerunt, posterisque Mysterium hoc incruentum, quod Fidei nostrae praecipuum est, demandarunt. Neque vero temere assertur, illos, si omnium, quae eis praeceperat Jesus, diligentissimi observatores atque Custodes fuerunt, fuisse etiam in usu panis Azymi, quem a Christo Domino acceperant. Hinc non sine quodam maximo iure deduci posse mihi videtur in primo saeculo, tempore scilicet Apostolorum, in Azymo Sacrosanctae Eucharistiae mysteria celebrata fuisse. Azymorum usum maximopere probare videtur Mabillonio, quod Latinae Ecclesiae Patres uterentur pane studiose confecto, candido supra communem, rotundo ac tenui, non spisso neque denso. Eiusmodi Eucharistici panis proprietates postulat Canon VI. Concilii XVI. Toletani, quod saeculo VII. vergente habitum est, atque id pro veteri consuetudine praestandum iubet. Quas omnes recensitas conditiones azymo pani magis quadrare ait Mabillonius, quam fermentato, qui inflatus ac densus esse solet. Insuper si perpetuus non fuisset in Ecclesia Latina usus Azymorum, et Latini usque ad saeculum VIII. ut putant adversarii, ad Eucharistiam conficiendam fermentatum panem adhibuissent; nonne Michael Cerula-

rius, qui illud omnium primus ipsis vitio vertere non dubitavit, quod pane azymo, minime apta, ut aiebat materia, uterentur; illud etiam, et quidem multo magis, multoque acrius et vehementius exprobasset atque obiecisset, quod ausi essent in locum fermentati, cuius erat antea usus communis, azymum panem substituere, et per summam inconstantiam Sacrosanctae Eucharistiae materiam immutare? Hactenus allata argumenta roborant testimonia Scriptorum. Alcuinus *Epistola 69. ad Lugdunenses* haec habet: *Panis, qui in Christi Corpus consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus..... ex aqua et farina panis fit, qui consecratur in Corpus Christi.* Neque minus aperta et clara sunt verba Rabani Mauri Archiepiscopi Moguntini, *de Institutione Clericorum*, quem edidit anno 819. cap. 31. *Panem infermentatum, et vinum aqua mixtum in Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi sanctificari oportet.* Humbertus Cardinalis Silvae-Candidae Episcopus azymorum usum in Ecclesia Latina vocat *Traditionem Apostolicae Sedis*. Idem docent Rupertus, tom. 2. *de Divinis Officiis* Lib. 2. cap. 22.; Leo IX. *Epistola 6.* ad Michaelem; Stephanus Eduensis, *de Sacramento Altaris* cap. 12.; Paschasius Ratbertus, *de Corpore, et Sanguine Domini.* Scholasticorum concors et sententia est; sic Alexander Alensis, p. 4. q. 10.; S. Bonaventura, in 4. *dist.* 11. A. 2. q. 1.; *Scotus*, in 4. *dist.* 11. q. 6. *Secundae partis ad finem;* Durandus, Soto, Herriquez, Suarez, et alii bene multi.

III. Quod spectat ad Graecos, hos ab Ecclesiae initiis ad haec tempora semper fermentato consecrasse, putant Mabillonius, *Praefatione I. in saeculum tertium Benedictinum*; Bona, Lib. 1. *Rerum Liturgicarum* cap. 23. §. 18.; Calmet, *de novissimo Paschate Christi*; aliique. Sed Graecos usque ad Saeculum VII. azymum adhibuisse tenent Franciscus Macedo, et Honoratus a Sancta Maria. Cum enim antiquis Graecae Ecclesiae Patribus aeque ac Latinis persuasum fuerit, Christum Pascha celebrasse, pridie quam pateretur, eumdemque pane azymo ad Eucha-

ristiam conficiendam usum esse; nonne consentaneum est credere, veteres Graecos mysterii auctorem Christum imitatos esse? S. Epiphanius Haeresi 30. haec de Ebionitis narrat: *Mysteria vero perficiunt secundum imitationem Sanctorum in Ecclesia, quotannis in azymis.* Cum Ebionitae ex azymis perficiebant mysteria ex imitatione Sanctorum, qui sunt in Ecclesia, ante omnia petimus, cuius Ecclesiae essent Sancti isti, quibus imitandis operam dabant? Ecclesiae nomine intelligenda ne est Latina, an Graeca, an Ecclesia universa, Occidentalem et Orientalem complectens? Si Ecclesiae vocem postremo modo accipias, iam vides, Sanctos universalis Ecclesiae azymo uti solitos, et eiusmodi panis usum primis Christi saeculis Graecis perinde, ac Latinis fuisse communem: si ad solam Orientalem Ecclesiam referas, fateare necesse est, Graecos tunc temporis Ebionitarum azymum adhibuisse: si denique Latinam Ecclesiam intelligas, id vero assertionem nostram de perpetuo Azymorum usu apud Latinos mirum in modum confirmat. Verum postrema haec interpretatio minus propria, minusque ad rem videtur. Verba enim haec indefinita: *Secundum imitationem Sanctorum in Ecclesia*, non magis Orientalem Ecclesiam significant, quam Occidentalem, cum utraque communi Ecclesiae vocabulo contineatur. Quod si dicas, ibi Ecclesiae nomine peculiarem aliquam Ecclesiam significari, illud etiam dicas, oportet, eam fuisse Ecclesiam Graecam: quoniam incredibile omnino est, haereticos Graecae Ecclesiae sibi proposuisse imitandos Sanctos Ecclesiae Latinae, cum qua commercium nullum habebant. Insuper Armeni etiam nunc celebrant in pane azymo, quod ab omni vetustate praestiterunt ex Traditione S. Gregorii Armeniae Episcopi, qui sub initium saeculi IV. iussu Tiridatis Regis Armeniorum morti datus est. Sanctus iste vir, educatus Caesareae in Cappadocia, eam Eucharistiae materiam, quae Caesareae adhiberi consueverat, in Armeniae Ecclesiam a se constitutam invexisse, nemo unus, ut opinor, inficias iverit. Et sane Armenios pane azymo usos ex S. Gregorii instituto, tradit De-

metrius Cyzicenus. Idem docet Nicephorus Callistus *Ecclesiasticae Historiae* Lib. 18. cap. 54.

IV. Altera Eucharistiae materiae pars est vinum ex uvis expressum. Vino consecrando modicum naturalis aquae perantiqua traditione, et Ecclesiae praecepto debet infundi. Unanimis in hanc rem tum Latinae, tum Graecae Ecclesiae Patrum per omnes aetates consensio adeo constans est, ut nihil hac traditione sit luculentius. Justinus *Apologia II.* fideles tum de Eucharistico pane, tum de vino et aqua partecipare asserit. Vini et aquae in Eucharistia meminerunt tum Irenaeus, Lib. IV. *adversus Haereses* cap. LVII. tum Chrysostomus, aliique e Graecis. E Latinis vero Cyprianus, *Epistola LXIII.*; Ambrosius, Lib. IV. *de Sacramentis* cap. IV.; Augustinus, *de Doctrina Christiana* Lib. IV. cap. XXI.; aliique. Constat eadem veritas ex antiquis Ecclesiae Ritibus. Miscendam quippe vino aquam probat Auctor Constitutionum Apostolicarum Lib. VIII. cap. 12. pag. 402. ex Liturgia Jacobi. Insuper in Liturgia Marco attributa commemoratur vini et aquae commixtio. Eadem praecipitur in Ritu antiquo celebrandae Missae, qui extat in Appendice ad Sacramentarium S. Gregorii tom. III. novae editionis pag. 295. in Capitulari Attonis Episcopi Vercellensis, et Theodulphi Aurelianensis, tom. pag. 441. Huiusce admixtionis eam reddiderunt Patres rationem, tum quod Sanguinis et aquae e Jesu Christi latere effluentis imaginem illa praeseferat: tum vero quod populi fidelis cum Christo capite coniunctio per illam exprimatur.

V. Forma, qua consecratur panis, est: *Hoc est enim corpus meum*: forma vero, qua vinum consecratur, est haec: *Hic est Calix Sanguinis mei etc.* Nicolaus Cabasilas *in Expositione Liturgiae* cap. 27. et seqq.; Marcus Ephesinus *singulari opuscolo;* aliique Graeci contendunt, Eucharistiam non solis verbis Dominicis, sed et precibus, quae antea vel postea a Sacerdote recitantur, consecrari. Hanc sententiam strenue profligarunt Cardinalis Bessarion, *in Opuscolo de Eucharistia* quod extat tom. XXVI *Bibl.* PP. pag. 787.; Allatius, Lib. 3. *de Consensu Occi-*

dentalis et Orientalis Ecclesiae cap. 15.; et Arcudius, Lib. 3. *Concordiae* a cap. 26. ad 37. Eam tamen instauravit rursus Antonius Augustinus Toutteè *Diss. 5.* praemissa Operibus S. Cyrilli, qua propugnat, Consecrationis formam consistere non solum in verbis Christi, verum etiam in precibus ab Ecclesia institutis: ita ut essentialis Eucharistiae forma, componatur ex duplici hac partiali et adaequata forma, nempe verbis Christi, et precibus Ecclesiae. Ad Touttei partes accessit Petrus Le Brun Tom. III. *Explication de la Messe.* Sed Toutteum refellit Cardinalis Ursius *in Dissertatione de invocatione Spiritus Sancti in Liturgiis Graecorum et Orientalium* pag. 108. Contra Le Brunium vero scripsit Bougeantius. Refutantur Graeci ex ipsismet Liturgiis, unde petunt erroris sui patrocinium. Primo enim Liturgiae omnes formam consecrandae Eucharistiae in verbis Dominicis statuunt, in precibus autem adiectis plurimum discrepant. Probatur auctoritate Sanctorum Patrum. S. Irenaeus Libro tertio, capite 2. *Quando,* inquit, *panis percipit verbum Dei; fit Eucharistia Corpus et Sanguis Domini. At nullum aliud in consecratione Eucharistiae verbum Dei occurrit, quam istud, Hoc est corpus meum.* S. Gregorius Nyssenus qui *Oratione Catechetica* cap. 37., de modo transubstantiationis sic scribit: *A verbo, statim in Corpus transmutatur, sicut dictum est a Verbo, Hoc est Corpus meum.* S. Joannes Chrysostomus *Hom.* 2. in *secundam Epistolam* ad Timotheum demonstrat non homines, sed Christum sacrificare divina dona, eamdemque esse ipsius Christi ac Sacerdotum oblationem, quoniam Eucharistia perficitur eiusdem Domini verbis, ita scribens: *Quemadmodum enim verba, quae protulit Christus, eadem sunt, quae Sacerdos, nunc quoque pronunciat, ita et oblatio eadem est.* Theophylactus in cap. 5. Joannis scribit transformari panem in Christi carnem *arcanis verbis:* de qua expressione lege Arcudium Lib. 3. cap. 32. Et in Oratione de Proditione Judae: *Sacerdotis ore verba proferuntur et Dei consecrantur et gratia. Hoc est enim* ait, *Corpus meum. Hoc verbo proposita consecrantur.* Tertullianus Lib. 3. adversus Marcionem cap. 4. diserte dicit:

Acceptum panem et distributum Discipulis Corpus suum (Christus) *fecit dicens*: *Hoc est Corpus meum*. Ambrosius *de Mysteriis* cap. IX. num. 52. *Quod si tantum* inquit, *valuit humana benedictio, ut naturam converteret*; *quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur?* S. Augustinus Serm. 227. alias 83. *De Diversis* inquit: *Panis ille quem videtis in Altari, sanctificatus per verbum Dei, Corpus est Christi. Calix ille, immo quod habet Calix, sanctificatum per verbum Dei, Sanguis est Christi*. Vide apud Martenium tom. 1. *de antiquis Ecclesiae Ritibus* pag. 405. testimonia reliqua Latinorum, Eusebii Emisseni, Remigii Antissodorensis, Paschasii Ratberti, et Stephani Eduensis.

VI. Et Graeci quidem tempore Concilii Florentini, ea de re a Summo Pontifice Eugenio IV. non semel interrogati, ita catholice postulationi satisfecerunt, ut S. Pontifex eos tanquam *fratres in Fide secum coniunctos compellaverit*. Ita narratur in Concilio Florentino Sess. 25. *Porro* inquiunt *Graeci, hoc ita dissolutum est* (dubium scilicet quod propositum ipsis fuerat) *Fateri nos diximus per haec verba transubstantiari sacrum panem, et fieri Corpus Christi: sed postea, quemadmodum* (Latini) *dicitis, Jube haec perferri per manus Sancti Angeli tui in sublime Altare tuum: ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus Sanctus descendat super nos etc.* Et paulo post aiunt: *De Mysteriis autem fatemur ea consecrari per Domini voces, licet nos postea invocando dicamus, Fiat Corpus et Sanguis Christi*. Affert Mabillonius tom. 1. part. 2. p. 243. declarationem a Bessarione Cardinale Eugenio IV. in Concilio Florentino traditam, ubi diserte fatetur, *Verba Dominica esse illa, quae mutant, et transubstantiant panem et vinum in Corpus verum Christi et Sanguinem, et quod illa verba Divina Salvatoris omnem virtutem Transubstantiationis habent*; quam confessionem magni momenti esse ait Mabillonius pag. 245. ad demonstrandum, quaenam sit Ecclesiae Graecae de Eucharistia Fides. Denique Duhamel Theologiae tom. VI. editionis Parisiensis anni 1691. pag. 775. et seqq. accurate de hac re disputat, et auctoritate Graeco-

rum et Latinorum Patrum concludit, Consecrationis formam Divinae non humanae institutioni tribuendam: preces quae vel ante vel post Consecrationem recitantur, eas quidem ad Sacrificii integritatem et perfectionem pertinere, non tamen ad Consecrationis essentiam.

Caput VIII.

De Poenitentiae nominibus, et diversis gradibus.

I. De Poenitentia verba facturi, ab ipso nominis etymo exordiemur. Gallus Asinius, et Bargius Licinius verborum pensitatores accuratissimi latine tum dici nos poenitere docebant, *cum quae ipsi fecimus, aut quae de nostra voluntate, nostroque consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere, sententiamque in iis nostram demutamus.* Poenitentiae igitur tria complectitur, dolorem animi, consilii mutationem, et admissi sceleris punitionem veluti quamdam, qua fit, ut in posterum summo studio et quovis pretio ab eo abstinere quis allaboret. S. Isidorus in exhortatione ad Poenitentiam, hanc tradit istius nominis etymologiam in Libro 6. *Originum: A punitione Poenitentia nomen accepit, quasi punitentia, dum ipse homo punit poenitendo quod male admisit.* Auctor antiquus Libri de vera et falsa Poenitentia S. Augustini nomine citari solitus, aliunde hoc nomen derivat, sed eodem sensu, et notationis verisimilitudine: cap. 19. *Continue dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dictionis virtus. Poenitere enim est poenam tenere, ut semper puniat in se, ulciscendo quod commisit peccando.* Ideo paulo post Poeniteniam sic definit: *Poenitentia est vindicta semper puniens in se, quod dolet commisisse.* Hanc etymologiam velut S. Augustini oraculum tradiderunt Magister Sententiarum Lib. 4 dist. 14. et Gratianus de Poenitentia dist. 3. C. *Poenitentia*, et plerique Theologi Scholastici et Canonistae. Apud Graecos idem plane significat μετανοια, quod apud Latinos *Poenitentia.* Si solum vocis etymon spectes, μετανο est *mentis mutatio* seu *resipiscentia.* Graeci nomine *Exo-*

mologesis frequenter utuntur, ut significent et confessionem, et totam Poenitentiae actionem. Graeci recentiores poenas omnes in Poenitentiam impositas, generali nomine appellant ἐπιτίμιον, *poenam*, *mulctam*. Elegantem esse ac pervulgatam huius vocis apud Graecos sive profanos, sive sacros usum, nonnullis exemplis probat Morinus. A Latinis nonnunquam Poenitentia dicitur *Manus impositio reconciliatoria*: a Tertulliano autem Libro *de Poenitentia* cap. 4. a S. Cypriano *Epistola 9. Secunda post naufragium tabula*: a S. Chrysostomo *Homilia septima de Poenitentia* : *remedium quod peccatum tollit*; *donum caeleste, virtus admirabilis, gratia legum cursum superans*: Et *Homilia 8. Poenitentia,* inquit, *est medela delictorum* ; *consumptio iniquitatum* , *effusio lacrymarum* , *fiducia apud Deum* , *et armatura contra Diabolum.*

II. Quatuor gradibus antiquos poenitentiae curriculum percurri voluisse, nemo est qui ignorat. Eos quidem gradus diversis vocabulis pro diversa cuiusque ratione distinxere. Et primum fletum graece πρόσκλαυσιν; *auditionem* alterum, graece ἀκρόασιν ; tertium *substrationem* , ὑπόπτωσιν ; quartum denique *consistentiam*, σύστασιν vocarunt. Hinc primae classis Poenitentes *Flentes* , alterius *Audientes*, tertiae *Substrati* et quartae *Consistentes* appellati sunt. Horum autem conditionem brevi explicat Harmenopulus *in Epitome Canonum* post S. Basilium. *Flens, hoc est, stans extra Ecclesiam, et ingredientes orans, ut pro se preces fundant.* Audiens; *hoc est, stans foris in Narthece.* Substratus, hoc est , *stans intra Ecclesiam post ambonem* , *et cum Catechumenis egrediens.* Consistens , *hoc est* , *cum fidelibus orans, qui nondum tamen Sacramentis dignus censetur, nisi post hoc.* Primus qui poenitentiae gradus sigillatim, et distincte meminit, est sanctus Gregorius Thaumaturgus saeculo tertio, ut optime notat Natalis Alexander *Hist. Ecclesiastica saeculum tertium Dissertatione 8. art. 1.* Canone ultimo Epistolae suae Canonicae. Primus itaque gradus, seu prima statio *Flentium* erat, qui admissi ad poenitentiam in porticu extra Ecclesiam commorabantur peccata sua deplorantes, lugubri veste induti ,

neglecto capillitio, cilicio et cinere sordidati; et ad misericordiam excitandam omni ex parte compositi. Hanc stationem memorat Sanctus Basilius in *Epistola* ad Amphilochium Canone 56. ubi de poenitentia homicidae voluntarii decernens: *Debet*, inquit, *quatuor annis deflere, stans extra fores Oratorii, et fideles ingredientes orans ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuntians.* Eamdem stationem innuit Sanctus Joannes Chrysostomus Homilia decima septima in Matthaeum. Nihil ad istos poenitentes pertinebat Missa Catechumenorum, nullae super eos manuum impositiones erant, nullae orationes recitabantur. Nec publicas conciones, aut Scripturarum lectiones audire, nec ea quae intus in Ecclesiam fieri solebant, intueri poterant. Secundus ordo Poenitentium ακροασις *auditio* dictus est. Huius meminit S. Gregorius Thaumaturgus, Canone ultimo Epistolae Canonicae; S. Basilius Canone 22.; Nicaenum Concilium Canone secundo ubi decernit, ut qui sub Licinii persecutione lapsi sunt, *tribus annis inter audientes habeantur.* Eamdem stationem memorat et Gregorius Nyssenus in Epistola Canonica ad Letojum Episcopum Mitilanensem, ubi loquens de homicida voluntario post novem annos in fletu exactos, ita statuit: *tot annos in auditione permaneat, sola Doctorum, et Scripturarum auditione dignus habitus.* Audientes itaque Poenitentes, de quibus loquimur, stabant in extrema parte Ecclesiae prope ianuam, quae *Narthex* dicebatur, ibique Psalmorum cantum, Sacrarum Scripturarum lectiones, atque ecclesiasticos sermones cum Catechumenis, caeterisque non initialis, et infidelibus audiebant; simul autem cum ipsis ante Missam fidelium dimittebantur, ut se a salutari baptismatis gratia excidisse cogitarent, et Fidei Christianae principiis, cuius sanctitatem malis operibus violaverant, quasi ex integro imbui oportere intelligerent sibimetipsis identidem inculcantes illud Apocalypsis Capite secundo: *Memor esto unde excideris, et age poenitentiam, et prima opera fac.* Nullae erant super eos manuum impositiones, nullae orationes, eo quod istarum expiationum nondum capaces aestimarentur.

III. In tertio gradu erant *Substrati*, manentes intra ambitum Ecclesiae usque ad Ambonem, ultra quem progredi nenefas illis erat. Substrationis meminit Canon 16. Ancyranae Synodi: illius insuper meminerunt et Sanctus Gregorius Thaumaturgus, in *Epistola Canonica*: Concilium Nicaenum, Canone II.; Sanctus Basilius, *Epistola tertia Canonica* ad Amphilochium; Felix tertius Pontifex Maximus, *Epistola septima*; et alii. Toto substrationis tempore, quod plurium semper erat annorum, in sacra Liturgia manuum impositionem ab Episcopo aut Presbytero flexis genibus recipiebant, quae quidem res ex Concilii Carthaginensis IV. Canone 80., et ex Toletani III. Canone secundo confirmatur. Haec manuum impositio precibus fiebat, iste vero celebrabatur ritus post Missam Catechumenorum, et ante oblationem Sacrificii, uti ex Concilii Laodiceni Canone 9. patet. Poenitentibusin Substratione positis variae poenitentiae, atque opera laboriosa imperabantur, et diligenter, an imperata exequerentur, Patres attendebant, ut constat ex omnibus fere Antiquitatis Ecclesiasticae monumentis, quae de publicis Poenitentibus loquuntur. Quartus Poenitentium gradus *Consistentia* dictus est, ut constat ex Sancto Gregorio Thaumaturgo, *in Epistola Canonica Canone ultimo;* et ex Sancto Basilio, in *Epistolis Canonicis ad Amphilochium*. Inde autem fluxit istud nomen, et huic stationi adscriptum est, quod qui in ea erant, simul cum Fidelibus in Ecclesia consisterent, neque cum Catechumenis expellerentur. Qui in ista statione expiabantur, licet publicis precibus, et Sacrificio interessent cum fidelibus, ius tamen oblationis non habebant, idest ipsorum munera ad Altare non offerebantur. Unde consequens erat, eos et Corpori Christi non communicare. Quapropter ista sunt aequipollentia in Canonibus, *Communicare precibus sine oblatione, et non communicare Corpori Christi*. Locus huius stationis erat ab Ambone versus Sanctuarium. Solemnes publicae poenitentiae gradus Constantinopoli sustulit Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus, cuius exemplum etiam reliquae Graecorum Ecclesiae brevi sequutae sunt.

In Occidente autem perstitit octavo exeunte, nonoque ineunte saeculo. Pro pleniori autem hucusque dictorum notitia observandum est cum Edmundo Martene *de Antiquis Ecclesiae Ritibus* tom. 2. Lib. I. cap. 6. art. 4. num. 2. quod quamvis omnes publice poenitentes per quatuor hosce gradus transire cogerentur, nonnullos tamen aliquando transgredi permittebant, uti ex plerisque Canonibus Conciliorum, ac Patrum statutis dignosci potest.

IV. Quaenam vero delicta poenitentiis publicis mulctarentur, inter Theologos paullo difficilior est quaestio. Natalis Alexander, *Dissert. sexta Saecul. 3.*; Dionysius Petavius, *in Animadversionibus ad haeresim 59. Epiphanii* tom. 2. pag. 248.; Juenin, *de Sacramentis* cap. 7. art. 1.; Carolus Witasse, *de Poenitentia*, existimant etiam peccatis occultis sex prioribus saeculis impositam fuisse poenitentiam publicam. Sirmondus contra, cui plurimi adhaeserunt, *in Historia Poenitentiae publicae* cap. 2. pag. 482. tom. 4. Opp. affirmat gravioribus tantum criminibus publicis ipsam poenitentiam fuisse impositam: quod vir clarissimus probat primum argumentis ex Augustino depromptis. Nam Sanctus Pater capite 85. *Enchiridii* docet in actione poenitentiae eum, qui crimen commisit, *a Christi Corpore separari*. At in *Epistola 54. ad Macedonium* num. 153. docet eos a societate Altaris removeri, *quorum crimina manifesta sunt*. Eligii praeterea Episcopi *Homilia XVI. Vos fratres alloquor, quos publica actio criminalis publicam cogit agere poenitentiam*. Et Concilii Cabilonensis II. Canon XXV. *Si quis publice peccat, publica mulctetur poenitentia*. Proximo capite quarto pag. 488. confirmat Sirmondus sententiam suam auctoritate canonum, qui vetant ne ob occulta delicta imponatur publica poenitentia. Omnis poenitentia propositam sibi habet veniam, publica vero poenitentia veniam simul et exemplum. Sapienter hoc enim ab Ecclesia institutum est, ut qui publice deliquit, publicam luat poenitentiam, quae non solum ipsi prosit ad salutem, sed etiam ceteris ad exemplum. Qua de re praeclare Caesarius Arelatensis

Homilia VIII. *In luctu et tristitia multo tempore permanentes, et poenitentiam etiam publice agentes, quia iustum est ut qui cum multorum destructione se perdidit, cum multorum aedificatione se redimat.* Quisquis poenitentiae animum appulisset, per manuum impositionem recipiebatur: hinc illa recepta olim loquendi formula, *dare poenitentiam per impositionem manuum.* Concilium Agathense Can. XV. *Poenitentes tempore, quo poenitentiam petunt, impositionem manuum, et cilicium super caput a Sacerdote consequantur.* Hanc porro manuum impositionem plures aliae excipiebant toto poenitentiae curriculo, praesertim ubi ad tertium gradum deventum foret. Qui liberaliores in pauperes fuissent, cum iis remissius agi oportebat. Magnum siquidem poenitentiae argumentum ipsa in pauperes liberalitas habebatur. At vero poenitentes publici non solum cordis, sed etiam corporis in omnibus contritionem prae se ferebant, adeo ut nullum macerationis genus praetermitterent ut testatur S. Ambrosius Libro secundo *de Poenitentia capite decimo: Renuntiandum saeculo est; somno minus indulgendum est quam natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspiriis, sequestrandus orationibus: vivendum ita, ut vitali huic moriamur usui.* Abstinentiam vero sic observabant, ut peracta etiam poenitentia, carnium usum non resumerent. Testis huius consuetudinis est Caesarius Arelatensis Episcopus, uti patet ex Homilia prima ex vulgatis a Baluzio. Sed subsequenti tempore hanc poenam eleemosynis largissimis redimebant poenitentes. In nonnullis Ecclesiis mortuis sepeliendis sese addicebant, et lubenter poenitentes huic labori assuescebant, quo aliquod suae charitatis animique demissionis ederent argumentum. Denique inter poenitentiales poenas adnumerandae sunt per varia Sanctorum loca peregrinationes, quas non solum post annum septingentesimum frequenter impositas esse, ut docet Morinus Libro septimo *de Poenitentia capite decimoquinto*, sed etiam sexto saeculo communes fuisse discimus ex Gregorii Turonensis temporis illius Scriptoris Libro *de Gloria Confessorum* capite 87. ubi agit de

quodam fratricida, *qui pro enormitate criminis, ferreis circulis alligatus, praeceptum habuit, ut septem annis loca Sanctorum peragrando circuiret.*

Caput IX.

De Confessione peccatorum.

1. Confessio peccatorum duplex fuit apud antiquos, publica seu solemnis, et privata quam *auricularem* appellant. Publicae non pauca nobis suppetunt ex veteribus Scriptoribus argumenta, eamque *ob vindictam suorum scelerum, et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiae aedificationem* laudabiliter fieri potuisse docet Concilium Tridentinum sess. 14. c. 3. De privatae Confessionis ritibus illud primo observandum est, quod peccator humilitatem vultu et habitu prae se ferens, accedebat ad Sacerdotem poenitentiam petiturus. Ea de causa antiquus Ordo Romanus et vulgatus Alcuinus in cap. *de Capite jejunii* praecipiunt, ut ante omnia, baculos si quos habent, deponant: idem dicendum de gladiis, ensibus et armis. Secundo prostratus ad terram poenitentiam postulabat, cuius ritus mentionem faciunt Ordo Romanus, vulgatus Alcuinus, aliique Libri Rituales non pauci. Tertio fusis a Sacerdote in poenitentem precibus nonnullis, eum coram se sedere iubebat, tum de Fidei articulis, oratione Dominica, deque variis peccatis, eorumque circumstantiis interrogabat, ut fidem faciunt varii Rituales Libri a Morino, et Martene editi. Quod autem non genuflectendo sed sedendo confessio olim fieret, probant Ordo Romanus, vulgatus Alcuinus, et alii Libri Rituales non pauci. Idem etiam a Monachis olim usurpatum fuisse demonstrat Martene *in Regulam S. Benedicti* cap. 46. Nec quemque movere debet haec praxis, nam cum olim fidelium confessiones, haud tam brevi temporis intervallo conficerentur, grave ac molestum fuisset poenitentibus, ex quibus nonnulli infirmi esse poterant et senes, per plures horas genibus flexis

manere. Quarto declarantes peccata solebant percutere pectus, factis perinde ac verbis semetipsos accusantes. Quinto locus excipiendis confessionibus, maxime mulierum, publicus erat, omnibusque conspicuus, ne forte sinistrae famae oriretur aliqua suspicio. Postremo auditis poenitentis peccatis, eique imposita satisfactione; Sacerdos varias in eum preces effundebat, donec impleta et peracta poenitentia, cum Deo et sacris mysteriis per sacramentalem absolutionem reconciliaret. Ex veteri Ecclesiae disciplina absolutio, si nulla urgeret necessitas, post expletam omnem poenitentiam concessa fuit. Nulla fere est epistolarum S. Cypriani pagina, ubi id non inculcat, quod quaecumque peccata admissa fuerint, ad Communionem nemo admittatur, nisi iusto tempore poenitentiam egerit ex Domini disciplina. Qui porro secuti sunt Patres, eamdem de poenitentium reconciliatione disciplinam ad unum omnes et servaverunt, et inculcaverunt. Idipsum docuerunt Ambrosius, in *Psalmum 118.*; Pacianus, *Epistola ad Sympronium*, *Bibliotheca Patrum* tom. IV.; Gregorius Nazianzenus, *Oratione XXXIX.*; Basilius, *Epistola* 217. can. 84.; Caesarius Arelatensis, *Homilia XXIX.*; Augustinus, *Enarratione in Psalmum VI.*; Gregorius Magnus, *Homilia XXVI. in Evangelium*; Eligius, *Homilia XI. Bibliotheca Patrum* tom. XII. Primam quidem absolutionis differendae causam eam tradunt Patres, quod vulnera animae a peccatis inflicta opportunis remediis, ut obducantur, indigeant; adeo quidem ut si praepropera medicina iis adhibeatur, gravius recrudescant. Tandem illius, de qua disputamus, disciplinae caussa non ultima illa erat, quod hoc pacto num sincera ac stabilis poenitentium esset conversio, dignosceretur. Attamen quibusdam casibus ante emensa poenitentiae spatia dabatur absolutio.

II. Etsi omni tempore, omni die, omnique hora peccatoribus licitum fuerit Sacerdotes convenire, peccatisque apud eos depositis ac confessis, poenitentiam pro commissis delictis postulare, impositam satisfactionem adimplere, eaque exacta, Deo et Ecclesiae reconciliari;

etsi etiam dies potissimum dominicos ad id muneris impendere solerent; ex antiqua tamen Ecclesiae disciplina omnes in capite Quadragesimae confiteri singulari praecepto tenebantur. Id testantur non modo omnes antiqui Libri Pontificales Ritualesque ante annos 800. aut 900. et ultra descripti, sed varii etiam Conciliorum canones. Quod postea Innocentius III. in Concilio Lateranensi sancivit, ut omnes utriusque sexus saltem semel in anno confiterentur, novum non fuit, cum ab omni prorsus antiqua Ecclesia fuerit observatum. Sed nonnulli insuper casus occurrebant, quos sine confessione et poenitentia minime praeteribant. Nam primo ea semper in Ecclesia consuetudo viguit, ut quicumque Corpori aut Sanguini Domini communicare percuperent; conscientiam ante confessione et poenitentia purgarent. Secundo si quis infirmitate aliqua correptus, aliquod vitae periculum subibat; hic obitum suum viatico, et poenitentia ac confessione praemunire solebat. Huius praxeos exempla adducunt Gregorius Magnus, *in Dialogorum Libro primo capite duodecimo*; Gregorius Turonensis, *de Vitis Patrum capite octavo*. Idipsum patet ex Concilii Parisiensis sexti capite vigesimonono. Tertio antequam iter inciperent, ad peregrinationem confessione sese praeparabant. Quod de peregrinatione dicimus, idem de aliis operibus piis asserendum, iis scilicet praemissam esse confessionem, ut purgati a peccatis et mundiores effecti, acceptam Deo redderent actionem eius intuitu aggressam. Denique cum ab eo beneficium obtinere aliquod cupiebant, ad illud confessione se praeparabant. Denique praeterire non debeo nonnullos olim, uti nunc usus apud pios plerosque viros obtinet, confessionis Sacramentum quotidie frequentasse.

Caput X.

De Ritibus ad Sacramentum Extremae Unctionis spectantibus.

I. Plures sunt appellationes (1) istius Sacramenti, 1.° enim a materia ex qua constat, appellatur a Graecis, *Oleum Sanctum* in Euchologio, *Officium olei Sancti*. Et a Latinis, *Oleum benedictionis*. A Paschasio in vita Adhelardi Abbatis Corbeïensis appellatur *sacra unctio*. A Concilio Moguntino sub Rabano Mauro cap. XXVI. *Sacrati Olei unctio* vocatur. A materia et forma simul, appellatur a Graecis εὐχέλαιον, hoc est, *Oratio cum oleo*, iuxta illud Epistolae S. Jacobi: *Orent super eum, ungentes cum oleo*. A subiecto in quo recipitur, appellatur a Latinis, *Unctio Infirmorum*, uti a Petro Damiani, *Sermone de Dedicatione Ecclesiae*, ab Ivone Carnotensi, et Gofrido Vindocinensi. Ab Ordine quem habet ad caeteras unctiones, vel etiam a tempore quo datur aliquando infirmis, appellatur *Unctio extrema*. Ab effectu vocatur, *Animae corporisque medicina*, uti a Concilio Cabilonense II. Canone XLVIII., a Petro Damiani sermone citato de Dedicatione et a Divo Thoma Lib. IV. contra gentes cap. LXXIII. Improbo nisu Joannes Dallaeus de unctione extrema hanc e Sacramentorum numero extrudere adlaboravit. At eum strenue profligavit Jacobus Sambovius *de Sacramento Extremae Unctionis*. Idem Catholicorum dogma Theologi nostri copiose adversus haereticos vindicant. Oleum ex ulivis expressum, et ab Episcopo consecratum, est huius Sacramenti materia remota: id docet Jacobus Apostolus verbis istis: *Ungentes eum oleo*. Oleo nec balsamum, nec alius liquor admiscendus est; quum nulla permixtionis mentio fiat in Patrum Scriptis, Latinorum Ritualibus, et Graecorum Euchologio. Oleum iuxta S. Bernardum *in vita Mystica* cap. 43. est symbolum nominis Jesu Christi, *quo oleo uncti infirmi sanantur*,

(1) Trombelli, *De Sacramento Extremae Unctionis*. Caput I. et seqq.

ita ut apte admodum constitutum sit pro materia illius Sacramenti, cuius efficacitas animi corporisque sanitatem producit. Proxima vero materia est ipsa unctio. Nullam certam corporis partem inungendam Jacobus expressit. Hinc varia fuit Ecclesiarum disciplina de qualitate ac numero partium liniendarum, ita ut aliquando plures, nec eaedem in omnibus Ecclesiis partes inungerentur: quod diversa evincunt Ritualia et Sacramentaria, a Launoio, *De Sacramento unctionis infirmorum* tom. 1. opp.; a Morino, *In appendice ad tractatum de poenitentia*; a Martenio, *de antiquis Ecclesiae Ritibus*, Lib. 1. part. 11. cap. 7. art. 4.; et Menardo, *in Sacramentarium Gregorianum* producta.

II. Dum peragitur unctio, nonnulla, Sacerdos qui eam ministrat, verba pronunciat, quae a Theologis forma appellantur. Haec in quibusdam Ritualibus modo absoluto, in aliis deprecativo, in nonnullis partim absoluto, partim deprecativo enunciantur; ut iam notavit antiquorum Ritualium peritissimus, et in eisdem valde versatus Edmundus Martene Lib. I. *De antiquis Ecclesiae Ritibus*, cap. VII. art. III. num. IX. et quidem quod in multis Ecclesiis absoluta, seu indicativa fuerit antiquitus forma Sacramenti Extremae unctionis, constat non modo ex variis Ritualibus ab eodem Martene allatis loco citato art. IV. verum etiam ex ea forma, quae dicitur Ambrosiana, quaeque in Ecclesia Mediolanensi saeculo IV. ut aiunt in usu erat, eratque huiusmodi: *Ungo te Oleo sanctificato in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ut more militis uncti praeparatus ad certamen, aereas possis superare potestates.* Menardus, *in Notis ad librum Sacramentorum* S. Gregorii Papae; Morinus, in opere *de Poenitentia;* Jueninus, *de Sacramentis, Dissertatione VII. Quaestione IV. Conclusione I.*; Natalis Alexander, Lib. II. *Theologiae Dogmaticae, et Moralis*, Tractatu *de Extrema Unctione, cap. I. art. III.* constanter aiunt, in multis olim Ecclesiis Latinis obtinuisse absolutam, indicativamque Extremae Unctionis formam; simulque etiam fatentur, in aliis Ecclesiis Extremam ipsam Unctionem per

indicativam et deprecativam simul formam fuisse collatam. Quod quidem probat memoratus Jueninus ex Libro Sacramentorum S. Gregorii Papae, in quo haec legitur Extremae Unctionis forma: *Inungo te de Oleo Sancto, sicut unxit Samuël David in Regem, et Prophetam. Operare, Creatura Olei in Nomine Patris Omnipotentis, ut non lateat illic spiritus immundus, neque in membris illius, neque in ulla compagine membrorum; sed in te habitet virtus Christi Altissimi, et Spiritus Sanctus.* Porro eiusmodi formae verba, *Inungo te etc.* sunt absoluta, seu indicativo modo prolata; posteriora vero, *In te habitet virtus Christi* sunt deprecativa, seu prolata in modum orationis, uti observat Jueninus. Fateri vero iam illud cogimur, multis iam ab hinc saeculis ubique in Ecclesia Latina invaluisse formam deprecativam his verbis conceptam: *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, sive per auditum deliquisti etc.* Hanc plane formulam reperiri in Codice Monastico simul, et Ecclesiastico Gemmeticensi, qui sexcentorum est annorum, et amplius, affirmat Jueninus citato loco conclusione II. Insuper iuxta Romanum antiquum Ordinem X. quem Mabillonius in admonitione ad ipsum, tomo II. sui *Musei Italici* ad saeculum undecimum revocandum ait, in eo Capite, quod inscriptum est: *Ordo compendiosus, et consequens ad ungendum infirmum*, hanc Sacerdos pronunciabat formam: *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam parcat tibi Dominus quicquid oculorum vitio deliquisti.* Sed omissis Ritualibus, deprecativam statuit formulam Eugenius Papa IV. in Istructione pro Armenis, itemque Concilium Tridentinum Sessione XIV.

III. Quum S. Apostolus Jacobus presbyteros ad ungendum infirmum inducendos esse asserat, non simplicem, unicumve Sacerdotem, antiqua apud Graecos hactenus consuetudo intemerata servatur, ut a pluribus, idest, a septem Presbyteris inungantur infirmi, ut ex variis testimoniis probat Martene Lib. I. part. II. cap. VII. art. III. num. II. Plures quoque Sacerdotes fuisse

olim in Ecclesia Latina adhibitos, ex pervetustis Ritualibus constat collectis a Menardo, in Notis *ad Sacramentarium S. Gregorii Papae*, et a Martene, Lib. I. *De antiquis Ecclesiae Ritibus*. Lib. I. art. III. Neque vero ad inungendum solum, verum etiam ad alios peragendos ritus Sacerdotes ipsi adhibebantur: praestabant enim eidem morienti infirmo varia alia pietatis opera, quae longum esset hic recensere. Esse praeterea antiquum ritum, ut aqua benedicta ad ipsum aegrotum aspergendum portaretur, docet nos Pontificale Anglicanum Monasterii Gemmeticensis, aliique permulti antiqui Codices Rituales. Consuevisse olim praemitti Extremae Unctioni infirmorum varias preces, orationesque constat ex multis antiquis Sacramentorum Libris, quos recenset Martene Lib. I. cap. III. art. IV, per totum. Psalmi poenitentiales ita dicti, quod ad poenitentiam pertinent, antiquissimi sunt in Ecclesia, atque in variis functionibus usitati. Recitari ipsos iam olim consuevisse, dum infirmi sacro oleo inungerentur, ex variis antiquis Ritualibus a Martene productis liquido constat; ex iisque docemur, praemitti illos ut plurimum consuevisse sacrae unctioni.

Caput XI.

De Personis ad sacros ordines promovendis, de aetate Ordinandorum, de interstitiis inter ordines servandis, et de tempore et loco sacrae ordinationis.

I. Non immerito sane Paulus Apostolus Timotheum discipulum et cum eo universos Episcopos admonuit, ne cuiquam manus festinas imponeret. Tanta quippe est Sacerdotii novae Legis dignitas, tanta victimae quae offertur excellentia, ut ministros summis virtutibus conspicuos, ac praecipuis tum corporis tum animi dotibus ornatos requirat. Hinc summa illa atque ab Apostolis tradita Ecclesiae diligentia in investigandis Ordinandorum moribus, ne quos forte indignos admitteret, quae ipsos

etiam infideles in admirationem raperet. Et primo quidem ab ecclesiasticis gradibus arcendos esse gravi aliquo facinore infectos, primus monuit Apostolus, scribens Timotheo, Episcopum oportere *irreprehensibilem*; et Tito *sine crimine esse*, Diaconos similiter *nullum crimen* habere debere. Cuius sententiam confirmavere, qui sub nomine Apostolorum circumferuntur, canones antiqui. Eamdem regulam sequendam passim proponit S. Gregorius Magnus, ut videre est in Libro quinto Epistolarum. Secundo Gelasius et Gregorius ac cum eis Concilium Toletanum IV. atque Egbertus declarant, eos qui publicam egerunt poenitentiam, ad ecclesiasticos gradus adspirare non posse. Hanc ab ecclesiastica traditione regulam haud dubium acceperant. Secundo si graviorum criminum rei et poenitentes ab Ordinibus sacris removebantur, multo magis haeretici aut schismatici, cum vix ullum sit haeresi et schismate maius aliquod peccatum. Tertio haereticis adiungendi sunt Neophyti, hoc est recens baptizati, maxime adulti, quorum adhuc infirmior fides antiquis visa est. Hinc Concilium Laodicenum canone tertio declarat: *Non oportere eos qui recens sunt illuminati baptismate, in ordinem sacerdotalem promoveri*. Quarto eadem lex constringebat clinicos, qui nimirum infirmitate correpti, de vita periclitantes, in lecto sacris fuerant undis intincti. Et sane id vetat in primis Concilium Neocaesariense canone duodecimo: *Si quis in aegritudine fuerit baptizatus, ad honorem presbyteri non potest promoveri.* Istud decretum saeculo IX. renovavit Concilium Parisiense VI. anno 829. celebratum canone octavo. Quinto *Cum ignorantia sit mater cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt*, ut ait Concilium Toletanum IV. canone decimoquinto. Unde merito Hilarus Papa *Epistola secunda* prohibet, *ne litterarum ignarus ad sacros promoveatur ordines*. Sexto non illiteratos modo, sed aliqua sui corporis parte truncatos, ordinibus sacris admoveri improbat Gelasius Papa *Epistola nona*. Sed de his consule Canonistas.

II. Non una quidem fuit de aetate Ordinandorum veteris Ecclesiae disciplina, nam canones antiqui etsi non multum ab invicem discrepent, tamen non omnes omnino consentiunt: In hoc autem conveniunt, ut minores Ordines a teneris recipi permittant, maiores vero nunquam ante annum aetatis vigesimum quintum. Olim quidem Minores Ordines infantibus ipsis conferri potuisse, testes sunt duo Pontifices Maximi, Siricius et Zosimus. Sed obtinuisse eum morem, ut ab infantia a parentibus filii offerrentur Ecclesiae in partem Cleri assumendi, primis non solum Ecclesiae saeculis, sed et subsequentibus Historiae nos docent. Constat insuper viguisse per plura saecula (ut fusiori calamo probat Cl. Blanchinius in Notis ad Anastasium Bibliothecarium tom. IV. sect. CXXXIV.) in Ecclesia ritum, oblatos a parentibus infantes in Clerum accipiendi, et ad Tonsuram, et Lectoratum admittendi: eaque de causa, ut inquit Cardinalis Bona Lib. I. *Rerum Liturgicarum* cap. XXV. num. XVIII. *oriebatur ut rerum Ecclesiasticarum peritissimi essent, in quibus fuerant ab ipsa infantia enutriti.* An vero semel Ecclesiae ab infantia oblati possent ad laicalem vitam redire, vel in Clericali statu permanere cogerentur, super hoc, praxis Ecclesiae pro diversis temporibus diversa fuit, uti animadvertit laudatus Blanchinius Anastasii Bibliothecarii illustrator. Fuse ac erudite ostendit Thomassinus Parte prima *Disciplina Ecclesiasticae* Lib. II. cap. LXVII. et seqq. varium fuisse usum circa aetatem singulis Ordinibus quos sacros vocant suscipiendis iam olim praescriptam. Concilium Toletanum II. anni DXXXI Canone primo vigesimum annum Ordinandis Subdiaconis assignat. Idipsum statuit Concilium Trullanum can. XV. Synodus Melphensis sub Urbano II. Pontifice Maximo Canone quarto conferri permittit Subdiaconatum anno decimoquarto vel decimoquinto. Testatur sua adhuc aetate Hugo Victorinus Lib. II. *de Sacramentis*, Parte III cap. XXI. non consuevisse dari Subdiaconatum ante aetatis decimumquartum. Concilium Ravennatense III. sub Clemente V. Capite duodecimo annos sexdecim requisivit.

Sacrosancta Tridentina Synodus, Sessione XXIII. *De Reformatione*, Subdiaconis defixit annum vigesimumprimum completum. De aetate ad Diaconatum, Presbyteratumque suscipiendum requisita, recte ait Edmundus Martenius *de antiquis Ecclesiae Ritibus* Lib. I. cap. VIII. art. III. num. IV. non fuisse apud veteres tantam diversitatem; nam omnes pene antiqui Canones annos vigintiquinque in Diacono, et triginta in Presbytero requirunt. Ita Concilium Neocaesariense Canone XI. *Presbyter* inquit, *ante trigesimum aetatis suae annum nullatenus ordinetur, licet valde sit dignus, sed hoc tempus observet*. De Diaconorum aetate ita inquit Concilium Carthaginense III. Canone quarto: *Item placuit, ut ante vigintiquinque annos aetatis nec Diaconi ordinentur*. Canoni huic Carthaginensi quammaxime adstipulatur Concilium Toletanum IV.

III. Venio ad Interstitia, quae inter Ordines servari decernunt antiqui. Ea distincte enunciant Siricius et Zosimus Summi Pontifices. Primus *Epistola prima ad Himerium Tarraconensem*, Zosimus vero *Epistola ad Hesychium Salonitanum Episcopum* capite tertio. Praeterea cum singulorum Ordinum variae diversaeque sint functiones, recte caverunt Patres, ne uno eodemque tempore plures Ordines traderentur, sed prout his, illisve magis convenire iudicabant, eos providissime conferebant. Vide Morinum *de Sacris Ordinationibus* Parte III. Exercitatione XI. cap. II. et seqq. ubi diserte ostendit, neminem olim Ordine aliquo minore insignitum, ad ulteriorem etiam minorem Ordinem ascendisse, nisi interstitiis servatis, in illius Ordinis exercitio laudabiliter versatus esset, et quoddam quasi tyrocinium percurrisset, quo se ad maiores functiones obeundas idoneum probasset. Circa tempus varia fuit Ecclesiarum disciplina. Hodie etiam Ecclesiae mentem esse, ut Ordines Minores per intervalla temporum conferantur, utque in illorum exercitiis Clerici probentur, priusquam ad ulteriores provehantur Ordines, diserte docet Concilium Tridentinum.

IV. Prioribus tribus saeculis Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aliique Clerici, quovis mense, die, atque hora or-

dinabantur, ut Ecclesiarum necessitas postulabat, et opportunitas patiebatur: quod pluribus adstruit Antonius Pagius *Critica* ad Baronium ad annum 67. n. 18. Gelasium omnium primum Sacris Ordinibus conferendis praestituisse solemnium quatuor jejuniorum tempora opinantur Sandinus in vitis Pontificum Romanorum et alii non pauci. Quinque igitur tempora Ordinibus conferendis adsignata, nempe jejunium mensis quarti, hoc est Junii, septimi, hoc Septembris, decimi, idest, Decembris, initium Quadragesimae, idest hebdomadae Quadragesimae, et diem medianae Quadragesimae, idest, Sabbatum *Sitientes*. Primus omnium, quod sciam, Gelasius memorat hebdomadam medianam Quadragesimae. Eiusdem deinde meminerunt alii. Pelagius I. *Epistola ad Laurentium Centumcellensem*, apud Holstenium *in Collec. Roman.* pag. 241. *Eumdem hortatur, ut veniente mediana septimana Paschae ordines celebret*. Ordinationum Sabbato *hebdomadae medianae* habitarum meminere Urbanus II., in Concilio Claramontano Can. 24.; Ivo Carnotensis, *Epistola 63.*; *Auctor gestorum Innocentii III.* pag. 102. aliique. Quamvis autem Gelasii placitum solos Presbyteros, Diaconosque respiciat, successu tamen temporis etiam Subdiaconi non potuerunt extra assignata Sabbata ordinari, uti constat ex antiquis Sacramentorum Libris; Conciliorum Canonibus, ac Pontificum Maximorum Rescriptis. Sacras autem Ordinationes praecedere jejunium debet ex consuetudine, quae ex Apostolica doctrina venit, inquit Sanctus Leo *Epistola ad Dioscorum*. Apostoli enim Paulo et Barnabae *jejunantes et orantes manus imposuerunt*. Tandem Saeculo XII. Sabbatum Sanctum recensitis quinque Ordinationum temporibus accessit. Etenim Summi Pontifices Gelasius, Gregorius II., Zacharias, Urbanus II., itemque Ivo Carnotensis, aliique stata Ordinationum tempora recensentes, de Ordinationibus sabbato Paschae celebrantis silent. Nec olim Sabbato Sancto celebrari Ordinationes poterant, propter solemnitatem Baptismi, cui conferendo hoc tempus consecratum erat. Patet insuper, non solum Sabbato Sancto Paschae, verum quolibet Sab-

bato, Ordinationibus celebrandis consecrato, moris fuisse, ut ipsae ad vesperam inchoarentur, et ad initium usque Dominicae protraherentur. Unde nocturnas praesertim horas in Ordinationis celebratione impensas fuisse, evidenter infertur. Inde sensim ventum est, ut Sabbato summo mane Ordinationes celebrarentur, ne jejunii continuatio Ordinantes et Ordinatos defatigaret. Nec sine mysterio nocturnae horae celebrandis Ordinationibus olim erant praestitutae; ut meminerint se lucernas esse, et nocte super candelabrum Ecclesiae collocari. Moneo heic, dicta hactenus de Ordinationum temporibus intelligenda esse de Latina Ecclesia. Etenim Graeci ex veteri consuetudine quovis anni mense, ac hebdomadis die etiam maiores Clericos ordinant, cuius moris praeter Glossam in Capite *Cum secundum*, testes sunt Hostiensis et alii passim. Variae autem a variis rationes assignantur, cur quatuor jejuniorum Temporibus Ordinationum solemnis celebratio addicta sit. Nonnullas eius rei mysticas rationes more suo concinnavit Amalarius Fortunatus Lib. II. *De Ecclesiasticis Officiis, Capite primo*, et Guilelmus Durandus *in Rationali Divinorum Officiorum*, Lib. II. cap. I.

V. Locus Ordinationum tribus persecutionum saeculis non solum Ecclesia, sed et quamvis privata domus fuit, teste Cypriano *Epistola 45*. Parta Religioni pace, Sacri Ordines tantum in Ecclesia conferri coeperunt. Id quod etiam a compluribus Synodis, et Sanctis Patribus inculcatur. Nonnunquam solitarios in privatis cellulis ordinatos, tradit Theodoretus *in Philotheo capite tertio*. Nec solum in Ecclesia, sed publice et inter Missarum solemnia, adeoque ad Altare, sacrae Ordinationes celebratae sunt: quem morem in utraque Ecclesia vetustissimum esse, liquet ex Cypriano *Epistola 252. ad Antonianum*; et ex aliis Patribus. Nec desunt rationes, quibus consentaneum id esse persuadeamus. Primo enim in antiqua Lege, nonnisi cum Sacrificiis Levitae aut Sacerdotes creabantur: decet ergo maxime, ut Evangelicae Legis Sacerdotum ac Ministrorum Ordinario Sacrificii solemnitati intersera-

tur, quo celebrior evadat, et fructuosior. Insuper omnes Ordines ad Sacrificium Missae tanquam ad finem suum et scopum referuntur, quod omnium consummatio ac perfectio est.

Caput XII.

De ritibus in collatione sacrorum Ordinum observatis.

I. Inter sacros ritus in susceptione Ordinum ab Ecclesia praescriptos, et usitatos, pervetustus ille censeri debet, quo ii qui mox essent ordinandi, coràm Episcopo genuflecterent, ab eoque sanctissimis precationibus sacrarentur. Ita vero necessariam Ordinandis duxerunt genuflexionem antiqui Patres, ut etiam Dominicis diebus, ac toto Paschali tempore, quo in genua procumbere nefas erat, prohibitumque ex canone XX. Nicaeno, suscepturos Ordines voluerint nonnisi genuflexione initiari. Est certe insuper et priscus ritus, ut nonnisi orationibus, multisque ad Deum fusis precibus Ordinatio celebretur, exemplo Apostolorum, qui passim *Orantes* memorantur, tum in Ordinatione Mathiae, tum septem Diaconorum, tum denique Pauli, et Barnabae, uti in Actibus Apostolicis videre est, cap. I. VI. et XIII. Oratio pro collatione Tonsurae quae incipit: *Oramus, fratres carissimi, Dominum nostrum Jesum Christum pro his famulis suis etc.* exceptis primis versiculis, extat tum in antiquo Romano Ordine apud Hittorpium, Titulo qui inscribitur: *Oratio ad capillaturam incidendam*, ubi fusior legitur conferendae Tonsurae ritus; tum etiam in pervetusto S. Gregorii Sacramentario, ubi agit de Orationibus ad Clericum faciendum. Quantum vero ad ritum attinet detonsionis capillorum quae Clericatum suscepturis rite ab Episcopo fieri solet, mos est haud dubie pervetustus Ecclesiae Romanae, ut Clericalis dignitas per comae Tonsuram tribuatur. Tonsuram autem ab omni minori Ordine omnino distingui, aperte docet Ordo antiquus Romanus, atque antiquissima sexcenta Latinarum Ecclesia-

rum Pontificalia. Cur Clericorum, dum ordinantur, capilli tondeantur docet Isidorus Hispalensis Lib. 2. *De Divinis Officiis capite quarto. Est autem Clericis Tonsurae signum, quod in corpore figuratur, sed in animo agitur, scilicet ut hoc signo in Religione vitia resecentur, et criminibus carnis nostrae, quasi crinibus exuamur, atque inde innovatis sensibus, expoliantes nos iuxta Apostolum veterem hominem cum actibus suis induentes novum, qui renovatur in agnitione Dei: quam renovationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, ubi ipsa mens noscitur habitare.* Sed egregie auctor Libri *de Contemptu mundi* num. 8. apud Augustinum, causam istam explicat: *In ea parte pilos capitis incidimus, in quo novam sapientiam, idest, Christum, inesse cognoscimus; per hoc signantes, malam terrenarum rerum sollicitudinem nostrae mentis oculos ad Deum contemplandum impedire.* Huc etiam spectat antiquorum mos in adoptionibus, per capillorum tonsionem perfici solitis: id enim effectum Tonsurae Clericalis egregie repraesentat, ut per eam in familiam Dei transferamur, ad eius haereditatem vocemur, et tanquam speciales filii adoptemur.

II. Dum Clericus attondetur, haec verba pronunciat: *Dominus pars haereditatis meae et Calicis mei, tu es qui restitues haereditatem meam mihi.* Docet eruditissimus Estius in Libri quarti Distinctionem XXIV. §. VI. omnibus quidem Christianis commune esse oportere, Dominum partem habere, sed excellentiori modo debere id iis competere, qui sacris Officiis, et ministeriis consecrati sunt, non quo facultates suas relinquere cogantur, sed quemadmodum ex Divinis Litteris, sacris Canonibus constitutum est, ut penitus se abstineant a negotiis saecularibus, et moderatis opibus contenti, nihil amplius requirant iuxta illud Apostoli in Epistola II. ad Timotheum capite secundo: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis saecularibus.* Genuinus insuper in Tonsurae susceptione ejus formulae sensus est, ut Clericus his verbis Deum unicum suorum votorum scopum proponat, omnesque suas cogitationes, caeteris postpositis, in uni-

cum Deum relaturum sibi persuadeat. Haec est mens Isidori Hispalensis Lib. 2. *de Officiis Ecclesiasticis* capite primo, *qui Clericos vocari refert*, eo quod, *in sortem haereditatis Domini dentur, vel pro eo quod ipse Dominus sors illorum est, sicut de eis scriptum est, loquente Domino: Ego haereditas eorum. Unde oportet*, inquit, *ut qui Deum haereditate possident, absque ullo impedimento saeculi, Deo servire studeant, et pauperes spiritu esse contendant, ut congrue illud Psalmistae dicere possint: Dominus pars haereditatis meae.* Mox sequitur ritus, quo Episcopus ex praescripto Romani Pontificalis, accipiens in manu Superpelliceum, imponensque iis, qui paulo ante attonsi sunt, ita singulis dicit: *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia, et sanctitate veritatis.* Est quidem verborum formula desumpta ex S. Pauli Epistola ad Ephesios cap. IV. versiculo XXIV.; cuius tamen nec Sacramentarium Gregorianum, nec Ordo Romanus, nec antiqui Libri Rituales ullatenus meminere. Eo propterea habitu hodie ab Episcopo candidati Clericatus induuntur, qui significet ipsos saecularis habitus servitute deposita, et sacrae Religionis habitu assumpto, novos homines esse oportere. Vitae enim novitatem, munditiae candorem, et perseverantiae finem superpelliceum designat, ut verbis utar Stephani Tornacensis in *Epist. CXXXIII.* Huc spectat, quod scribit Honorius Augustodunensis Lib. I. *De antiquo ritu Missarum* cap. CCXXXIII. albis vestibus, seu superpelliceis vitae munditiem indicari: *Quia iustum est, ut Clerici in sanctitate, et iustitia Deo serviant.*

III. Ostiariorum ordinationis ritus ita describit Concilium Carthaginense quartum canone nono: *Ostiarius cum ordinatur, postquam ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversari; ad suggestionem Archidiaconi, tradat ei Episcopus claves Ecclesiae de Altario dicens: Sic age quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quae his clavibus recluduntur.* Alios Libros Pontificales idipsum testantes memorare supervacaneum est. Postquam Episcopus claves tradidit Ostiariis, Archidia-

conus, sive alius Archidiaconi vice fungens, ducit eosdem ad ostium Ecclesiae, ipsumque ostium eos claudere, et aperire jubet. Qui ritus etsi desideretur in laudato Concilio Carthaginensi IV. Canone IX. habetur tamen in Sacramentario Sancti Gregorii. Codex Ratoldi apud Menardum, et Pontificale Corbeiense apud Morinum, ac Suessionense Monasterii Compendiensis apud Martenium, praescribunt, ut Archidiaconus ostium Ecclesiae tradendo, dicat: *Per hoc ostium traditur vobis ministerium, ut sitis ianitores Templi Dei, habeatisque potestatem recipiendi bonos, et reiiciendi indignos.* Traditio funis et pulsatio campanarum cuius meminere Pontificale Cameracense, Arelatense, Moguntinum duplex, Romanum manuscriptum, Antissiodorense, recentioris est instituti annos vix 500. superans. In ordinatione Lectorum consentiunt omnes antiqui Libri Pontificales cum Concilio Carthaginensi IV. cuius canon octavus sic habet: *Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum Episcopus ad plebem, indicans eius fidem ac vitam, atque ingenium. Post haec spectante plebe, tradat ei codicem, de quo lecturus est, dicens ad eum: Accipe, et esto Lector verbi Dei, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris Officium, partem cum eis, qui verbum Dei ministraverunt.* Quibus verbis semel prolatis, si plures ordinarentur, omnibus successive Codex tangendus praebebatur, aut saltem videndus ostendebatur, ut habet Pontificale Andegavense. De Exorcistis autem ita statuit Concilium Carthaginense IV. canone septimo: *Exorcista cum ordinatur accipit, de manu Episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipe, et commenda memoriae, et habe potestatem imponendi manus super energumenum sive catechumenum.* Ad verbum describit Sacramentarium S. Gregorii, ac plerique libri Pontificales a P. Morino editi: quamvis Ordo Romanus, ac non pauci alii Rituales Libri eamdem formam habeant numero plurali conceptam: *Accipite, commendate memoriae, et habetote potestatem imponendi manus super Energumenos, sive Baptizatos, sive Catechumenos.* Scite admodum scribit Martenius Lib. I. *de antiquis Ecclesiae Ritibus*

cap. VIII. art. VIII. num. XIV. Acolythorum Ordinem aliis longe illustriorem, nobilioremque extitisse in Ecclesia praesertim Occidentali, utpote quorum ministerium circa incruentum Missae Sacrificium pene totum versatur: cum ipsorum Officium sit; *Luminaria Ecclesiae accendere*; *itemque vinum, et aquam ad Eucharistiam ministrare*. Quapropter in sua ordinatione in Concilio IV. Carthaginensi canone sexto statutum fuit, ut *Acolythus cum ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat*; *sed ab Archidiacono accipiat Ceroferarium cum cereo, ut sciat, se ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari: accipiat et urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Eucharistiam Sanguinis Christi*. Quo in canone illud notatu dignum est, nulla ab Episcopo proferri verba, cum haec instrumenta candidatis Acolythatus porrigebantur, sed sui dumtaxat eos officii ab ipso Episcopo fuisse admonitos. Porro quamvis omnes antiqui Rituales Libri, ut testatur Morinus *de Sacris Ordinationibus* Part. III. *Exercitatione XII*. num. VIII. velint utramque materiam ab Archidiacono tradi, ordo tamen vetus Romanus apud Hittorpium diserte praescribit, Archidiaconum quidem materiam illam porrigere, sed Episcopum formam pronuntiare. Quod Synodus Carthaginensis, Sacramentarium S. Gregorii, Ordo Romanus, priscique alii Rituales Libri *Ceroferarium* vocant, *Ceroferale* dicitur a Gregorio Turonensi in Libro *de Gloria Confessorum*, capite LXXIX.

IV. Sacri, et maiores ex communi Theologorum sententia, ideo tres postremi Ordines Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus appellantur, quod proprius ad Altaris ministerium accedant, idest circa sacrum Domini Corpus in Eucharistia occupentur, atque aliquid agant, vel consecrando, vel dispensando, vel materiam subministrando. Quamquam enim omnes Ecclesiastici Ordines revera sacri sint; tres tamen isti peculiariter ob eam causam, et quasi per excellentiam sacri dicuntur. Antiquitus quidem Diaconatus, ac Presbyteratus tantum eo nomine censebantur, quibus postmodum circa finem sae-

culi XII. Subdiaconatus etiam est additus. Antiquam Ecclesiae legem esse, *ut nemo absolute ordinetur*, idest nisi certae alicui Ecclesiae adscribatur, in qua sacra ministeria obeat, et ex cuius reditibus, vel obventionibus alatur, ostendit eruditissimus Catalano tomo primo Conciliorum in Commentario Canonis VI. Chalcedonensis; cuius verba haec sunt: *Nullum absolute ordinari Presbyterum, aut Diaconum, nec quemlibet in gradu Ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesia Civitatis, aut Pagi, aut Martyrio, aut Monasterio, qui ordinandus est, pronuntietur. Qui vero absolute ordinetur, decrevit Sancta Synodus irritam haberi huiusmodi manus impositionem, et nunquam posse ministrare ad ordinandis iniuriam.* Eadem legere est in sequioris aevi Conciliis. Scite observat eruditissimus Auctor Hugo Menardus in Notis, et observationibus ad Librum Sacramentarium S. Gregorii Papae, orationes in Ordinatione Subdiaconi extare non modo in ipso S. Gregorii Libro, sed in plerisque aliis Ritualibus, ac praesertim in Ordine Romano, et in Codice Ratoldi. Quamvis Amictus vetus sit in Ecclesia vestimentum, quod primum capiti, ac deinde humeris iniicitur, nullam tamen prisci Libri Pontificales, et alii Scriptores habent mentionem impositionis Amictus Subdiaconorum capiti ab Episcopo faciendae. Quamobrem putat Cl. Catalano eum ritum esse in Ecclesia recentem. Traditio manipuli in Ordinatione Subdiaconi, in plerisque antiquioribus Pontificalibus Libris manuscriptis desideratur. Antiquus Ordo Romanus quem saeculo octavo conditum plerique affirmant, de hac re sic loquitur: *Ut Episcopus det eis mappulas, dicendo: In vestitione harum mappularum subnixe te, Domine, precamur, ut hi famuli tui sic operentur in temporali conversatione, quatenus exemplo piorum Patrum in futuro mereantur perenniter gaudere. Per Dominum.* Mappula dicebatur passim olim manipulus, ut alibi diximus. Meminit quidem manipuli traditionis in ordinatione Subdiaconorum Pontificale manuscriptum insignis Ecclesiae Moguntinae annorum circiter CCCC. Quoad Librum Epistolarum nullam mentionem faciunt, non solum Libri Pontificales

ante annos 500. scripti, sed etiam posteriores. Tam altum silentium est argumentum evidens, Subdiaconos antiquitus Epistolam in Synaxi, sive publico Ecclesiae coetu ex officio non legisse. Id diserte testatus est ante annos octigentos Amalarius Libro primo *de Officiis*, capite undecimo.

V. Impositio manus Episcopi super caput Diaconi, tam in Sacramentario Sancti Gregorii, quam in Ordine antiquo Romano, et in pluribus Pontificalibus etiam post annum Christi millesimum, facienda certe praescribitur initio ordinationis ipsorum Diaconorum. *Diaconus*, inquit S. Gregorius, *cum ordinatur, solus Episcopus, qui cum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur*. Idem habet Ordo Romanus, qui tamen numero plurali loquitur. Manus impositio tactu corporali ex ritu ab Apostolis introducto fieri ab Episcopo debet, *cum oratio super caput effunditur ordinandi Presbyteri, seu Diaconi*; ut docet nos inter alios priscos Pontifices, Gregorius IX. in capite *Presbyter*, *extra de Sacramentis non iterandis*. Simeon Thessalonicensis in Libro *de Sacris Ordinationibus* capite quarto memoratum ritum enarrat in hunc modum: *Diaconus suscipit supra caput Episcopalem dexteram, quae demonstrat gratiae adumbrationem, et illius a Christo participationem, quandoquidem et ipse Apostolis manus imposuerit*. Inter Latinos Scriptores ea de re ita disserit Angelicus Doctor III. Parte, Quaestione LXXXIV. art. IV. *Impositio manuum in Sacramentis Ecclesiae fit ad significandum aliquem copiosum gratiae effectum, quo illi, quibus manus imponuntur, quodammodo per quandam similitudinem constituantur ministri, in quibus copia gratiae esse debet. Et ideo manus impositio fit in Sacramento Ordinis, in quo confertur quaedam excellentia potestatis in Divinis Mysteriis*. Dari alicui potestatem per manus impositionem, compertum habemus ex Libro Numerorum capite XXVII. ubi Deus Moysi ita praecepit: *Tolle Josue filium Nun virum in quo est Spiritus, et pone manum tuam super eum, et dabis ei praecepta cunctis videntibus, et partem gloriae*

tuae (potestatis nimirum qua pollebat Moyses in populum), *ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Israel.* Post recitatas Orationes praescriptas ad consummandum Diaconatus officium, dari unicuique stolam, vel primis saeculis consuevisse, compertum habemus ex Sacramentario Sancti Gregorii, in quo quidem sub hac verborum formula traditur: *Per hoc signum vobis Diaconatus Officium humiliter imponimus, ut firmamentum mensae divinae tanquam sustentacula columnarum esse possitis, et praecones Regis caelestis irreprehensibiles existere mereamini.* Acceptam in sua ordinatione stolam per annum integrum diu noctuque a Diaconis gestabatur. Constat insuper ex antiquo Romano Ordine apud Hittorpium ultimum ritum Ordinationis Diaconorum esse Dalmaticae traditionem; sic enim inquit: *Cum vero consecrati fuerint, induantur Dalmatica.* Idipsum quoque habet Pontificale manuscriptum S. Cornelii Compendiensis ad usum Ecclesiae Suessionensis et Pontificale Moguntinum. Ritus tradendi Libri Evangeliorum praescribitur ab Ordine Romano, ut Diaconis *Det Evangelium*, dicens: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.* Haec Libri Evangeliorum porrectio non fuit in usu apud Ecclesias universas, cum eius ritus, memoria apud Sanctum Isidorum, Amalarium, Alcuinum, et Rabanum non inveniatur. Varia olim fuit formula qua Episcopus utebatur, cum Evangelii librum Diacono traderet. Pontificale Anglicanum Monasterii Gemmeticensis hanc exhibet: *Accipe istud volumen Evangelii. Lege, et intellige, et aliis trade, et tu opere adimple.*

VI. Ordinationem Presbyterorum ab impositione manuum incipiunt omnes antiqui Libri Pontificales, cuius ritum ita describit Concilium Carthaginense IV. canone tertio: *Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, et manum super caput eius tenente, etiam omnes Presbyteri, qui praesentes sunt, manus suas iuxta manum Episcopi super caput illius teneant.* Eadem habet Sacramentarium S. Gregorii, Ordo Gelasianus, vetus Ordo Romanus,

Egberti Eboracensis Episcopi Pontificale, prisci omnes recentesque Libri Pontificales. Ad hanc manus impositionem, quam cum Presbyteris adstantibus super Ordinandorum caput facit Episcopus, forte spectant illa Apostoli verba in Epistola prima ad Timotheum, capite quarto: *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Cur Diacono solus Episcopus manum imponat, Presbytero autem Episcopus una cum aliis Presbyteris, rationem indicat memoratum Concilium Carthaginense, canone quarto; quia nimirum Diaconus non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur, Presbyter autem ad Sacerdotium; et proinde a compresbyteris velut in consortium paris dignitatis assumitur. Sane adnotandum hic illud puto, solam manus impositionem ab Episcopo factam, essentialem esse, cum ipse solus sit Ordinationis minister: adstantes autem alii Sacerdotes ideo simul manus imponunt, non ut Ordinem conferant, inquit Sanctus Bonaventura, sed ut eo ritu gratia communionis significetur, quae in Ordine Sacerdotali confertur, et per Sacerdotem administrari debet. Haec ergo manus impositio, quam alii Presbyteri faciunt, solemnitatis, non necessitatis est. Ut autem pateat, eam impositionem manuum non esse sacramentalem, praecipuum argumentum est, quod Presbyteri manus imponentes, nulla verba proferunt: hoc enim ostendit, ipsos, cum formam non exhibeant Ordinationis, nec materiam exhibere. Huic Latinorum ritui respondet apud Graecos salutatio, quam Presbyteri Presbyteris, Diaconi Diaconis, de novo consecratis exhibent.

VII. Ritus apponendae stolae Presbyteris in eorum Ordinatione, habetur in antiquo Romano Ordine cum eadem verborum formula nostri Romani Pontificalis; item in vetustissimis Pontificalibus Egberti Eboracensis Archiepiscopi, et Anglicano Monasterii Gemmeticensis: in quibus, dum Episcopus dat stolam Presbytero, ita inquit: *Stola iustitiae circumdet Dominus cervicem tuam, et ab omni corruptione peccati purificet Dominus mentem tuam.*

Statim stola collo Presbyteri in modum Crucis apposita, consequenter casula tamquam vestis Sacerdotalis ipsi dabatur; eiusque ritus perspicue meminit Ordo Romanus, sic inquiens: *Hic vestiat eum casula, dicens: Stola innocentiae induat te Dominus.* Meminit et casulae traditionis in suo Sacramentario S. Gregorius. Supervacaneum est de eo ritu alios Pontificales Libros referre, cum in Concilio Toletano IV. quod habitum est anno DCXXXVI. Canone XXVII. diserta mentio fit de orario, seu Stola, ac planeta in Ordinatione Presbyteri adhibita. Post casulae traditionem Presbyteris benedictio ab Episcopo dabatur. Hymnus *Veni Creator Spiritus*, non videtur antiquitus in Ordinatione Presbyteri usurpatus, cum, nullam illius ritus mentionem faciant Pontificales Libri ante annum millesimum exarati. Verum in Pontificali insignis Ecclesiae Noviocomensis, quod ante annos quadringentos scriptum putatur, ubi de manuum Sacerdotis consecratione agitur, ipsum hymnum *Veni Creator Spiritus etc.* praemitti legimus, quemadmodum et in Pontificali Ecclesiae Moguntinae.

VIII. Quam sit antiquus in Ecclesia tam Latina, quam Graeca ritus ungendi sacro oleo manus Presbyteri, luculentissimum testimonium habemus in Sacramentario S. Gregorii, ubi etiam haec verborum formula exhibetur: *Consecrentur manus istae, quaesumus Domine, et sanctificentur per istam unctionem, et nostram benedictionem, ut quaecumque benedixerint, benedicta sint, et quaecumque sanctificaverint, sanctificentur.* Sancto Gregorio concinit vetus Ordo Romanus, ex quo desumpta est Rubrica, et verborum formula nostri Romani Pontificalis. Multae vero rationes sunt, propter quas Ecclesia hanc unctionem adhibuit. Primo quidem, ut veteris Testamenti Sacerdotum unctionem imitaretur, nostrosque Sacerdotes non esse illis inferiores, sed longe excellentiores, ut demonstrat S. Leo in Sermone VIII. *de Passione Domini*, ubi ita inquit: *Nunc etenim et ordo clarior Levitarum, et dignitas amplior seniorum, et sacratior est unctio Sacerdotum.* Secundo, ut misericordiam, et pietatem, quam er-

ga alios Presbyteri adhibere debent exprimat; et ut non solum activae vitae incumbant, sed etiam bonis manum operibus populis praefulgeant; uti fuse explicat S. Gregorius Magnus in I. Regum cap. IV. *Habeat Sacerdos in unctione sua oleum, habeat misericordiam abundantem, quae sibi virtutibus aliis praeferatur. Habeat oleum, ut dum ardorem Sancti Spiritus in se nutrit. lucere vehementer aliis per verbum possit. Habeat nihilominus oleum medicinae, sapienter disponet, qualiter peccatorum foetores tergat, et aegras mentes saluti restituat.* Tertio ex eodem Gregorio, ut soli Christo deserviendi causa Sacerdotes principes se constitutos esse sciant, ideoque se Christo similes factos esse, Christo confirmatos, et Christi loco constitutos intelligant. Quarto, ut docet Amalarius Fortunatus Lib. II. *de Ecclesiasticis Officiis* cap. XIII. *Ut Sacerdotum manus mundae sint ad offerendam hostiam Deo, et largae ad caetera officia pietatis.* Post sacram Presbyterorum unctionem tradit Episcopus Ordinatis Calicem cum vino, et patenam cum oblata dicens: *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Domini. Amen.* Exhibet hanc formulam vetus Ordo Romanus. Documentum hoc esse potestatis acceptae et pignus exercendae, docet Hugo a S. Victore Libro II. *de Sacramentis*, Parte III. cap. XII. *Accipiunt*, inquit, *et Calicem cum vino, et patenam cum hostiis de manu Episcopi; quatenus his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant placabiles Deo hostias offerendi.* Eodem modo loquitur Magister sententiarum Lib. IV. Distinct. XXIV.

IX. Presbyteri, et Episcopi recens ordinati simul cum Episcopo ordinante Missam celebrant, et consecrant, et de sacrificatis participant: eo tamen discrimine, ut Presbyteri Sacrificio adstent genuflexi, et ab Altari dissiti. Episcopus autem, consecratione sua peracta, Altari coniunctus adstat non secus ac consecrans, unicam Hostiam ambo consecrant, et de ea participant. Stantes insuper, non ut fit hodie genuflexos, communicasse Ordinatos, probant Isacius Habertus in *Notis ad Pontificale Graeco-*

rum pag. 220,; Henricus Valesius, *in Notis ad Eusebium* Lib. VII. cap. IX.; et Joannes Thiersius, gallica Dissertatione de *Altaribus*. Ex praesenti demum Rubrica cautum est, ut Ordinati priusquam Communionem sumant, manum Episcopi Hostiam tenentem osculentur. Cuius ritus diserte meminit manuscriptum Pontificale Romanum Bibliothecae Colbertinae. Sciendum insuper ex Gulielmo Durando Lib. II. *Rationalis*, capite X. quod Ordinator Episcopus Ordinatum quidem in Sacerdotem communicans, osculabatur, Diaconus vero, vel Subdiaconus communicantes manum Episcopi ordinatoris osculabantur. Vetus et illa fuit haud dubie in Ecclesia consuetudo, ut dum Sacerdos Eucharistiam praeberet, minister dextera manu tenens vas cum vino, vel aqua, sinistra vero mappulam, aliquanto post Sacerdotem pergens, purificationem et mappulam, ad os abstergendum, communicantibus exhiberet. Episcopus praeterea lotis manibus, stans in cornu Epistolae inchoat in cantu: *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos etc.* Desumpta sunt haec Episcopi verba ex sermone quem Unigenitus Dei ex hoc mundo migraturus ad Patrem, ad Discipulos suos habuit, uti videre est in capite XV. Evangelii S. Joannis. Afferuntur ea quidem verba in manuscripto Pontificali Vaticanae Bibliothecae, et in aliis quibusdam Pontificalibus. Sane quanta sit Sacerdotum dignitas abunde verba ipsa significant, dum Christus Dominus Apostolos suos, quos Sacerdotes ordinarat, non servos, sed amicos vocavit. Constat insuper ex variis Pontificalibus Libris consuevisse Presbyteros ante suam Ordinationem Fidei Symbolum recitare, ob eam rationem, quod illud praedicare populo debent. Quamvis in antiquioribus Pontificalibus Libris ritus promittendi Episcopo obedientiam minime appareat, reperitur tamen in plerisque ab annis circiter DCC. scriptis, non quidem in fine Missae, sed initio Ordinationis. Verum in quibusdam Ecclesiis non solum Presbyteros, verum et quosvis Clericos Episcopo obedientiam cum iuramento promisisse, colligi potest ex Epistola Decretali ad Praepositum, et Capitulum Placen-

tinum scripta, quae habetur in Cap. *Cum Clerici* XIV. *De verborum significatione*. In utraque Ecclesia Graeca pariter, et Latina osculum Sacerdoti recens ordinato datum ab Episcopis olim fuisse, liquido constat ex vetere Ordine Romano.

X. Quamvis alii inferiores Ordines nonnisi certis anni temporibus ex praescripto Summorum Pontificum ac Sacrorum Canonum conferri debeant, Episcopos tamen iam inde a primis temporibus Ecclesia Latina consecrare Dominicis cunctis diebus consuevit. Certe in tertia Carthaginensi Synodo, habita anno CCCXCVII. Canone XXXIX. ita locutum fuisse legimus Aurelium Carthaginensem Archiepiscopum: *In hac Ecclesia, ad quam dignata est vestra sanctitas convenire, crebro, ac pene per diem Dominicam Ordinandos habemus Episcopos*. Sed et vulgatus Alcuinus *de Divinis Officiis*, in eo capite, quod inscripsit: *Sabbatum* in XII. *Lectionibus*, eiusdem disciplinae ordinandorum Episcoporum die dominica hanc rationem assignat: *Episcopi consecratio, qui est Vicarius Apostolorum, imo et Christi fit in Dominica, quia eodem die per donum Spiritus Sancti Dominus dignatus est illustrare corda Apostolorum*. Additi demum videntur dies festivi, quibus populi conventus commode fieri posset, quem Episcoporum consecrationi adesse congruum est. Etsi vero hodie regulariter Episcoporum Ordinationes mane diei Dominicae celebrentur, constat tamen, eas olim nocte Sabbati, aut Dominica summo mane, perseverante adhuc jejunio, celebratas fuisse, post secundum scilicet Matutinarum nocturnum; uti addiscimus ex antiquo Romano Ordine. Et quidem S. Cornelius Papa apud Eusebium Lib. IV. *Historiae*, cap. XLIII. enarrans irregularem Novati Ordinationem, eum *hora decima* consecratum fuisse asserit. Jam vero quanam Missae parte olim perageretur Episcoporum ordinatio, non consentiunt Libri Pontificales. Fuit tamen antiquus mos, ut Episcopus sacra facturus, in Sacrario, non in Altari, uti hodie fit, sacras vestes indueret. Mox tam Electus, quam Episcopus consecrator, eiusque assistentes, ac Ministri, sacris induti

vestibus, e Sacrario ad Altare procedebant, id quod ex variis Pontificalibus deduci potest. Mos est insuper Ecclesiae antiquus, ut senior Assistentium, qui Electum Consecratori offerunt, ipsum Consecratorem alloquatur his verbis: *Reverendissime Pater, postulat Sancta Mater Ecclesia Catholica, ut hunc praesentem Presbyterum ad onus Episcopatus sublevetis.* Ex iis verbis, quibus, qui Electùm praesentat Ordinatori, rogat, *ut ad onus Episcopatus* eum sublevet, manifestissime apparet id quod docet S. Augustinus Lib. XIX. *de Civitate Dei*; cap. XIX. Episcopatum nomen esse operis, non honoris.

XI. Prisci praeterea est instituti, ut is qui in Episcopum consecrandus est, confessioni Fidei, et promissioni generali servandorum Canonum, expressam etiam adiungat obedientiam Sedi Apostolicae, quamque verbo emiserat Fidei Confessionem, eamdem scripto redderet et super Altare deferret. Bonifacius Moguntinus Episcopus suam super Corpus S. Petri Principis Apostolorum detulit, eamque refert Othlonus in eius vita capite decimoquarto. Antiquissimum est Episcopi examen non solum in descriptis a Pontificali Romano interrogationibus, desumptis pene ad verbum ex antiquo Ordine Romano, et priscis Pontificalibus Libris, sed et in multis aliis capitibus, quae ex Canone Carthaginensis quarti constat. Non ergo secunda Nicaena Synodus, uti existimat Martene, examen istud primo praescripsit, sed quarta Carthaginensis. Istud porro examen, quod ipso Ordinationis die post Missae solemnis introitum faciendum praescribunt Pontificales Libri quamplurimi, olim feria sexta ante Ordinationem, quae die Dominica celebrari solebat, peragebatur: saltem id colligimus ex examine Williberti Cataulensis Episcopi, qui illa die fuit examinatus. In Pontificali Bisuntino ad usum Turonensis Ecclesiae accomodato electionis quidem examen feria sexta, interrogationes vero de Fide ipsa die Ordinationis ante Missam faciendae praescribuntur. De Litaniis in Ordinatione Episcoporum dicendis haec habet Ordo Romanus: *Incipiat Chorus Kyrie eleison cum Litania, et prosternat se Or-*

dinator, *Electi simul cum Electo*, *et ceteris Episcopis ante Altare super stramenta*, *usque dum dicat Schola*, *Agnus Dei*. De eodem Litaniarum ritu loquitur Pontificale Moguntinum, et Pontificale Ecclesiae Lugdunensis. Recitatis Litaniis, Liber Evangeliorum ex veteri Ecclesiae instituto Capiti in Episcopum consecrandum imponitur, ut perspicue constat non modo ex veteribus omnibus Pontificalibus, et priscis Scriptoribus tum Latinis, tum Graecis, sed etiam ex Sacramentario S. Gregorii, ac praesertim ex Concilio Carthaginensi IV. canone secundo, ubi ita legitur: *Episcopus cum ordinatur*, *duo Episcopi ponant*, *et teneant Evangeliorum Codicem super caput*, *et verticem eius*; *et reliqui omnes Episcopi*, *qui adsunt*, *manibus suis caput eius tangant*. Est autem summopere hic admonendum, triplicem varietatem apud antiquos Scriptores reperiri circa hunc ritum imponendi Codicis Evangelii supra caput Episcopi consecrandi, uti recte observat Martene *de antiquis Ecclesiae Ritibus* Lib. I. cap. VIII. art. X. Prima varietas respicit ipsum Evangelium. Etenim pervetustus Auctor Apostolicarum Constitutionum Libro VIII. cap. IV. et Simeon Thessalonicensis *de Sacris Ordinationibus*, cap. VII. diserte docent, apertum imponi. Latini vero omnes nihil definiunt, nam simpliciter dicunt, Evangelium imponendum. Altera varietas locum respicit, cui Evangelium imponitur. Latini variant; alii quidem et antiquissimi Pontificales dicunt, generaliter super caput eius, alii scapulis imponendum esse, alii distinctius, super verticem eius, et inter scapulas: *Duo Episcopi*, inquit vetus Ordo Romanus, *ponant et teneant Evangeliorum Codicem super cervicem eius*, *et inter scapulas*, *clausum*. Atque id quidem legere est in plurimis Libris Pontificalibus pervetustis. Graeci Rituales, et Simeon Thessalonicensis dicunt, imponi *super caput et cervicem Ordinandi*. Tertia tandem varietas Evangelium tenentes spectat. Auctor Constitutionum Apostolicarum capite quarto hoc officium Diaconis videtur tribuere; Synodus IV. Charthaginensis Canone secundo, Sacramentarium S. Gregorii, Ordo Romanus, et Pontificales Libri pene

omnes ipsum munus tribuunt Episcopis assistentibus. Mystica enarrati ritus interpretatio multipliciter a Sanctis Patribus edocetur. S. Petrus Damiani in Sermone primo de Dedicatione, hanc rationem tradit: *Ponitur et Evangelica pagina super caput illius recumbentis, ut verbo vitae sentiat excedere rationem, et oculi eius deficiant in eloquium Dei*. Tandem, ut ea omittam, quae scribit Durandus in suo Rationali Lib. II. cap. XI., Simeon Thessalonicensis *de sacris Ordinationibus*, capite septimo, ea inquit actione significari, eum qui in Episcopum consecratur, *Christum habere pro capite, qui factus est Ecclesiae caput, et omnia quae Christi sunt, illum cognoscere, omnemque illius cognitionem, quantum licet, habere, cum constituatur in ea quae principatum eius spectant; omnem praeterea mentem, et rationem, et sensus secundum Christum efformare, et accomodare, eumque cervicem levi Christi iugo submittere, nihilque agere praeter ipsius sententiam, quoniam Ecclesiam ipsius super caput, et cervicem per Evangelium suscepit*. Insuper Consecrator, et assistentes Episcopi ambabus manibus caput Consecrandi tangunt, dicentes: *Accipe Spiritum Sanctum*. Ritum hunc, quantum ad manuum impositionem attinet, a Synagoga in Ecclesia traductum, atque ab Apostolis observatum; et per eorum Successores ad nos trasmissum fuisse, ostendit inter alios Gulielmus Beveregius ad Canonem primum Apostolorum, notatque Morinus *de Sacris Ordinationibus Exercitatione II.* cap. 1. tam Graecos, quam Latinos Libros Pontificales veteres, et recentiores in consecratione Episcopi praescribere manuum impositionem; imo et Sanctos Patres, cum Episcopatus causam allegant, ad manuum impositionem confugere, semperque asserere, per manuum impositionem aliquem Episcopatus gratiam consecutum, vel ordinatum, vel factum Episcopum. Certe ea usum fuisse Paulum in ordinatione Timothei, testantur ambae illius ad eum scriptae Epistolae. Constat etiam ipsi manuum impositioni adscriptam fuisse ab eodem Apostolo, et a sacris passim Scriptoribus productionem gratiae Spiritus Sancti: *Admoneo te*, inquit Apostolus in Epistola II. ad Timotheum

capite primo *ut resuscites gratiam Dei, quae data est in te per impositionem manuum mearum.*

XII. Expleta oratione, *Propitiare Domine*, recitat Consecrator Praefationem, quae quidem in antiquo Romano Ordine eisdem versiculis, ac responsionibus, uti in nostro Pontificali extat. Celebris in Ordinatione Episcoporum est caeremonia sacrae Unctionis. Ex antiquo Romano Ordine apud Hittorpium ubi Consecrator ea verba protulerit, *Comple in Sacerdote tuo, mysterii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructum caelestis unguenti flore sanctifica*, admonetur idem Episcopus Consecrator, ut mittat Chrisma in caput Episcopi in modum Crucis, cum iis scilicet verbis: *Ungatur et consecretur caput tuum caelesti benedictione in ordine Pontificali, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Eumdem ritum praescribit Sacramentarium Gregorianum, Pontificale Calurcense, Pontificale Egberti Eboracensis, idemque duo Pontificalia Beccensis Monasterii. Mysticas rationes, cur Episcopus sacro Chrismate in capite ungitur, exponit Amalarius Fortunatus Lib. II. *de Ecclesiasticis Officiis*, cap. XIV. Primo, quia Caput Ecclesiae constituitur; sicque Christo assimilari debet, qui, secundum etymologiam, unctus est, et ideo ad significandam in Christo gratiam capitis, capite quoque Episcopus ungitur. Secundo, quia prae ceteris obstringit se ad praestantissimum Charitatis actum, ad dandam scilicet animam pro ovibus suis; iuxta illud Salvatoris Domini: *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis.* Possem hic referre plerasque alias illius ritus explicationes, sed ne in longum nostra oratio abeat, satis hic erit recensere locum egregium Innocentii III. qui Episcopalis Unctionis integrum ritum nobis explicat in cap. 1. *de Sacra Unctione* Lib. I. Decretalium, tit. XV. ubi sic inquit: *Caput autem ungitur balsamo charitatis, ut Episcopus diligat Deum ex toto corde, ex tota mente sua, et proximum suum sicut seipsum. Caput inungitur propter auctoritatem, et dignitatem. Caput enim ungitur, ut ostendatur illius repraesentare personam, de quo dicitur per Prophetam: Sicut unguentum in*

capite eius, quod descendit in barbam Aaron. Vide Hallier, *de Sacris Ordinationibus*, cap. X. *de Sacra Unctione* art. IV. §. IV. et art. V. §. III. Quamvis in Sacramentario S. Gregorii nulla habeatur mentio de unctione manuum Episcopi in sua Ordinatione facienda; extat tamen ea caeremonia et in Antiquo Romano Ordine, et in priscis Pontificalibus, et apud pervetustos Ecclesiae Scriptores. Quid ea manuum Episcopalium unctio significet, explicat Innocentius III. in laudato cap. 1. *de Sacra Unctione: Per manus opera intelliguntur, iuxta illud: Manus meae distillaverunt myrrham. Manus igitur inunguntur oleo pietatis, ut Episcopus operetur bonum ad omnes; maxime autem ad domesticos Fidei.* Et infra: *Manus Episcopi inunguntur, ut ostendatur accipere potestatem benedicendi, et consecrandi.* Scite sapienterque ostendit Franciscus Hallier *de Sacris Ordinationibus*, ubi agit de sacra Unctione, non sufficere Episcopis, quod eorum in Sacerdotio manus inunctae fuerint, sed iterum, cum consecrantur, inungi debere, multis ex rationibus. Primo quidem, quia ad benedicendum manus eorum sanctiores efficiendae sunt. Secundo, quia ad operosius ministerium, et honorificentius officium consecrantur. Tertio, quia, cum opes Ecclesiae in ipsorum potestate consistant, maiorem largiendi habent occasionem.

XIII. Baculum Pastoralem, de quo alibi diximus, in Consecratione Episcopi traditum, pluribus veterum testimoniis comprobatur. Concilium Toletanum IV. Canone XXVII. restituendis Episcopis suae dignitati, qui innocentes post depositionem declarati sunt, inter alia Episcopalis insignia dignitatis, Baculum reddi praecepit, quia scilicet illum quoque, *cum ordinarentur, perceperunt.* S. Isidorus Hispalensis Lib. II. *de Officiis Ecclesiasticis*, capite quinto ritum Consecrationis Episcopi explicans, de Baculi traditione ita inquit: *Huic autem* (Episcopo), *dum consecratur, datur Baculus, ut eius indicio subditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat.* Exscripsit hunc quidem locum Synodus Aquisgranensis capite IX. Illud quoque de Baculo notandum

est, in Ordine antiquo Romano prius tradi Episcopo annulum, quam ipsum Baculum. Id quod etiam liquet ex plerisque priscis Pontificalibus Libris. Certat de antiquitate cum Baculo Annulus Episcopalis, quippe quem et S. Isidorus, et Concilium Toletanum IV. Canone XXIX. ornamentis Episcopalibus adnumerarunt, ut proinde etiam hanc caeremoniam iure merito admodum antiquam dicat Morinus *de Sacris Ordinationibus* Parte III. *Exercitatione II.* cap. II. num. V. Insuper ea Episcopi Consecrationis verba: *Accipe Evangelium, et vade, praedica populo tibi commisso,* aperte ostendunt, munus esse proprium Episcoporum Evangelium praedicandi plebi sibi assignatae. Sequitur osculum pacis quo Episcopus Consecrator, eiusque Collegae Consecratum Episcopum salutant sub ea verborum formula: *Pax tibi.* Quibus ille singulatim respondeat: *Et cum spiritu tuo.* Addubitari nequit, quin memoratus ritus antiquitus in Ecclesia tum Latina, tum Graeca servaretur. Recte etiam ritus mysterium exponit Simeon Thessalonicensis in opere *de Sacris Ordinationibus*, cap. VII. *Osculatur eum* (Episcopum recens Consecratum) *Episcopus Consecrator tamquam sibi dilectum, et qualem sibi, et sanctificatum et in Christo coniunctum.* Offert Consecratus Consecratori duos panes, et duo barilia vino plena iuxta nostrum Pontificale Romanum, vel duas phialas plenas vino, ex praescripto Pontificalium Moguntini, et Lugdunensis. Quod quidem munus consentaneum est cum veteri Ecclesiae disciplina. Ritum sacrae Communionis a novo Episcopo consecrato suscipiendae ita describit Pontificale Ecclesiae Lugdunensis : *Postquam Consecrator communicaverit, mox priusquam digitos abluat, Consecratus a praemissis duobus Episcopis ante Altare deductus, de manu Consecratoris sacram Hostiam recipiat.* Attamen ex Pontificali Graecorum, per seipsum Consecratus Episcopus communicat, et aliis sacram Eucharistiam distribuit, nec genuflexus ante Altare, sed stans, et Altari innixus communicat. Cui ritui Romanum quidem Pontificale consentit, sicut etiam et illi Graecorum aeque ac Latinorum consuetudini, iuxta

quam is qui in Episcopum consecratur, simul cum Consecratore suo sub utraque specie sacram Eucharistiam percipit. Corpus, ac Sanguinem Domini non genuflexus, sed stans ille capite inclinato, in reverentiae argumentum, ante ipsum Altare, eodem corporis situ quo Consecrator, communicat; ut ad perfectam cum Consecratore similitudinem per consecrationem suam traductus esse videatur; cum e contra tam Sacerdotes, quam Diaconi, non in ipso Altari, sed ante Altare genuflexi ex communi Latinorum disciplina communicare iubentur.

XIV. Data benedictione in Episcopalis Ordinationis Missa, Consecrator benedicit Mitram, eamque capiti novi Episcopi imponit. Meminit sane eius ritus Pontificale Moguntinum, in quo etiam ad impositionem Mitrae haec formula recensetur: *Pone signum in capite tuo, ut nullum praeter ipsum Deum Creatorem tuum amatorem admittas in nomine Domini.* Longe ante annum Christi millesimum Chirotecas Episcopo traditas religiose fuisse in sua Consecratione constat, ex pluribus Pontificalibus Libris. Legimus quippe in antiquo Ordine Romano, dum Electus Chirotecis induitur, hanc dici ab aliis Episcopis Orationem: *Immensam Clementiam tuam, omnipotens et piissime Deus, humiliter rogamus, ut manus huius famuli tui, sicut exterius obducuntur manicis istis, sic interius aspergantur rore tuae benedictionis, ut quaecumque per eas benedicenda, vel consecranda sunt, per te benedicantur, et consecrentur. Per eumdem.* Porro per Chirotecas, castitatem, et munditiam denotari, ut manus, et operationes Episcopi sint mundae, et ab omni sorde immunes, docet Guillelmus Durandus in suo *Rationali* Lib. III. cap. II. Quanta olim cum pompa, rituque religioso novus Antistes in Episcopali sede collocaretur, satis abundeque nobis significant tum Libri Pontificales, tum veteres Graeci aeque, ac Latini Scriptores. Illud quoque addiscere licet ex Ecclesiae Scriptoribus pervetustis, morem fuisse plane antiquissimum, ut novus Episcopus in Throno positus, lecta Sacra Scriptura, sermonem in eam faceret: qui sermo *enthronisticus* a tempore et circumstantiis, in quibus habi-

tus erat, appellabatur. Quamquam autem sacri hymni, et Cantica post Ordinationem Episcoporum, dum in Throno collocabantur, cani passim in Ecclesia consueverint, mos tamen fuit, ut potissimum hymnus *Te Deum Laudamus* decantaretur. Solemnem benedictionem non in medio Altaris positus, ut praescribit Pontificale Romanum, sed stans in Cathedra Episcopali novus Episcopus populo dabat. Apud Latinos propria est profecto solemnis Episcopi benedictio, quae sub ea concipitur formula: *Sit nomen Domini benedictum.* Meminit quippe illius inter alios priscus Auctor Guillelmus Durandus Lib. V. *sui Rationalis*, cap. LIX. ubi etiam tradit Episcopum benedicentem tenere manum more Aaron super populum elevatam, et exemplo Jesu Christi, qui ut habetur Actorum Capite primo, ascensurus in Caelum, elevatis manibus, discipulis suis benedictionem impertitus est. Manu item plena ipsum signum Crucis in Benedictione formari solet, hoc est quinque digitis, ad quinque vulnera Jesu Christi significanda, uti observat Stephanus Duranti Lib. II. *de ritibus Ecclesiae Catholicae.* Tribus nonnulli olim Cruces digitis exprimebant, quia auctore Innocentio III. Lib. II. *Mysteriorum Missae*, cap. XLV. sub invocatione Trinitatis ipsae Cruces effingebantur.

Caput XIII.

De ritibus ad Sacramentum Matrimonii pertinentibus.

I. Matrimonium iam inde a prima mundi origine Deo auctore institutum, ac deinde a Christo Domino ad Sacramenti dignitatem evectum, quamvis semper sanctum ac inviolabile apud omnes fere gentes habitum fuerit, inventi sunt tamen nonnulli, qui nuptias tanquam rem illicitam tenebant. De personis matrimonii vinculo coniungendis multa disserunt Theologi et Canonistae, quae a nobis ultra praetermittuntur, nonnulla quoad antiquos eius celebrandi ritus hic adnotare contenti. In primis

ergo Matrimonio praecedebant sponsalia, seu futurarum nuptiarum promissa foedera, deinde conficiebantur tabulae matrimoniales, pacta seu conditiones futuri matrimonii continentes, quae tabulae signatoriis, eorum qui interfuerant annulis, obsignabantur. Eumdem praeterea sponsaliorum contractum munera comitari solebant, quibus sponsa a sponso, et quandoque contrarie, donabatur. Huiusmodi munerum, quae *arrhae et pignora* vocantur, et apud Christianos etiam usurpata fuerunt, meminit Gregorius Turonensis cap. XX. *de vitis Patrum*. Inter munera in sponsaliis dari solita erat *annulus*, qui a viro feminae dabatur ante nuptias, dictus propterea a Tertulliano *Apologet.* cap. VI. *pronubus*. Meminit huius ritus Gregorius Turonensis in Libro *de vitis Patrum* cap. XX. ubi agit de Leobardo, qui postea reclusus vixit in Monasterio. Sanctus Isidorus Libro XX. *Etymologiarum* id ipsum de annulis a sponso sponsae dono datis testatur, addens mulieres toto suae vitae curriculo illis tantum annulis uti, qui a viro mittebantur, nec nisi duos in digitis gestare solitas. Idem praeterea *de Divinis Officiis* capite XVIII. eumdem annuli ritum docet adeo sanctum ac religiosum in Ecclesia habitum, ut in sponsaliis praetermittere nefas prope duceretur; per illam enim annuli donationem et acceptionem mutua fides in coniugio servanda significari credebatur, sive potius casti amoris veluti nodo ac vinculo futurorum coniugum corda irretiri. Medio autem aevo passim annulus in ipsomet nuptiarum die a sponso sponsae tradebatur ante ipsas Ecclesiae fores. Sacerdos enim annulum primo accipiebat, atque super illum benedictionem quamdam recitabat. Ut initis sponsaliis maius robur ac firmitas accederet, simulque ne ansa clandestinis nuptiis praeberetur, quidam testium numerus requirebatur: quorum nomine venire videntur adfines atque amici ex utraque parte sponsaliorum celebrationi admissi. Quot autem testes interesse deberent, non satis liquet.

II. Constituto ad celebrandas nuptias die adveniente, sponsus, et sponsa benedicendi a parentibus sistebantur

Sacerdoti ad portas Ecclesiae. Parentes autem ad Ecclesiam ferebant quoque tabulas nuptiales, ut coniicere datur ex antiqua figura sponsi, atque sponsae in vetusto vitro apud Bonarrotium *Osservazioni sugli antichi vetri. Tav. XXI. fig. 3.;* in quo prope sponsam habetur volumen, quod tabulas illas indicare putavit ipse Bonarrotius. Illud porro advertere praestat, eam olim apud Christianos obtinuisse consuetudinem, ut non modo Episcopos de ineundis nuptiis consulerent; verum etiam ut nuptiae nonnisi communibus Christianorum precibus, sacrorumque ministrorum benedictione consecrarentur. Et re quidem vera Patres diserte adfirmant nuptias per Sacerdotem esse benedicendas. S. Ignatius Martyr in Epistola ad Polycarpum, *decere* inquit, *ut ducentes uxores, et nubentes, cum Episcopi arbitrio coniungantur, ut nuptiae iuxta Domini praeceptum sint, non autem ad concupiscentiam.* Tertullianus Lib. II. *ad uxorem* num. 8. scribit, solum illud matrimonium a Deo ratum haberi, quod *Ecclesiae conciliat, confirmat oblatio, obsignat benedictio*; ubi inter caetera illud *obsignat benedictio* dignum notatu est: innuere enim videtur, quod ecclesiastica benedictione veluti sigillo quodam nuptiae confirmarentur. S. Basilius *Homilia VII. in Hexameron* matrimonium definit οδιατης ἐυλογιας ζυγος iugum per benedictionem impositum. Chrysostomus *LXVIII. in Genesim* sacerdotali benedictioni matrimonii concordiam, quae Sacramenti effectus est, tribuit: *et Sacerdotes vocare, et precibus ac benedictionibus concordiam coniugii costringere.* Et Ambrosius Lib. III. Epist. 23. *Coniugium velamine sacerdotali, et benedictione sanctificari oportere scribit.* Eamdem benedictionem memorant Concilium Carthaginiense IV., an. 398. ann. 13.; Siricius, *Epistola ad Himerium;* Innocentius I., *Epistola ad Victricium* capite quinto; Isidorus Hispalensis, Lib. II. *de Officiis Ecclesiasticis capite decimo.* Vix Rituale antiquum, recentiusve invenies, in quo non extet annuli benedictio, qui in celebratione Sacramenti Matrimonii ex veteri Ecclesiae ritu a sponso digito annulari sinistrae manus sponsae imponi consuevit. Benedictio Nuptiarum

intra Missarum solemnia fiebat post Orationem Dominicam, ut ex antiquis Sacramentorum Libris docet Hugo Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii Papae. Integram actionem nuptialem, sive Missam propriam nuptialem ex pervetusto Gelasiano Missali, et manuscriptis codicibus Remensi et Gelloniensi legere est apud eruditissimum P. Martene Congregationis S. Mauri, Lib. I. *de antiquis Ecclesiae Ritibus*, cap. IX. art. V.

III. Ad nuptiarum caeremonias pertinent dexterarum coniunctio, velatio, et coronatio. Et sane quod ad primam attinet, antiqua est ea caeremonia ab exemplo Tobiae petita, cuius meminit Tertullianus in Libro *de Velandis Virginibus capite undecimo*. Et S. Gregorius Nazianzenus ad Anysium scribens *Epistola 57*. excusansque se quod affectus aegritudine ad eius filiae nuptias venire non potuisset, ait: *Animo et voluntate adsum, simulque festum celebro, iuvenilesque dextras inter se iungo, atque utrasque Dei manui*. De velo autem, sive pallio, ut aiunt, quod supra coniugum capita tamdiu tensum habebatur, donec benedictio a Sacerdote daretur, loquens Ambrosius *de Virginibus* capite XV., illud *flammeum nuptiale* appellat, quod nimirum purpurei esset coloris, ad denotandum fortasse pudorem, quem in coniugio servari oportet. Eiusdem meminit etiam laudatus Pater Epistola LXX. Non minus antiqua, quam ceteri nuptiarum ritus, imo si benedictionem excipias, solemnior fuit capitis coronatio; quae sic peragi consuevit. Fine iam nuptiarum celebrationi imposito, novi coniuges iam discessuri, corona ex olea, ut plurimum, variis distincta taeniis caput devinciebant: ita ex Templo dimittebantur domum. Cuius ritus praxim videre est apud Palladium, in *Lausiaca, capite octavo*; Evagrium, Lib. 6. *Historiae capite primo*; Gregorium Turonensem, Lib. I. cap. 42.; Acta S. Amatoris apud Bollandum I. Maii. S. Joannes Chrysostomus *Homilia IX*. in I. ad *Timotheum* docet ideo ab Ecclesia coniuges donari corona, ut victoria, quam ex mundanis illecebris sanctitate morumque innocentia reportaverant,

ostenderetur: adeo ut hunc honorem nuptiis non rite initis nunquam concessum, perraro secundis reperiamus.

IV. Cum sua sint in Ecclesia poenitentiae assignata tempora, quibuscum Matrimonium, gaudiaque varia, quae nuptias comitari solent, sociari nequeunt; sapientissime omnino ab antiquis Patribus provisum est, ut nulla his temporibus inirentur matrimonia. Quaenam vero illa sint, discimus ex Concilio Ilerdensi apud Gratianum 33. q. 4. *Non oportet a septuagesima usque in Octavam Paschae, et tribus hebdomadibus ante festivitatem S. Joannis Baptistae, et ab Adventu Domini usque post Epiphaniam, nuptias celebrare, quod si factum fuerit, separentur*. Notandum hic vero est pro faciliori intellectu olim alicubi ante Festum S. Joannis Baptistae fuisse speciem quandam Quadragesimae, at variam pro diversitate Ecclesiarum, de qua tractat Filesacus in Opusculo *de Quadragesima Christiana* cap. III. Longum esset per diversa Christiani Orbis loca vagari, in quibus pro diversitate Ecclesiarum, diversa fuerunt statuta tempora, quibus poenitentiae peculiarisque devotionis causa vetitae sunt celebrari nuptiae. In quibusdam Germaniae locis, diebus triginta post Assumptae in Coelum Deiparae Virginis festivitatem celebrari Matrimonium interdictum erat, uti testatur Joannes Mabillonius in suo *Germanico itinere* pag. 46. Matrimonium celebrandum esse in Ecclesia, antiquum est institutum, cuius meminisse videtur non uno in loco Tertullianus, et haec disciplina constat etiam ex aliis Patribus ac Synodis. Aliquando solemnis nuptiarum benedictio domi celebrabatur. Huius ritus exemplum praebent Acta S. Amatoris Episcopi Autissiodorensis apud Bollandum 1. Maii.

V. Etsi matrimonia a liberis personis legitime inita receperit semper probaveritque Ecclesia, tamquam vera et indubitata Sacramenta; ipsius tamen desiderium fuit, ut nonnisi virgo virgini nuberet, secundasque nuptias, ut certa incontinentiae signa, aegre tulit. *Non prohibemus secundas nuptias, sed non probamus saepe repetitas*, inquit

S. Ambrosius Libro *de Viduis capite II.* Quamquam igitur veteres Patres secundas sequioresque nuptias, quippe intemperantiae macula aspersas, reprehenderint, aut saltem non probaverint, eas tamen nunquam ut illegitimas proscripserunt. Quapropter secundas nuptias Ecclesia nonnisi certis legibus et conditionibus permisit. Prima fuit, ut vidua relicta mulier, nonnisi integro ab obitu mariti anno evoluto, nuberet. Huius conditionis legem discimus ex Actis S. Mengoldi Martyris apud Bollandum 8. Februarii. Secunda conditio viduarum matrimonia contrahentium erat privatio benedictionis nuptialis, quae ipsis a Sacerdote non impertiebatur. Id sane disertis verbis tradit S. Caesarius Serm. 289. in Appendice novae editionis S. Augustini: *Qui uxorem optat accipere, sicut illam virginem invenire desiderat, ita ipse usque ad nuptias virgo sit; quia si non fuerit, benedictionem accipere cum sponsa non merebitur.* Tertio non solum benedictione carebant, sed neque velamine, sive flammeo ornabantur, et neque coronis a Presbytero donabantur. Tandem Ecclesia etsi secundas pateretur nuptias, secundo nubentibus poenitentiam canonicam imponebat, quam dum illi exolvebant, sacra communione carebant. Ea fuit antiquior Ecclesiae disciplina, ut docent vetustiora Concilia Ancyranum Canone decimonono, Laodicenum Canone primo, et Neocaesareense Canone tertio. Cum autem secundo nupti huic addicerentur poenitentiae, neque Presbytero licitum erat interesse eorum convivio, ut legimus in Canone LXXXIX. apud Eboracensem Episcopum, quem inter Concilii Neocaesariensis canones refert Gratianus *In Cap. de his* 31. qu. 1.

Caput XIV.

De Benedictionibus et Processionibus.

I. Benedictio, seu benedicere, quamvis multipliciter accipi possit, tria nihilominus potissimum significat, uti post alios docet Paulus Maria Quarti in Tractatu *de Benedictionibus*, Titulo 1. Sectione 1. Primo enim significat bene loqui de alio, seu aliquem laudare, et commendare, ut in Psalmo XXXIII. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Secundo significat bona, et prospera alicui precari, et fausta ominari, ut in Psalmo III. *Super populum tuum benedictio tua.* Tertio benedicere significat consecrare, et sanctificare, seu aliquid sacri conferre rei, quae benedicitur. Atque haec Benedictio, est illa, de qua nunc agimus, estque caeremonia Ecclesiastica, qua per invocationem Divini Nominis, aliquid boni confertur, vel postulatur; quando quis scilicet ratione muneris sacri, quo fungitur, petit a Deo, ut personis, seu rebus aliquibus bona convenientia tribuat: et haec est, quae Benedictio Ecclesiastica appellatur; quippe quae nomine Ecclesiae, et ex auctoritate ei a Deo concessa completur. Tota vis igitur Benedictionum Ecclesiasticarum, ut bene advertit Eveillon, est in oratione, et invocatione Ecclesiae, quae fit per eius Ministros, ut de omni genere ciborum, qui a Christianis ante esum benedicuntur, dicit Apostolus in Epistola prima ad Timotheum, capite quarto: *Sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem.* Ideoque sicuti e Libro Numerorum Deus certam formam populo benedicendi Aaroni, et Sacerdotibus Veteris Legis praescripsit, ita Ecclesia Divino Spiritu edocta, omnium rerum benedicendarum formulas conceptis verbis definivit in Libris Ritualibus, et Missalibus.

II. Aquae benedictae originem ab Apostolorum temporibus repetunt Gretserus, in *Tractatu de Benedictionibus* Lib. II. cap. IV.; Marsilius Columna, in sua *Hydra-*

giologia; Durandus, et alii non pauci. Quicquid autem obganniant heterodoxi, hanc aquae benedictionem ex pervetusto ritu, ingenti Fidelium utilitate universa frequentat Ecclesia. Romana quidem singulis diebus Dominicis eam exequitur, excepto Paschae, et Pentecostes Festo, eo quod pridie harum solemnitatum, uti notavit Gretserus in citato opere Lib. II. cap. IV. benedicatur Fons Baptismatis, ex cuius aqua fidelibus pars aliqua etiam domum adsportanda dabatur, ut ait Durandus in suo *Rationali* Lib. IV. cap. IV. prius tamen quam Chrisma infunderetur. Sed hoc obiter dicto, notandum est illud, eamdem scilicet benedictionem aquae ex antiquo pariter instituto in usu esse apud Graecos, Armenos, Antiochenos, Syros, Aetiopes, ut palam fit ex Benedictionum formulis, quas ad calcem suae *Hydragiologiae* profert Marsilius Columna. Quamobrem merito ridendus Hospinianus Calvinista, qui temere asserere non erubuit, Aquam lustralem in Romana Ecclesia inventam ab aliis Ecclesiis non fuisse usurpatam.

III. Benedictioni salis et aquae, de qua in praesenti agimus, Sacerdos ex veteri ritu Exorcismum praemittit. De Exorcismorum antiquitate in Ecclesia, eiusque usu in variis Benedictionibus Ecclesiasticis loquuntur passim prisci Patres, ac Synodi, Ritualesque Codices, quorum loca hic recensere longum esset. Scio equidem, vehementer offendi haereticos verbo isto *Exorcizo* in Benedictionibus Salis et Aquae posito; absurdum enim videri aiunt, si creatura rationis expers exorcizetur, seu adiuvetur, cum Exorcismum, seu adiurationem nec sentiat, nec intelligat. Verum docent Theologi, et inter alios praesertim Suarez tom. II. *de Religione*, Lib. IV. *de Adiuratione,* cap. 11. num. 14. adiurationem per imperium etiam directe circa creaturas irrationales versari posse quoad efficaciam, et effectum; non quod morale illud imperium percipiant, aut ad eius intelligentiam sese moveant vel a motu desistant; sed quia efficacia, et effectus imperii ita illis a Deo imprimitur, quasi imperium ipsum intellexissent. Sic Matthaei capite octavo

imperavit Salvator ventis et mari, et sequuta est obedientia non moralis, sed quasi physica. Ita enim venti, et mare Christo morem gesserunt, quasi auribus verba imperantis audivissent. Ad cuius imitationem ventis, et tempestatibus, et animalibus perniciosis serpentibus, locustis, aliisque id genus, imperarunt non raro viri Sancti ad eaque imperium pervenit, non quoad intelligentiam, sed quoad vim, et efficacitatem. Insuper salis ipse Exorcismus, sicut et Oratio, *Immensam Clementiam tuam etc.* legitur quidem in recentioribus Ritualibus passim, et in antiquis Sacramentorum Libris, quos recenset Martene, et alii Rerum Ritualium Scriptores. Salis et aquae immixtionis, peracta benedictione, iam ante Durandum mentionem fecit Rabanus Libro II. *De Institutione Clericorum*, cap. LV. idque fieri ait ex divina institutione: *Quod autem sal sanctificatum aquae immiscetur, ex divina auctoritate processit; quia illud per Helisaeum in fontem mitti iussit, ut sanaretur sterilitas aquarum Jericho:* Addit mox: *Nam aqua a sordibus mundat, sal putredinem fugat; aqua nitorem praebet, sal sinceritatem adhibet.* Restat, ut quaedam notemus de aquae benedictae virtute, et effectibus. Aqua benedicta fugatos daemones, morbos depulsos, ac etiam mortuos excitatos, pluribus ex Ecclesiastica Historia, et vitis Sanctorum allatis exemplis ostendit inter alios eruditus Gretserus Libro II. *de Benedictionibus*, cap. XI. et XII. Teste Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiae, S. Eugenius Diaconus puerum mortuum revocavit ad vitam aspersione aquae, quam S. Zenobius Episcopus benedixerat. Varias quaestiones de ipsa aqua benedicta, eiusque effectibus, legere est apud Theologos, et apud Scriptores, qui de ipsa peculiares Tractatus ediderunt.

IV. Benedictio novae domus suam videtur trahere originem a Veteri Testamento, ubi Deus religioso cultu voluit quidem novas populi sui domos esse consecratas, uti constat ex Capite XX. Deuteronomii, ubi scriptum legitur: *Quis est homo, qui aedificat domum novam, et non dedicavit eam?* Utraque Ecclesia Latina et Graeca domos

novas benedicit, et sicut in Latinis, ita et in Graecis Ritualibus extat Benedictio domus novae; quinimo in Euchologio, seu Rituali Graecorum a Jacobo Goar notis illustrato pag. 483. et seqq. editionis Venetae, legitur etiam Oratio in *fundamento domus ponendo.* Sane iam olim, ut doctus Andreas Saussay Parte II. *Panopliae Sacerdotalis*, Lib. II. art. XX. observat, apud Christifideles illa obtinuit pia consuetudo, ut domorum postes, ostia, limina, parietes, et fastigia, triumphali Crucis titulo, signaculoque salutari communirentur. Beatus Nilus scribens ad Olympiadorum Proconsulem, optare se ait, ut non tantum singulis domibus, sed quarumcumque domorum habitaculis singulis statuatur Imago Crucis, ut memoria Crucifixi semper recens in fidelium animis vigeat, et ut salutari hoc pignore habitatores, et ipsa loca a Jesu Christo protegantur: morem vero fuisse antiquum in domorum liminibus super postes Crucem Domini affigere cum hac Epigraphe: *Christus nobiscum state*; vel hac saepe, *Transite angeli percussores, viso Agni immolati salutifero signaculo*, eaque figura, et inscriptione fugatas fuisse pestilentias, compressos terraemotus, fulgura dissipata, et adversa quaeque repulsa, praeclaris exemplis testantur antiqui Scriptores quos idem Saussay citato loco recenset. In Libro Sacramentorum excerpto a Grimoaldo Abbate ex Sanctorum Patrum Opusculis, ut inscriptio praefert, extat Benedictio domus, quae duabus orationibus continetur. Ut autem Ritualia antiqua omittam, sequitur et in Romani Sacerdotalis Parte II. post benedictionem loci, Benedictio domus novae, variis sane precibus, orationibus, caeremoniisque concinnata.

V. Fuisse antiquum, non modo Latinae, sed et Orientalis Ecclesiae usum, ut navis peculiari oratione benediceretur, docet nos Euchologium Graecorum, in quo legitur *Oratio in navi compingenda.* Ad latinum ritum quod spectat, quamquam in Romano Rituali et ipsa novae navis Benedictio, sicut et plures aliae, unica oratione contineatur, in Sacerdotali tamen edito ab Alberto Castellano, Ordinis Praedicatorum variis caeremoniis, Psalmis,

Precibus, Orationibus, atque Evangeliis exhibetur. Virtute huiusce Benedictionis navigantes gratias consequuntur, quas Ecclesia in Oratione postulat. Quarum prima est divina protectio navigantium, quibus Deus porrigit dexteram, sicut porrexit Petro super mare ambulanti. Secunda est custodia Angelorum, ex iis orationis verbis: *Mitte Sanctum Angelum tuum de caelis etc.* Tertia est navigantium salus, et incolumitas, usque dum perveniant ad optatum portum cum omni gaudio, perfectis negotiis omnibus. Crucem consuevisse in navibus collocari, testatur in Oratione, *Quod Christus sit Deus* S. Joannes Chrysostomus: *Crucem*, inquit, *ubique videre licet in mari, in navigiis, in insulis.* Meminit et eius ritus S. Ambrosius in Psalmum XLVII. Praeter Crucem poni olim in navigiis solitam, locatas in eisdem fuisse Sanctorum Imagines testatur inter alios Nicephorus Callistus.

VI. Usus benedicendi fruges seu segetes adhuc virentes, itemque agros, et vineas, est plane antiquus. Benedictionem novarum frugum fieri antiquitus solitam fuisse in solemni Missa Ascensionis, alibi diximus. Teste Martene in Libro: *de antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis Officiis* cap. XXVIII. pag. 358. haec benedictio fiebat hac praescripta Oratione: *Benedic, Domine, hos fructus novos, quos tu Domine de rore Caeli, et inundatione pluviarum ad maturitatem perducere dignatus es, ad percipiendum nobis cum gratiarum perceptione, In Nomine Domini Nostri Jesu Christi. Per quem haec omnia Domine semper bona creas etc.* Insuper hac benedictione monemur, uti inter alios observat Quarti in Tractatu *de Benedictionibus* Tit. III. Sectione VIII. Praeludio II. Primo, spem omnem fertilitatis, et abundantiae ponendam esse in Deo; nam, ut ait Apostolus in Epistola I. ad Corinthios, cap. II. *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat, Deus;* et in hunc finem pia Mater Ecclesia hanc Benedictionem instituit, ut pro incrementis frugum, et productionibus fructuum ad maturitatem ad Deum recurramus. Secundo monemur, Benedictionem esse causam fertilitatis. Tertio, hac benedi-

ctione protestamur, nos omnem solicitudinem rerum temporalium proiicere in Deum, scientes, quoniam ipsi est cura de nobis, iuxta monitum S. Petri in Epistola I. cap. I.

VII. Recte admonent Sacri Scriptores, usum laudabilem, qui apud pios fideles communis est, non sumendi cibum sine benedictione, a Jesu Christo trahere originem, et ab Apostolis. Primo enim de Christo Domino saepe legimus in Evangeliis, eum benedixisse alimenta, quae vel ipse sumpsit, vel aliis distribuit. Sic Marci Capite VI. *Acceptis panibus, intuens in caelum, benedixit.* Quamvis benedicendi sint semper cibi, ac etiam potus, saltem signaculo Crucis, ut est mos piorum complurium fidelium, potissimum id fieri debet solemni per Sacerdotem benedictione in Pascha, iuxta antiquum ritum, cuius mentionem facit Durandus Lib. VI. *Rationalis*, cap. LXXXVI. num. 8. *De sancto die Paschae*, ubi haec habet: *In hac sancta die nihil, quod a Sacerdote non sit benedictum, comedere debemus, quia inimicus noster nunc magis satagit supplantare.* Pervetusta est apud Christianos, habeturque in antiquissimo Ordine Romano, *Benedictio Agni in Pascha.* Benedicitur, et manducatur Agnus in Pascha, uti eruditi observant, ad recolendum beneficium Sacramenti Altaris, a Jesu Christo instituti, et per agnum legalem praefigurati, quod ipse Christus declaravit, dum instituit hoc Sacramentum immediate post coenam agni legalis, et typici, dans finem figuris, et principium veritati. Insuper quum Agnus sit typus innocentiae, et symbolum praedestinatorum, uti habetur Matthaei Capite XXV. *Statuet Agnos a dextris*, merito Ecclesia Agnum benedicit in Pascha, ut fideles de illo manducent eodem die; quando scilicet, impleto praecepto Confessionis et Communionis, innocentiam sunt adepti; atque ut praedestinati adspirent ad aeternam gloriam in Pascha, quando Jesus Christus Dominus aeternitatis nobis aditum, devicta morte, reseravit. Antiquum Ecclesiae morem benedicendi Agnum in Paschate, ut ex eo fideles vescantur, commendat vetus Missa ex Ms. Ratoldi Abbatis Corbeiensis Codice, ab Hugone Menardo edita in suis

notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii Papae. Extat in antiquo Romano Ordine apud Hittorpium ritus ad benedicendum Agnum in Paschate. Quamquam vero ex nostri Ritualis Romani praescripto Benedictio Agni, et carnium in Paschate unica dumtaxat Oratione contineatur, duas tamen exhibet, et quidem antiquas, Sacerdotale editum anno Christi MDLXVII.

VIII. Processiones Christiano (1) more vocantur supplicationes publicae, quae fiunt solemni ordine et ritu, procedendo ab Ecclesia ad alia loca. Sacri Scriptores docent eas nempe suam trahere originem a Veteri Testamento. Certe fuisse eas in usu saeculo Christi secundo, ex Tertulliano patet, qui variis locis eius ritus meminit, praesertim vero Libro II, *ad Uxorem* capite quarto. Celebris est et ille eiusdem Scriptoris locus in Libro *de Praescriptionibus adversus haereticos*, cap. XLIII. ubi ea verba occurrunt, *Processio modesta,* quae Pamelius, aliique eius loci Expositores de Sacris Processionibus, vel etiam tunc temporis in Ecclesia usitatis explicant. Fateri vero illud cogimur post datam Ecclesiae pacem, publicas Processiones mox coepisse solemnes, ac frequentissimas, uti patet ex Scriptoribus *Historiae Ecclesiasticae variis locis*. Crucem sacris Processionibus praeferendi antiquus est Ecclesiae ritus, a priscis Patribus religiose observatus. Non una tantum, sed plures Cruces, et quidem argenteae, Processionibus praeferebantur. Crucis in Processione praeferri solitae meminit etiam Gregorius Turonensis non uno in loco, praesertim vero in Libro *de Gloria Confessorum*, cap. LXXIX. Antiquissimus etiam est Ecclesiae ritus, qui hodieque religiose servatur, ut ad Crucem in Sacris Processionibus duo lumina adhibeantur. Insuper addubitari nequit, quin una cum ipsa Cruce praeferretur in Sacris Processionibus Sacer Evangelii Codex. Recte ait Eveillon id fieri ex antiquo Ecclesiae instituto non modo apud Latinos, sed et apud Graecos, probatque ex Codino Lib. I. Cap. IV. *de Officiis Ecclesiae Constantinopolitanae*.

(1) Eveillon, *de processionibus Ecclesiasticis* cap. I. et seqq.

EXPLICIT LIBER UNDECIMUS.

LIBER DUODECIMUS

DE RITIBUS ECCLESIAE IN SEPELIENDIS DEFUNCTORUM FIDELIUM CORPORIBUS, ET DE DISCIPLINA ECCLESIAE IN PUNIENDIS GRAVIORUM CRIMINUM REIS.

Caput I.

De ritibus Ecclesiae in sepeliendis defunctorum fidelium corporibus.

I. Christiani ut certam suam de resurrectione spem testarentur, magnam funerum rationem habuerunt. Ac primo illud omnino iuvat animadvertere, nullum charitatis actum maioribus laudibus efferri a veteribus, quam hunc sepeliendi mortuos: hinc etiam persecutionis, et pestilentiae temporibus non sine gravi vitae suae periculo illum in defunctos exercebant; qua de re Eutichianus Presbyter Romanus in Martyrologio, et in Pontificali *in vita Eutychiani* laudatur, quod per loca diversa
342. Martyres manibus suis sepelierit. Et Ecclesiarum Lugdunensis, et Viennensis fideles gravissimum animi sui dolorem declarant, quod sibi per inimicos nullo modo licuerit Martyres suos humare. Tempore pestilentiae aequalem charitatem, et industriam demonstrabant; cuius rei singulare exemplum nobis suggerit Dionysius Alexandrinus apud Eusebium Lib. VII. cap. 22. in ter-

ribili pestilentia, quae tunc temporis in Aegypto grassabatur. Ritus ac caeremonias quod spectat, 1.° Corpus funereis vestimentis ornabant, qui ritus diversis Scriptoribus memoratur. Hinc Eusebio auctore *vita Constantini* Lib. IV. cap. 66. tum Constantinus Magnus regiis insignibus, purpura scilicet et diademate exornatus, sepultus est, tum etiam Asturius apud Eusebium Lib. VII. cap. XVI. corpus Marini Martyris candida ac pretiosa veste, et magnifico cultu ornatum sepulturae tradidit. Alibi vero cadavera candido linteo involvebantur, teste Prudentio *Cathemerinon* hymn. 10. De vestibus funebribus Christianorum plura Casalius, *de Ritibus veterum Christianorum* capite 66.; Aringhus, *Roma subterranea*, Lib. I. cap. 24. 2.° Vestitum demortui corpus interdum publico in loco omnibus intueri volentibus exponebatur. S. Petrum Alexandrinum Episcopum et Martyrem Pontificalibus indumentis indutum, *perinde ac viventem*, *in sede S. Marci collocarunt*. Subsidia et officia spiritualia mortuis ante elationem funeris exhibebantur, quorum in numero computabatur Sacrificium Missae, Preces, Psalmodiae, et alia hujus generis. Neque illud sileri debet, ad defunctorum corpora accensas faces, lampades, cereos, priusquam ad sepulchrum exportarentur. S. Augustinus Lib. 9. *Confessionum capite duodecimo* de S. Monica matre sua iam iam defuncta, *Psalterium*, inquit, *aperuit Evodius, et cantare coepit Psalmum: Cui respondebamus omnis domus.*

II. Omnibus domi peractis, ad funeris exportationem procedebatur. Nullus fuit funebri pompae locus Christianos inter tribus primis saeculis; siquidem clam cadavera in cemeteria deferebant, atque ibi humabant. Ne itaque Paganis paterent, diu quovis caruere apparatu illorum Exequiae, etsi quandoque, tepescente persecutionis furore, pro viribus funebria iusta palam peregissent. At vero pace Ecclesiae data, exequiae certo ordine, certoque comitatu celebrari coeperunt. In opulentioribus urbibus, ac frequentioribus certus erat hominum ordo, quorum id munus erat, ut aegrotis pauperibus, maxime

grassante lue, ministrarent. Hos variis nominibus appellabant, modo *Parabolanos*, quod decumbentibus contagione hominibus praesto forent, modo *Copiatas*, *Lecticarios*, *Fossarios*, *Sandapilarios*, *et Decanos*, quod pauperibus sepulchra foderent, cadavera exportarent, terrae committerent, atque alia id genus agerent. At de his diximus alibi. Ad haec insequenti feretro Clerum praecessisse, dubitandum non est. Insignis est Gregorii Nysseni locus *in vita Macrinae sororis*, ex quo plane priscum exequiarum ritum atque ordinem coniicias; Diacouos nempe, atque Ministros, idest Presbyteros, utrinque praecessisse, tum populum accensis cereis loculum circumstetisse, ut aegre funus procederet. *Quum frequens* inquit, *in vita Macrinae sororis populus feretrum circumstaret, nec tam mirabili et sacro spectaculo posset expleri, non erat facile nobis iter facere. Ex utraque autem parte praecedebat non exiguus numerus Diaconorum, et Ministrorum, qui omnes ordine progredientes accensos cereos manu gestabant.* Interea dum vero corpus efferebatur, psalmi resonabant alternis. Jussum id Constitutionibus Apostolicis Lib. VI. cap. 30. atque ita omnium more receptum, ut nusquam de iis non loquantur Chrysostomus, *Homilia IV. in Hebr.*; Nyssenus, *Vita Macrinae Sororis*; Nazianzenus, *Oratio decima in Caesarium fratrem*; Hieronymus, *Epistola XXVII.* Tandem Cadavere ad sepulturae locum perducto, officium ecclesiasticum celebrabatur, Sacra etiam Eucharistia his ritibus addebatur. Praeterea oratio funebris in defuncti laudem recitari consuevit, si quid singulare, et eminens in eo fuisset, quod vel publico dignum praeconio videretur, vel aliis tanquam virtutis exemplum commendari fas esset. Non paucae istiusmodi orationes adhuc exstant: cuiusmodi sunt illa Eusebii in funere Costantini, binae Divi Ambrosii in obitu Theodosii, et Valentiniani, et Satyri fratris, aliaeque. Eleemosynae tamquam aptae semper precum comites habitae sunt; unde S. Joannes Chrysostomus *Homilia LXI. in Joannem. Vis*, inquit, *mortuum honorare? fac eleemosynas.* Tum Hieronymus *Epistola XXVI. ad Pammachium*

de morte uxoris capite secundo eo nomine laudat Pammachium, quod sui mariti *sanctam favillam*, *ossaque veneranda eleemosynae balsamis rogaverit*. Nonnulli has eleemosynas in anniversaria defuncti commemorationis die repetebant; atque adeo commune convivium facere solebant. Postremo omittenda non est consuetudo spargendi flores super sepulchra mortuorum, a quibusdam Christianis sine offensione retenta: eius enim Hieronymus et Ambrosius sine reprehensione meminerunt.

III. Christiani profecto primis saeculis cadavera extra Urbem humarunt, secuti ea in re Romanorum Leges. Apud Judaeos, et Graecos, aliasque gentes mortui extra urbes efferebantur. Haec sepulturae loca maioris nostri frequentius κοιμητηρια *dormitoria*; interdum *arenarias cryptas*, *arenarias tumbas*, *catacumbas*, *et Martyrum Concilia adpellarunt*. Coemeterium apud Cretenses olim dictum fuit hospitium ad dormiendum peregrinis destinatum, ut habes ex Dosiade apud Athenaeum Lib. IV. cap. 5. Inde Christianos ansam arripuisse κοιμητηρια vocandi loca, in quibus suos conderent mortuos, putat Petrus Victorius Lib. VIII. *var. lect.* cap. 2. Christiani suorum sepulchra dixerunt κοιμητηρια *dormitoria*, seu loca ad quietem et somnum comparata; ab antiquissimis temporibus, uti constat ex Dionysio Alexandrino apud Eusebium Lib. VII. cap. XI. Nec mortem θανατον *interitum*, sed potius υπνον et κοιμησιν *soporem et somnum* adpellendam censuerunt. Hinc in Christianis Lapidibus Defuncti *dormire*, *quiescere in pace*, *deponi*, persaepe dicuntur, ut apud Bosium, Aringhum, Fabrettum, Donium, Lupium, Marangonum, Boldettum, Muratorium, ceterosque harum antiquitatum Collectores videre est. Alia nomina, quibus Coemeteria a veteribus vocata sunt, explicat Cangius *in Glossario mediae et infimae Latinitatis*. V. *Arca*, et *Catacumba* alibique. Inter vetustissima Christianorum Coemeteria praestant Romana, quae non sine admiratione adhuc visuntur. De eorum numero, forma, situ, auctoribus, ruderibus, consule Onuphrium Panvinium, *de Coemeteriis* capite duodecimo; Aringhum, in *Roma Sub-*

terranea; Torrigium, *Grotte Vaticane*; Boldetti, *Osservazioni sopra i Cemeterii de' Santi Martiri*. His adde Baronium, ad annum 130. num. 1. et 226. num. 9.; Mabillonium, *Iter Italicum*, et Montfauconium, *Diarium Italicum*. Secutis temporibus sensim veluti quibusdam gradibus humatio in Ecclesiis, et intra civitates inducta est. Saeculo IV. mos in Oriente viguit sepeliendi in sacris aedibus Christianos. Ita in Martyrum Templo Livia Amphilochii uxor deposita est, teste Gregorio Nazianzeno Carmine XVII. apud Muratorium in *Anecdotis Graecis*. Nec alio loco humatos Nonnam matrem suam, Caesarium fratrem, et Gregorium adolescentulum nepotem, idem prodit Nazianzenus *Oratione de S. Macrina*. Eodem quarto Saeculo S. Efrem Syrus testamento humilitatis gratia vetuit Corpus suum *recondi in domo Dei, aut sub Altari*: quod etiam fidelium in templis sepulturam adstruit. Paulla Romana Bethlemi denata, *subter Ecclesiam et iuxta specum Domini* condita est, teste Hieronymo *Epistola vigesimaseptima ad Eustochium*. Idem in templis fideles sepeliendi mos deinceps in Oriente viguit. S. Joannis Chrysostomi Corpus Constantinopoli in Ecclesia Apostolorum depositum, refert Socrates *Historiae Ecclesiasticae* Lib. VII. in Occidente quoque iam a saeculo IV. fideles in Ecclesiis prope Martyres humati sunt. Sanctus Ambrosius Satyrum fratrem suum, qui laicus erat, iuxta Victorem Martyrem posuit. Quin ipse Ambrosius *Epistola decimaquinta* ad Marcellinam sepulturam sibi elegit in Basilica Ambrosiana a se exstructa, sub Altari. Vetus mos fuit Episcopos sub Altari sepelire, ubi Martyrum Reliquiae quiescebant. Non Episcopi modo, sed et Presbyteri sub Altari tumulabantur. S. Paulinus Epistola vigesima secunda ad Severum scribit, Clarum quemdam Presbyterum post obitum sub Altari humari debere. Marcellina iuxta Ambrosii fratris tumulum requiem invenit. Marilia Daedalia virgo in eadem Ambrosiana Basilica tumulata est. S. Hilarius Pictaviensis Episcopus, qui circa annum 367. obiit *ad Matth. VIII.* docet, *non esse admiscendos memoriis Sanctorum mortuos infideles:*

unde habes aevo Hilarii Christianos in Basilicis Martyrum condi solitos. Recepta ubique in Ecclesiis sepultura, et Christianis exequiarum solemniis, privatio ecclesiasticae sepulturae in poenam abiit. Ea enim, quatenus sacro loco, et ecclesiastico exsequiarum ritu constat, pars quaedam est ecclesiasticae communionis, quae etiam post mortem manet.

Caput II.

De Ecclesiae disciplina in puniendis graviorum criminum reis.

I. Grandia crimina sub generalibus nominibus *apostasiae* et *impietatis* comprehendebantur. Ferventibus itaque persecutionibus, nonnulli, qui nomen dederant Christo, vi tormentorum, aut metu mortis Christianam Fidem derelinquebant; et hi *Lapsi*, *Negatores*, et *Blasphemi* appellati fuerunt. *Sacrificatorum* et *Thurificatorum* nominibus illi veniebant, qui sacrilegis contactibus manus suas, atque ora polluebant, incensa videlicet offerendo, et de mactatis manducando, uti erudite observat Gabriel Albaspinaeus Lib. I. *Observationum Ecclesiasticarum* cap. 21. et Cardinalis Augustinus Orsi Ordinis Praedicatorum in sua celebri dissertatione *de capitalium criminum absolutione*. Religionem quoque abnegare accusabantur *Libellatici*, ita dicti ab certis libellis, quos vel magistratibus ethnicis privatim dare solebant, vel ab illis accipere, ut sic a faciendis publice sacrificiis immunes essent. De his loquitur Cardinalis Baronius in *Annalibus ad annum Christi* 253. num. 21. ubi sic ait: *Qui igitur hunc in modum Fidem prodidissent, ac similiter perdidissent, Libellatici dicebantur, quod libellum securitatis a Magistratu conscriptum accepissent.* Legendus Natalis Alexander ad saeculum tertium, *Dissert. 5. Articulo unico proposit. 1.* ubi, allatis testimoniis Tertulliani, et S. Cypriani, nec non Concilii Illiberitani, latissime ostendit gravitatem criminis horum Libellaticorum, utpote quod ad Idolatriam accedebat. Alii erant qui tempore persecutionum Jesu Christi

Fidem non derelinquebant, sed ne tormenta subirent, fugam arripiebant, aut se celabant, relictis omnibus quae possidebant; et hi *Extorres* dicti sunt, teste Cardinale Baronio in notis *ad Martyrologium Romanum ad diem 2. Januarii*. Alii soluta pecunia, se a veneratione redimebant, palam tamen confitentes se Christianos esse, et nolle a Christo recedere; et hi *Libellatici* quoque dicti fuerunt. Quare bene Petrus Annatus *in apparatu ad positivam Theologiam* Lib. 3. art. 7. *titulo de Lapsis a Fide* scribit: *Duo fuere Libellaticorum genera alii qui Fidem negabant, alii vero qui non negabant, sed palam profiteri non accedebant, et, ne ad id cogerentur, id pecunia redimebant, securitatis accipiendo libellos, ut supplicia evaderent*. Hinc Ecclesia diversas iis inflixit poenas pro ratione delicti leviores, vel graviores. Ex veteri disciplina apostatae, qui vera idolatria rei erant, non solum ab Ecclesia eiiciebantur, sed etiam in quibusdam Ecclesiis excludebantur a venia, et absolutione, quam tantum in vitae exitu impetrabant. At demum per canones Nicaenos, et Arelatenses duodecim annorum poenitentiam subire coacti sunt, antequam in integram Ecclesiae communionem restituerentur. Censurae quoque ecclesiasticae subiecti fuerunt omnes superstitiosorum idolatriae adiutores, hortatores, imitatores. Hinc 1.° Christiani, qui flaminis sive ethnici sacerdotii munus in se suscepissent, etiamsi nunquam sacrificassent; tamen ex Concilio Illiberitano perpetuae addicebantur poenitentiae, ac tantum in hora mortis, si quidem idonea verae poenitentiae signa ostendissent, in communionem recipiebantur. Porro ad flamines spectabat solemnes ludos, et spectacula populo indicere, quae non minus crudelitate, et impudicitia, quam ritibus idolatria merito detestanda erant. 2.° Ob idipsum vero excommunicati etiam erant *scenici, histriones, aurigae*, aliique qui theatris aut operam suam collocabant, aut intererant. Hinc ex Cypriano, *Epistola LXI. ad Eucratium;* ex Concilio Illiberitano, *Canone LII.*; ex Concilio Arelatensi primo, canone quinto, aliisque ab Ecclesia proiiciendi erant, *ne pudor*, inquit

Cyprianus, *et honor Ecclesiae tam turpi et infami contagione foedetur*. Insuper ex Tertulliano *de Idolatria capite octavo* crimen Idolatriae omnibus artificibus imputatum fuit, qui quidquam ad idolorum cultum conferebant, sive aras erigendo, sive templa extruendo, sive capsas faciendo, sive idola, vel quidquid ad ea pertineret exornanda, sive tandem thus vendendo pro cultu idolorum. Ex Nazianzeno, *Oratione prima in Julianum;* Chrysostomo, *Homilia XL. in Juventinum* et *Maximum;* et Theodoreto Lib. V. cap. XXXVIII.; nonnullorum exempla habemus, qui sub Juliano Imperatore mortem subire maluerunt, quam aras idolorum, aut templa instaurare.

II. Severissimis quoque Ecclesiae censuris erant obnoxii, qui a Religione Christiana ad Judaismum desciverant. Et horum quidem tres ordines, sive gradus observare licebit. Alii, Religione Christiana prorsus deserta, ad Judaeos transibant; alii caeremonias iudaicas et quasdam eorum doctrinas Christianae Religioni admiscebant; alii demum illis se accomodabant, ut multas eorum illicitas consuetudines sequerentur, quamvis formalem Religionis ipsorum haud facerent. E primi Ordinis defectoribus Aquila fuit, Bibliorum interpres, primum quidem Christianus, quemadmodum tradit Epiphanius *de ponderibus et mensuris* num. XV. usque dum propter studium astrologiae ex Ecclesia eiiceretur, quo facto ad Judaeos transiit, novamque Bibliorum versionem in odium Christianorum adornavit. Ecclesia sub gravissimis poenis hanc defectionem interdixit; eosque qui ad Judaeos desciscerent, cum excommunicatione, tum aliis gravissimis poenis perculit. Erant et alii, qui Religionem Christianam non penitus reiiciebant, sed circumcisionem, aliosque iudaicos ritus observabant una cum iis, quos a Christiana Religione dedicerant. Istiusmodi varia et miscellanea haeresis erat Cerinthianorum, Nazaraeorum, Ebionaeorum, Elcesaeorum, et Samsaeorum. Ecclesia omnes hasce sectas variis erroribus conflatas veluti haereticas semper damnavit, communioneque privavit, qui ipsis adhaererent. Praeter istos erant quidam

Christiani, qui neque prorsus ad Judaeorum transibant Religionem, nec in praecipuo quodam capite cum illis faciebant, qui tamen in remotioribus quibusdam ritibus ac consuetudinibus illis sese accomodare non recusabant; ut in observandis diebus festis et jejuniis, in matrimoniis cum illis contrahendis, in recipiendis eorum eulogiis, in consulendis illis de phylacteriis ad curandos morbos. Quae omnia legibus Ecclesiae severe interdicta sunt sub poena segregationis a corpore Christi. Hinc plures sunt Conciliorum Canones, praesertim Laodiceni, Illiberitani, et Agathensis, qui nonnullas harum praxes vetant, addita excommunicationis poena.

III. Haeresis semper in maximis posita fuit criminibus, quippe quae desertio Fidei est, et offensionem multo graviorem fidelibus infert. Licet vero haeretici voluntarie sese ab Ecclesiae communione avellant, hoc tamen non impedit, quominus Ecclesia adversus illos solemne anathema pronuntiet. Hinc veterum, ac etiam recentiorum Conciliorum canones adversus haereticos plerumque anathemate clauduntur. Juxta antiquas Ecclesiae leges omnino vetabantur fideles cum haereticis orare, vel psallere, vel alia quaevis Religionis officia obire. Neque edere, vel conversari cum haereticis, vel eorum munera recipere, aut contrahere cum illis matrimonium fidelibus permittebatur. Haereticis licet permitteretur in caussis propriis, vel privatis querelis accusare, testari, vel alios quosvis iudiciarios actus persequi; at id ipsum omnino iisdem negatum fuit, ubi de causa ecclesiastica ageretur, vel de publico aliquo crimine adversus fideles. Haereticis, ubi ad Ecclesiam redirent, locus inter Clericos legibus Ecclesiae denegabatur; tantumque ut inter laicos recenserentur, concessum fuit. Nunc Ecclesiae disciplinam erga illos et agendi cum ipsis rationem considerabimus. Concilium Illiberitanum canone XXII. decem annis poenitentiam agere iubet eos, qui de Ecclesia Catholica ad aliquam haeresim transierint. Eadem poenitentia iniungitur per alios canones.

IV. Inter varias divinationis species notissima, et ma-

xime infamis antiquitus habebatur astrologia, sive ars manifestandi secreta ex positu, et motu stellarum. Omnes huius artis professores censurae ecclesiasticae fuisse subiectos certum est. Hinc Concilium Illiberitanum, canone LXII.; Agathense, canone XLI.; Aurelianense I. canone XXX.; non solum astrologos ab Ecclesia reiiciendos decernunt, verum et magos, et omnium signorum monstratores. Qui incantationi magicae operam dabant, plerumque venefici dicti sunt. Hi omnes ecclesiastica praxi, ac praesertim canonibus Ancyrano, Laodiceno, Carthaginensi, et Basiliano; excommunicationi subiiciebantur. Schismaticorum uti varium diversumque genus erat, ita variae distinctaeque poenae iisdem inflictae sunt. Principio veri nominis sacrilegium erat rerum publico Ecclesiae ministerio dicatarum ad privatos usus usurpatio. Hinc 1.° ex canone LXXII. Apostolico segregationis poena multantur, qui ceram, aut oleum ex Sancta Ecclesia auferrent, vel vasa Deo consecrata in privatos usus converterent. 2.° Qui oblationes defunctorum aut negarent Ecclesiis, aut cum difficultate redderent. Hinc in Concilio Carthaginiensi IV. canone XCV. tamquam egentium necatores excommunicantur. Aliud sacrilegii genus erat sepulcrorum spoliatio, sive demolitio monumentorum, ubi mortui compositi fuerant. Tertium vero sacrilegii genus ab iis committi vetus Ecclesia censuit, qui Sacram Scripturam, vel sacrae Ecclesiae vasa tempore persecutionis gentilibus tradidissent. Hi communiter *traditores*, vel *proditores* dicti sunt. Judaico sabbato abolito, Dominicae festus dies successit. Quare uti Hebraeis sabbatum, ita Christianis dominicus dies singulari cultu peractus est. Hinc qui illius religionem violasset praeter necessitatem, statutis poenis addicebatur. Antiquus et generalis in Ecclesia mos erat, diem dominicum in memoriam Resurrectionis Salvatoris nostri festum et laetum agere, atque ab omni jejunio immunem egerunt semper maiores nostri. Tertullianus *de Corona Militis* capite tertio: *Die dominico jejunare nefas ducimus.* Tanta fuit Ecclesiasticae disciplinae in homicidas severitas, ut non solum

voluntarios, sed etiam involuntarios iustis poenis plectendos esse censuerit. Fuere praeterea quaedam crimina, quorum gravitas, quod propius homicidio accedere visa est, hinc eorum auctoribus gravissimae poenae non secus, ac homicidis, inflictae sunt. Horum in numero fuere primo delatores fratrum ad profanos iudices tempore persecutionis. 2.° Infantium |proiectores, quorum magnum numerum inter ethnicos fuisse probant graves illae quidem, sed iustae Tertulliani, Minucii Felicis, et Lactanii querelae, qui id peccatum merito ipsi homicidio aequant. Lanistae, in quorum Scholis gladiatores artem mutuo sese perimendi discebant; quos merito Tertullianus velut homicidas fugiendos, detestandosque esse dicit. Homicidii crimen illis etiam intendebatur, qui pauperibus necessaria alimenta negabant, et egenos parentes suos necessariis vitae subsidiis privabant, sinentes eos, contra leges pietatis et adfectionis, fame perire. Praeterea omnes apertae inimicitiae, iurgia, altercationes, contentiones et odia excommunicatione puniebantur utpote quae gradus essent inferiores homicidii. Erat enim persuasum antiquis Patribus illud Salvatoris: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo racha; reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue; reus erit gehennae ignis.* Tum illud etiam Joannis: *Omnis, qui odit fratrem suum homicida est; et scimus, quoniam homicida non habet vitam in se manentem.* Fornicationem ethnicae gentes laudaverunt, probaruntque etiam additis religionibus. At Ecclesia Catholica severissimis eam poenis semper coërcuit. Vetusti Canones eos etiam ecclesiastica censura punierunt, qui obscoenos libellos aut ipsi scriptitassent, aut ab aliis scriptos legerent. Comessationes, ebrietates, ac reliqua, si qua sunt intemperantiae liberioris genera, non solum Patrum omnium concionibus acriter reprehensa, sed Conciliorum etiam sanctionibus castigata fuere.

V. Vetus Ecclesiae disciplina duplicem habuit excommunicationem, mortalem, et medicinalem. Haec pro levioribus criminibus, et in eos infligebatur, qui pec-

cata sua agnoscebant, et poenitentiam pacemque postulabant. Mortalis quae in antiquis canonibus παντελης αφορισμος omnimoda separatio, et anathema dicta est, homines de Ecclesia penitus excludebat, et ab omnibus cum ipsa, in sacris potissimum officiis, separabat. Formulam huius excommunicationis describit Synesius Epistola 58. pag. 201. edit. Paris. Ubi aliquis ab quadam Ecclesia esset excommunicatus, hac de re alias Ecclesias certiores fieri consuevit, ut ne istiusmodi hominem in communionem suam reciperent. Jam haec omnia ex sapientibus consiliis et rationibus christianae prudentiae et charitatis facta. 1.° Ut peccatoribus incuteretur pudor, ipsique huius pudoris beneficio ad resipiscentiam perducerentur. 2.° Ut eorum exemplo terrerentur alii. 3.° Ut ne ceteri viderentur aliorum peccatis participare. 4.° Ut contagiosa noxiorum hominum devitaretur familiaritas. Nam conversari cum malis et profanis hominibus, est sui ipsius virtutes exponere periculo. Mala consuetudo corrumpit bonos mores. Observari porro meretur, Ecclesiam, ut ab excommunicatis se abhorrere significaret, non permisisse dona sive oblationes ab eis recipi. In antiquis canonibus, atque in omnium damnatione haereticorum sane frequens est anathematis nomen. Concilium Grangrense singulos canones sacros concludit verbis αναθεμα εστο *anathema sit*, hoc est ab omni Ecclesiae communione seiunctus, et ab omnibus exsecratus habeatur, qui Concilii legibus non obtemperaverit. Iisdem pleraque Concilia verbis utuntur; id autem sumptum videtur ex ea Divi Pauli formula ad Galatas capite primo v. 8. *Etiamsi nos, aut Angelus a coelo evangelizet vobis praeter id, quod vobis evangelizavimus, anathema sit*. Jam vero tanto studio antiquitus in Ecclesia curabatur, ne innocentes censurae Ecclesiasticae subiicerentur, ut communem illam regulam semper custodierint, neminem scilicet esse damnandum, nisi qui fuerit prius legaliter convictus. Atque hic operi finem facimus, in quo si boni quid repererint lectores, Deo adscribant, non mihi, ipsique mecum gratias agant, bonorum omnium largitori,

cui est laus, honor, et gloria per infinita saecula. Amen. Quaecumque vero hoc opere scripta sunt, Ecclesiae Catholicae, Apostolicae, et Romanae, eiusque supremi Capitis visibilis iudicio subiicio.

FINIS TOTIUS OPERIS.

INDEX

COMMISSIONE ARCIVESCOVILE

PER LA REVISIONE DE' LIBRI

Nihil obstat
F. Can. Celentano
Censor Theologus

Imprimatur
Pro Deputato
Leopoldus Ruggiero
a Secretis